Sala
Gab. R
Est.
Tab. 40
N.° 15

~~92~~ 61

R
40
15

1, 2, 11 — 16x

24

91-9

IN DIOSCORIDIS ANAZARBEI DE MEDICA MATERIA LIBROS QVINQVE, AMATI LVSITANI DOctoris Medici ac Philosophi Celeberrimi enarrationes eruditissimæ.

Accesserunt huic operi præter Correctiones Lemmatum, etiam Adnotationes R. Constantini, Necnon simplicium picturæ ex Leonharto Fuchsio, Iacobo Dalechampio, atque alijs.

Biblioteca da Universidade
COIMBRA
COIMBRA

LVGDVNI,
Apud Theobaldum Paganum.
1558.

estas enarrationes de Amato
lusitano sobre los cinco libros
de materia medica de Dyoscorides
estan emendadas y expurga
das conforme al indice expur
gatorio del año de seiscientos
y doze y censura de el S.to offi.co por
mi el D.or sayoane Vela medico
de su mag.t con licencia y cedula
particular que tengo para ex
purgar mis libros de el S.or D.on
gabriel tuesopan y agua de el
Consejo supremo de la S.ta y ge
neral ynquisicion dada en ma
drid a 17. de Genero de 1613 y asi
lo firmo en madrid a dos de
marco de 1613. //

— D.or sayoane Vela

ILLVSTRISSIMIS VIRIS RECTORIBVS,

ET AMPLISS. SENATVI

Rhacusino: Amatus Lusitanus Medicus Physicus Salutem, & felicitatem

P. D.

QVVM SVPERIORIBVS annis, *Ferrariæ medicinam publicè profiterer, Viri clarissimi, Patritius quidam vester Orator, nomine (ni fallor) Sebastianus Mensens, quòd inter pleraque alia mandata à vestra clarissima Republica illud non postremum habebat, vt de medico apprime docto vestræ ciuitati conducendo diligenter inquireret, illuc aduenit: ille vt erat sui obeundi muneris studiosus, Antonium Musam Brassauolam virum, & doctrina, & vsu rerum præstantissimum, ac illustrissimi Ducis illius ciuitatis medicum primarium adit, consulturus quis nam illi huic negotio aptior & ex vsu magis videretur. Qui dum cupit, & Oratori vestro viro graui in primis & præstanti, & vestræ dignissimæ Reipublicæ satisfacere, dumque huc illuc animo vagatur, talemque medicum inuenire conatur, qualem deceret tan-*

tum virum vestræ ciuitati proponere, qualemque vos ipsi cupitis: tandem me rogat an vellem talem subire prouinciam. Ego verò qui per ea tempora à Sarmatarum rege, quem vulgò Poloniæ vocant, ingenti mercede, & conditione honestißima vocabar, cùm essem anceps animi, dixi me tunc de illa re decreturum quum vester Orator à sua legatione reuerteretur. Properabat sanè tunc Mediolanum, in reditu Ferrariam (vt aiebat) iter facturus: qui tamen aliqua grauiore forte impeditus causa Ferrariam omnino non redierat, tunc Brassauola vir prudentißimus, qui me penitus abijcere consilium eundi ad Sarmatas rationibus coegerat, literis suis Senatui Rhacusino significat, me ex tanto medicorum numero sibi idoneum tandem visum, qui tali curæ præficerer, quarum literarum exempla siue ipsasmet literas, in vestro tabulario etiam nunc asseruari puto. Ab illo igitur tempore repudiatis Sarmatarum, & multis alijs conditionibus, adductus laudibus istius amplißimæ Reipublicæ, quas mihi doctißimus Brassauola veris indicibus demonstrabat: exarsi tanta viuendi apud vos, ac vobis seruiendi cupiditate, vt nullam aliam vrbem præter istam incolendam mihi proponerem. Cuius rei gratia relicta ab hinc annos fere quatuor Ferraria, Anconam, vt propior vobis essem, me contuli: vbi summa familiaritate

liaritate Magnifici & generosi IOANNIS GONDOLAE ciuis vestri, viri nunquam satis laudati, ac omnium literatorum optimi fautoris: & BENEDICTI GONDOLAE eius fratris, vsus: probè noui patritios Rhacusinos quàm sint nobiles, quàm præclari, quàm virtutis & bonarum artium amatores, capiens quoddam quasi specimen ex ijs duobus. Vnde mihi persuasi, tam generosæ Reipublicæ inseruire summam mihi gloriam fore, atque clarorum istorum virorum vti consuetudine, Deorum propemodum ipsorum familiaritati æquiparabam. Ardebam igitur ac indies hæc mihi non improbanda cupiditas augebatur: quum ipse mecum cogitans: quo pacto meæ huius erga vos voluntatis testimonium apertè manifestare possem: quum id neque fortunæ bonis quorum vos affluitis: neque meis viribus, quæ per se sunt tenues: statui tandem literarum, quarum estis natura sititores, testimonio æterno id efficere. Et ecce se mihi offerunt quædam in Dioscoridem Anazarbeum commentaria, quæ annis ab hinc quindecim Antuerpiæ cœperam, atque in primum, & secundum eius Autoris librum edideram. Quæ, quum scirem permultos claros in medicina viros post illam meam editionem de ea etiam re locupletissime scripsisse: inter quos connumerantur, Ruellius Gallus,

Brassauolus superius memoratus, Syluius Parisiensis, Leonardus Fuchsius Germanus, Ioannes Agricola Ammonius, & plerique alij, quorum eo tempore scripta nondum extabant, supprimere vtcunque decreueram. Prætereo Mathiolum Senensem virum doctissimum, qui nuper Dioscoridem è Latino Hethruscum reddidit, & illum commentarijs illustrauit: atque complures alios, qui vt rem medicam locupletent, quotidie multa eiusmodi moliuntur & edunt. Ego minime deinde tantorum virorum scriptis deterritus: cœpi quæ ediderám relegere, atque de integro in omnes quinque libros Dioscoridis nouas enarrationes cudere, vt haberem munusculum quod vestræ nobilissimæ amplitudini dicarem: ad quod perficiendum non tam me doctorum virorum adhortationes impulerunt, quàm meum vobis gratificandi studium excitauit: à quo, & si non solum negotia domestica, sed etiam medendi cura auerterent, succisiuis tamen post studia temporibus, amore vestri incitatus, id tandem Deo Optimo Maximo auspice perfeci. En igitur in Dioscoridis libros quinque enarrationes meas, in vestram clarissimam Rempublicam obseruantiæ testes, vobis dedico: quas quasi iure suo vestra patria Rhacusium meritò reposcere videtur, imò omnia de re medica scripta illi debentur: quum medicinæ

totius

totius inuentor Aesculapius non longe ab vrbe vestra olim habitauerit, donec Romani graui coacti pestilentia illum in suam vrbem euocarunt, apud quos Epidauro vectus ne forma quidem Dei, sed Draconis vultu mansit. Huius rei testes hodie extant apud vos certissimi: Antrum, fons etiam saluberrimus, & P. Dolabellæ prope fontem sepulchrum, quorum omnium Marcus Syluius vir doctissimus, ac vestræ Reipubl. à secretis fidissimus, opere quodam elegantissimo meminit. Hic ille Aesculapius Apollinis filius est, quem omnes ferè tum Græci, tum Latini celebrant & inuocant, vt Q. Serenus in exordio sui de Re medica operis dicens:

Tuque potens artis reduces qui tradere vitas
Nosti: atque in cœlũ Manes reuocare sepultos,
Qui colis ægeas, qui Pergama, quiq; Epidaurũ:
Huc ades, & quicquid cupido mihi sæpe rogãti
Firmasti, cunctum teneris expone papyris.

Ob hoc igitur vobis Viri clarissimi, qui de medicina scribunt, multum debent, quum Aesculapium medicinæ deum vestram inhabitasse olim vrbem certò sciant: neq; medici tantũ, sed & omnes viri docti in quouis disciplinarum genere: tum omnes religioni addicti, omnes libertatis amatores, & quicunq; sunt aliqua virtute præstantes. Vos enim optimis ac doctissimis viris abundatis, religione

insigni estis præditi. Præterea quũ tota Dalmatia simul cum Græcia seruiat, Vos soli auream illam libertatem iam tota Italia, ne dicam toto orbe fugatam, hospitio sanctissimo accepistis. Sed quo Ciuium vestrorum gloria non penetrat? nuper ingentes naues vestræ ad Vlyssiponem vrbem, quæ est ad Oceanum Occidentalem, admirandæ cuiusdam magnitudinis Lusitanis, quibus amplissimis mos est vti in Indiæ præsertim nauigatione, sunt visæ: vt nullus sit iam terræ angulus, vbi præclari ciues Rhacusini non diuersentur, magna & ampla negotia tractantes: quorũ egregiæ virtutes aliquibus imitationi, omnibus certè sunt admirationi. Sed ne vestris laudibus longius me inuoluam, de quibus, vt ille, melius est tacere, quàm pauca dicere, quum vix humana possint facundia numerari: & ne hoc auribus vestris dare videar: Venio ad Dioscoridem, cuius opus de medicæ materiæ cognitione inscribitur: Qui cæteris de ea re scriptoribus antecellit, atq; ideo à Galeno doctissimo ac locupletissimo medicinæ Authore, non solum laudatur, verum etiam reliquis antefertur: cuius doctrina præclara Galenus ipse perterritus, non ausus est de ea re, quum de innumeris scripserit, quippiam commentari. Hic noscuntur omnes fere herbæ, frutices, arbores, plantæ, fructus, gummi, resinæ, pisces, metalla, lapilli, gemmæ, perinde ac si penicillo

nicillo depingerentur: hinc ſibi Plinius multa deprompſit, hinc totius medicinæ fundamentum, quod eſt potiſſimum in ſimpliciũ cognitione, certa & indubia deprehenditur, quæ tamen omnia noſtris commentarijs lucidiora facta, non iniquo, ſed candido lectori videbuntur: vt iam quiuis aromatarius à ſimplicium ſcopo aberrare haud quaquam poſsit: atq; ideo herbarum & cæterarum rerum nomenclaturas, non ſolum Græcè, & Latinè, ſed Italicè, Hiſpanicè, Gallicè, & Germanicè expreſsimus, vt vnus quiſq; tanquam è penu, quod ſibi cõducat depromere poſsit: Dioſcoridi antiqua adiecta nomina, vtpote hodie inutilia, conſultò detraximus: quem ordinem ab alijs poſt me tentatum videre quiuis poterit. Debeant ergo viri Rhacuſini, omnes quibus hoc noſtrũ opus placebit, poſt deum vobis, quorum eſt auſpicijs cœptum & perfectum: quem tamen ſi vobis non ingratum laborem ſenſero, veſtra fretus humanitate, ad alia maiora ſub veſtra autoritate edenda libentiſsime accingar: vt cognoſcat tota Italia, ne dicam Europa, vos optimarum literarum, & omnium diſciplinarum, & eſſe, & ſemper fuiſſe fautores. Valete viri clariſsimi.

Romæ decimoquinto die Maij.

M. D. L I.

R. CONSTANTINVS
IACOBO DALECHAMPIO
CADOMENSI, MEDICO
literatiſſimo & celeberrimo.

*

SOLENT Scriptores non parùm multi huius temporis atque ætatis (quod & à pluribus & humanioribus quidem, vt malo exemplo ac more introductum iam video improbari) tanquam affixis præludiis, librorum initia nimis longis præfationibus farcire atq; onerare: quod faſtidioſum lectorem auertit, priuſquam alliciat: Et glorioſæ oſtentationis ſui plenum eſt, & emptori ſumptuoſum. Sic dum impendiò magis in id ſolum ſtudent, bullatis vt ſibi nugis Pagina turgeſcat, vt eſt in Perſij Satyris, hoc incommodi conſequuntur (quod pro infauſto & deſpuendo omine deputandum) vt primo ingreſſu faſtidiantur prius, quàm legantur. Nam & ſæpe qui nugacem librum in manus ſumpſit, tam prolixè narrationis impatiens longas trahit oſcitationes, & mox ſpectat eſcha tocolon, vt Seuerus ille Martiali: tãdemq; pertæſus, grande & ſpiſſum volumen cum ſuo authore abiicit, vt tineas paſcat taciturnus inerteis, Horatij enim noſti cætera. Hoc autem quod iſtis Prologis vſuuenire conſueuit, ne in iſto

isto authore contingat meo vitio & culpa, qui has partes mihi desumpsi alterius hortatu & instinctu potius, quàm mea voluntate, omni cautione mihi declinandũ esse sentio: Etsi multis factum meum exponere atque adeo excusare oportebat. Itaque non committam vt quod in aliis culpandum esse duxerim, in me quis seuerior iure possit criminari. Id verò effugiam, vt spero, quia paucis præfari & verba in compendium conferre voluerim, presertim cùm horum bona copia non magis mihi defutura sit, quàm cæteris: nec per se sterilius sit argumentum, si collibuisset spatiari & longius excurrere. At istud facere in priuo campo & fundo non placet, minusq; in hoc alieno, ne parum ciuiliter & decenter id fieri videatur. Itaque cur in hunc doctum & diligentem herbariæ scriptorem, extemporalem hanc recognitionem parauerim, & minusculas obseruationes etiam miniatula cera, sed leui manu oblitas, causa vna extitit Gulielmi Rouilij optimarum partium studiosi ciuis, & vtriusque nostrum amantissimi viri petitio, cui nihil honestè possum denegare. Nam cùm denuò hoc opus imprimi cœptum esset & in lemmatibus presertim, ab ipso deprehensa grauissima quædam errata, continuò cœpit à me contendere, vt singula folia dum excuderentur, quoniam medicinalis esset tractatio, relegere ne grauarer atq; etiam castigare. Equidem eius amicitiæ plus tribuens, quàm meæ famæ (quantulacunque est illa modò, aut futura)

con

sulens, hoc in me amicè magis, quàm consultè recepi: nempe vt quantum mihi à priuatis studiis daretur otij, ea succisiua & subsecundaria tempora ad hæc recognoscenda conferrẽ. Ideoque vt alter Aristarchus, censoria quadam virgula, quæ falsò irrepsisse & subdititia esse constabat, summouere familia occœpi, & alia propria in sublatorum locum subrogare atq; ascisscere: breuiterque omnia præstare, quæ res exigere videbatur. Sed ingenuè fatendum est, statim incœpti pœnituit, cum typographi ὀργοδιώκτης me non cessatorem alioquin, importunè vrgeret: & sesquiopera, veluti pensum, opus absoluere oporteret, quod triduò attentè legere commodùm potuissem. Sed hæc est currente rota, id est prælo, typographica properatio, in qua omnia raptim fiunt atque perturbatè. Eius artis morem qui non nouerant, subitarios & informes fœtus coguntur ante tempus effundere: vt in hac editione nobis accidisse, inuitius confiteor. Verùm Deo duce, licebit otiosè, aliis operibus quæ præ manibus habeo, hoc quicquid est famæ nascentis detrimenti acceptum resarcire atque honori velificari: Nam in illis elaboratis diuturnis vigiliis, omnia præparatò nihilq;, vt in præsentia festinatò lectorum oculis subiiciam. Quapropter hæc sint temporaria Iacobe Dalechampi optime & politioris humanitatis peritissime, vt illa mansura & ætatem ferre posse confido, quæ postea seueræ tuæ censuræ commissa, in lucem proferemus. Et

hæc

hæc interim tamen qualiacunque tandem sint, hospitaliter excipies: & sub nominis tui autoritate exire patière. Nam tametsi à nobis, iam maior tibi pagina sancitur, tamen & hæc ipsa munuscula leuidensæ, crasso filo, te sibi patronũ me cogunt adoptare. Quòd libri huius authori, tibi, ac ipsi mihi perinde ars eadem sit: & priuatim nobis ambobus patria item communis (vt qui sis non modo conterraneus, sed meus etiam propemodum ciuis) Quòd amicitia intercedat non vtique vulgaris: liberque demum iste prodeat, tuis etiam vigiliis & copiis ornatus, quod & alibi vt non ingratis, sic nec obscurè testatus sum, & quoad vita suppeditabit, non desinam id manu docere, & libenter profiteri. Verùm nouum embolium quod cogito, maiore auxilio tuo eget: & hîc mihi peropus est limatulo illo & polito iudicio tuo, necnon literis interioribus. Quæ omnia vt mihi quasi commodes, méque communicato labore & partita mecum opera vt subleues, te verò oro atq; obtestor. At vti te in hanc scriptionis societatem, sic iam & in laudis (si quæ modo futura est) partem inuito ego & aduoco, hac etiam syngrapha publicis obsignata testibus, qua mediusfidius perlubens astringar, quò omnia laudis & honoris insignia, atq; ornamenta virtutis (quæ in te certè quidem iam expressa & absoluta cernuntur, in me autem tanquam rudimenta tenuiter adumbrata, fortasse possint expectari) mihi tecum queant esse communia: Vigeatque

semper

ſemper inter nos neceſsitūdo propemodū ſingularis, quæ vtrumq; immortalitati commendet, & poſteris exemplo eſſe poſsit, quomodo ſancta amicitiæ iura religiosè & inuiolatè colantur. Quarevt hinc incipiam, quod fœlix fauſtumque ſit, liber hic & qui me deinceps eſt habiturus authorē, tuis prodibit auſpiciis in publicum: ſibique vt ſpecioſum & honorarium, nomen tuum præſcribet: Et quidem ita, Reffera vt nihilo ſit tuus, anne meus. Hoc ſiquidem Auſonij, verſu velut exodio, concludam extemporalitatis epiſtolam, & in qua nihil eſt niſi dictum populariter.

Vale & ſalue.

RERVM AC VOCVM IN HISCE COMMENTARIIS MEMORABILIUM Index.

*

A

ABies & picea arbor similis 107
Abietis morbus, resina sicca 114
Abietis oleum 108.114
Abiga & auga 577
Abinzoar medicus doctissimus 270
Abortiētium mulierum remedium 623
Abrotanum 458
Abrotaninum oleum 86
Abscessus 122
Absinthiū marinū 457
Absinthiū vulgare, ponticum, Romanum 456
Absinthium santonicum 457
Acacalis 145
Acacia 174
Acanthion 448
Acanthus sylvestris 450
Acetabulum herba 663
Acetosa 343
Acetum 750
Acetum scilliticum 751
Achillea 610
Aconiti species 649
Acinos 384
Acori radix 7
Acorus, acorum 7.8
Acorus Galeni 8.9
Acuta spina 150
Adam pomum 209.211
Adarces & adarciō 790
Adarcha 141
Adeps 300
Adeps differt à pinguedine 300
Adeps æquiuoca vox 300
Adianton cur dicat 697
Adip animal in Africa repertum 652
Aegilops 699
Aegyptia faba inhame est 328
Aegyptia ficus 226

Aegyptia spina 174.445
Aeris flos, non est viride aris 501
Aeris squama 757
Aerugo rasilis 758
Aerugo scoletia 760
Aes ustum 757
Aethiopicæ oleæ lachryma 179
Aethiopis herba 677
Aëtites 757
Agallochum 58
Agaricum 428.429
Agarici boni notæ 428
Agaricum medicamen familiæ 429
Ageratum 652
Ageratum Dioscoridis, eupatoriũ Mesues est 653
Agninus pulmo 267
Agnus, vel agnus castus 176
Agresta 490
Agrifolium an Paliurus 149
Agrimonia vulgaris, eupatorium est 615
Aiuga & abiga 577
Aizoum maius 660
Alabastritis lapis 801
Alambrum & succinum idem 136
Alauda 778
Alberzachali compositio 653
Alba spina 452
Albucus non est halimus 148
Alburnum 499
Alcea 571
Alchimilla herba 688
Alcohol stibium est 111
Alectorius lapis 801
Alexãder Trallian. 769
Alexandrinæ rosæ, siue moschatæ 171
Alfalse, medica herba 388
Alfescera 724
Alga marina 669
Algalia quid 57
Alibium 688
Alica 320. (Alisma 573
Alix 320
Alkali 561
Alkana 155
Alkakengi 644
Alkitran 116
Alkihil 505
Alleluia herba 681
Alliaria herba 538
Allium 392
Allium in peste 393

Allium Turcicum 393
Allium vrsinum 393
Allium in viperæ morsu iuuamen 393
Allium porrum 393
Aloë 454
Aloë succotrina optima 454
Aloës lignum 50
Aloë orificia venarum aperit 455
Aloës temperatura 456
Alopecia 162.252. 406.418.499.558.
Alsebram Mesue tithymalus est 720
Alsines 424
Alteretus doctor medicus 217.335
Althæa 570
Alumen 781
Alumen quomodo paratur 782
Alumen Catinum 561
Alumen zuccharinũ 783
Aluum subducentia 71. 74. 113. 173. 189. 203. 218. 253. 254. 273. 275. 326.349.355.405.408. 440.511.589.632.706. 714
Alui fluores 109.126.150. 182.
Aluum sistunt 216.428. 496.545.565.627.697
Alui dolores 79
Alypon Turbith album est 731
Alyssum 519
Amaracus fœtida 563
Amaracus Galeni & Pauli apud Dioscoridẽ parthenium est 86
Amaracus odorifera 472
Amaranthus luteus Galeni 630
Amarãthus vulgaris 631
Amaricium oleum 90
Amatus ante annos quindecim in Dioscoridis cõmentarios scripsit 8
Amatus apud Ferrarienses publicè medicinam professus est 191
Amatus cur ad Vuandalorũ, ac etiã Poloniæ reges nõ sit profectus 756
Amati fictum nomen 230
Amati ætas 756
Amati patria castellum album 230.404
Ambarum grisium 57

Ambra optima qualis 57
Ambrosia tanacetum est 542
Ambubeia 366
Ambuxum 587
Amianthus lapis 802
Ammi & ammeos semen verum 486
Ammoniacum thymiama dicitur 514
Amomum 39
Amomi succedaneũ 40
Amomo vero caremus 40
Amoris herba 629
Ampelos agria duplex 84
Amphibium 257
Amurca 175
Amygdala 220
Amygdalarũ amararum oleum 73
Amygdalarum dulcium oleum 74
Amylum 323
Anagallis 419
Anagallidis genera 420
Anagallis aquatica 360
Anagyris arbor 572
Anarrhinon 695
Anchusa 601
Andacaron 91
Andacocha 685
Andreas Bellunẽsis Auicennæ corrector 20
Andreas Lacuna Galenũ in epitomen redegit 129
Andreæ Lacunæ error 6. 576
Andreas Vesalius medicus doctissimus 141.787
Androcydes cur Brassicã contra ebrietatem valere putauit 353
Androsaces 559
Androsaces cuscuta non est 731
Androsæmum 576
Anemõ vel anemone 418
Anethum 484
Anethum sylueſtre 11
Anethinum oleum 87
Angelus politianus 746
Angina 279.710
Anguinum allium 393
Anguis senecta, & anguis spolium 250
Angurria 373
Anhelitum iuuantia 77. 88.97
Animalculum moschum præbens, vbi 55
Ani procidentia 109
Ani phlegmone 174

Aniymum duplex 96
Aniymũ gummi quid 61
Aniſum 483
Anonis 451
Anthemis 561
Anthyllis 560
Anthropomorphos 647
Antidotum ex ſanguinibus 305
Antimonium 111
Antiquorũ nonnullorum error 249
Antiſpodium 757
Antonius Ludouicus Olyſſipponenſis 666
Antonius Muſa Braſſauola 10.19.47.286.697
Anthracode 721
Aparine 518
Aparine nõ eſt Lappa 678
Aphaca endiuiæ ſpecies 368.388
Aphaca differt ab aphaca vitia 368
Aphace 388
Aphronitrum 787
Aphthæ 297
Apiaſtrum 531
Apios radix ſylueſtris 729
Apium commune 492
Apium hortenſe, apium ſatiuum 490
Apiũ Macedonicũ 493
Apium paluſtre 491
Apium montanum 492
Apium vulgare funebribus dicatum 491
Apium riſus herba 416
Apocynum 655
Apoplexia 518
Apoſtemata 89
Appetitum irritãtia 84. 414
Aprinum iecur 268
Aqua 748
Aqua fontana an pluuiatili melior 748
Aqua ligni Guaiaci quomodo paranda 168
Aqua marina 748
Aqua non debet ponderari 748
Aqua pro curandis virgæ vlceribus 760
Aqua naphæ 211
Aqua marina cur melius quàm fluuiatilis ponderа ſuſtineat 748
Aquam amantia quæ 130
Aquatica gladiolus 7
Aquilæ lapis 804
Aquilæ lignum 58

Aquilæ vnguis herba 363
Arabicus lapis 760
Arabici gũmi frutex 174
Arabis herba 399
Arabũ mumia quæ 121
Araneus & eorum genera 288. 289
Arbores glandiferæ 181
Arbores perpetua coma virentes 143
Arboris pars media quæ 166
Arbutus 219
Arbuti aqua 220
Archangelica quænam herba 494
Archigenis liber de Castorio 257
Arcium 673
Ardium 677
Arena marina 806
Arequa apud Indos quid 33
Argemonium 419
Argenti scoria 765
Argenti spuma 765
Argentina herba 419
Argentũ vi. 771. 772
Arietinum cicer 325
Arioſtus Ferrariẽſis 613
Ariſarum 410
Ariſtolochia 436. 437
Ariſtot. exponitur 249
Armel 477
Armeniaca mala 208
Armenius lapis 768
Armoniacum 514
Arnaldus Villano. 305
Arnal. Villan. err. 433
Arnogloſſa 358
Aronia fructus meſpili 151. 212.
Aronium meſpilum 212
Arſenicum 780
Artemiſia 540
Arum 409
aſarum 29. 30
aſarum à Bacchare & cyclamine differt 29
aſcarides 44
aſcites morbus 726
aſcalonita cepa 412
aſclepias 479. 520
aſcyron 575
aſelli ſeu oniſcivermes 265
aſellus piſcis 265
aſininum iecur 260
aſininum lac hecticis datur 292
aſius lapis 794
aſpalathus 52. 53
aſphaltus 118

asparagorum & harũdinis amicitia 141
asparagus 357
asparagi radix diuretica est 357
aspergula 519
asphodelus 410
asphodelo pro necandis muribus vtimur 410
asplenium 559
asprella 622
assa duplex 510
assa fœtida 510
aster atticus 688
asthma 396. 506
astragalus 634
athenæi historia de citro 210
athera pulticula 318
atractylis 521
atramentũ metallicũ 779
atramentum sutoriũ 776
atramentum typographorum 116
atraphaxis 349
atriplex 350. 351
atriplex rustica 527
attincar 768
auditũ confortat sena 500
auellanæ 224
auena 318
auena sterilis 618
auena sylueſtris 699
auerrois error 579
auerrois locus castigatus 478
augustinus ricchus Lucensis medicus 787
auicennæ error 420. 651. 746
auicẽna male cõuersus 394
auicennæ locus 331. 394
auicenna plerumq; sequitur Paulũ aegineta 194
auicenna tacite reprahẽdit Galenum 222
auis lingua seu passerina 133
auium pinguetudo 300
aurantia poma 65
aurea mala cytonia sunt 202
aurea virga herba 610
aureum olus 351
auricula muris herba 424
auricolla 767
auripigmentum 780
aurium dolores 552. 614
aurium fluxiones 422. 592.
arium fœtor 89

Aurium vermes 415. 470
Aurum optimum medicamentum 775
Austeri fructus post cibum aluum ducunt 203
Azarolus fructus 152. 212
Azuleium 804
Azaiolus Ferrariensis 679

B

Babylonicum granũ 609
Baccam fert lotus 213
Baccharis 475
Baccharis ab asaro differt 30
Bacchus piscis 256
Balai gemma 803
Balaninum oleum 74
Balanos myrepsica 713
Balaustium 196
Ballote 530
Balneum Mariæ nouit Galenus 81
Balsamita 362
Balsamina 362
Balsamũ 47.48.49.50
Balsamum è peru adfertur 48
Balsamum syncerũ raro habetur 49
Balsami succedaneum 51
Balsami veri tẽperatura 50
Balsami effectus 50.51
Baphica coccus 622
Barba hircina 161.385
Barba Iouis 629.660
Barba syluana 573
Barbatus mullus 255
Barbã crescere facit abrotanum 459
Bartholomeus Panciaticus 283
Basilicum syluestre 605
Basilicum regium 383
Batata radix 329
Batis baticula 363
Batrachion 415
Baucia alba 481
Bdellium optimum 98
Bdellium ex quo fiat 99. 192
Bdellium Iudaicum Serapionis 99
Beatrix à luna 171.271
Bechion farfara est 539
Bedeguar 444
Belerici myrobalani 188
Belzahart lapis 269

Belzuinũ amygdalinum 95
Belzuicum candicans 95
Belzuinum à Boninas 95
Ben arabũ quid 75.714
Berberorum frutex non est oxyacantha 153
Beta & eius species 355
Beta est calida 356
Beta syluestris 596
Betonica 579
Betrum Indicum 33
Betrum indicum malabathrum est 34
Bilem soluentia 30.398. 429.499.680.728
Bilem lactuca minuit 379
Bisacuta 344
Bistorta prima et secunda 580
Bitumen, et Bitumen Iudaicum 119
Bituminosum stagnum in Iudæa 119
Bitumen apolloniæ 120
Blatta vermis 266
Blatta bisantia 242
Blitum ac huius vires 348
Beotica myrrha 97
Bolus armenus 775
Bombyx 284
Bombyces nouit aristoteles 284
Bona sæpius repetenda 301
Bonifacia herba 694
Borax 768
Borrago 692
Botrys 542
Bouis lingua herba 686
Bouis oculus, herba 565
Branca vrsina 449
Brassauola commendatur 499
Brassauola fallitur 29
Brassauola, vide Anton. Musa
Brassica 351
Brassicæ & vitis inimicitia 353
Brassica canina 655.740
Brassica marina 354
Brassica syluestris 354
Britanica herba est prima bistorta 581
Bromus 318
Broccardus monachus terræ sanctæ descriptionem fecit 119
Bruchus 284

Bryon in quibuſnam arboribus reperiatur 54.55
Bryon 54
Bryonia 733
Bubones 298
Bubonium herba 687
Bubulũ caput, herba 695
Bubulum ſtercus 307
Buccina quæ 238
Buccina petris adhærent ibidem
Buffonis lapis 805
Bugloſſa 686
Bugloſſa ſylueſtris 603. 604
Bugloſſus 692
Bugloſſum putat nepenthem Eraſmus 693
Bulbi cur in nuptijs edẽdi 412
Bulbos Megarenſes iuſto volumine celebrauit Pythagoras 412
Bulbus, qui edendo eſt 412
Bulbus vomitorius 412
Bunion 691
Buphthalmus 565
Bupreſtis 284.285
Bucranion 695
Burſa paſtoris 398
Butyrum 297
Buxea ſpina 173

C

Cacalia herba 690
Cadmia, tutia vulgaris eſt 754
Cærea 315
Cæterach 559
Calambucum vox perſica 58
Calaminthæ ſpecies 468
Calamita, vnde dicta ſtyrax 97
Calamus, harundoq́; 140
Calamus aromaticus 45. 46.140
Calandra auicula 278
Calceamẽtorum veterum corium 272
Calcifraga 732
Calculis medentur 131. 150.279.304.326. 361.363.401.568. 574.579.592.595. 596.607.613.625. 698
Calendula 632
Callitrichum 698
Calli equorum 571
Calix in roſa quid 172
Calx viua 523

Camelinum lac 293
Camphora quid 110. 111
Camphora quomodo emitur 111
Camphorata 458
Canabel Serapioni quid 457
Cancamum non eſt Benzuinum 61
Cancamũ nõ eſt lacca 60
Cancanus Gal. cacalia eſt 690
Cancer Piſcis 243
Canchrys 504
Cancri fluuiatiles 243. 244
Cancrorũ cinis 244. 245
Canella 36
Canina braſſica 740
Canes interficit nux vomica 224
Canisdenticulũ, herba 599
Caninum lac 293
Caninum ſtercus 307
Caninus ſanguis opitulatur morſui canis rabidi 306
Canirubus 154
Canis rabidi morſus 154. 306. 531
Canis priapus herba 409
Canis rabidi venenum repullulat 244
Canitiẽ remoratur oleum oleaſtri 71
Cannabis 572
Cantharides 284
Cantharides qua parte venenum habeant 285
Cantharides an ſint dadæ & quomodo 286
Capillaris herba 731
Capillus in roſa quid 172
Capitis dolorum remedia 83. 710
Capillus veneris 696
Capitis fluxiones 24
Capitis vulnera 83. 97. 180
Capparis 414
Capitis dolor 247. 621
Capitis dolor ex croci odore 66
Capitis deſtillationes 153
Capparum natura 415
Caprarum ſtercus 307
Caprinũ iecur peſſi. 267
Caprinum ſepum cur dyſentericis injiciatur 300
Caput aquilæ herba 611
Caput in roſa quid 172
Caput purgantia 356

Caputium 351
Carbisinum Hispanũ 623
Carbunculus lapis 803
Carbũculus morbus 124. 128.225
Cardamomi facultas 20
Cardamomum indicum maius 18.19
Cardamomũ minus Serapionis malagueta 19.20
Cardamomũ officinarũ 18
Cardanus Mediolanensis medicus 354.414
Cardiaca 201.531
Cardo fullonum 443
Carduus Mariæ, carduus niger 440
Carduus pinea 446
Carduus veneris 443
Carduus quæ edendo est 446
Carduus suarius, Marianus, varius 440
Caries lignorum 139
Caron quid vocet Auicenna 164
Carpesium quid 17
Carpesium cubeba est 17. 400
Carpobalsamum 50
Carpobalsamum quomodo adulteretur 50.51.
Cartamus 738
Cartami sylvestris secunda species carduus benedictus est 521
Carum 164.483
Caryophyllata 598
Caryophylli vltra marini 478
Caryophyllum 400
Caryotæ dactyli 185
Carytes tithymallus 719
Caseus vetus calidus, & siccus est 297
Casia, casia lignea 35
Casia quid 36
Casiæ cũ Cinamomo affinitas 35. 36
Casia fistularis Græcorum & Arabum differũt 35
Cassia fistularis 199
Cassia fistulari deglutita cito comedendum 199
Castanea 182
Castellum albũ Hispaniæ, Amati patria 404
Castorium & castoris testiculus 257
Catanance 695
Cati vngues herba 695
Cataputia maior 717

Cataputia minor 722
Caucalis 96.381
Cauda equina herba 622
Cauiarium vnde extrahitur 260
Caulis 352
Caulis flos vel ſabellica Braſſica 352
Cedria, pix cedri eſt 129
Cedrium 117
Cedrus 128.129
Celtica ſpica Rhabarbaro eſt adiungenda 26.433
Celtis 213
Centaurea maior, rhapõticum officinarum 439
Centaurea minor fel terræ dicitur 440
Centinodia 584
Centipedes vermes 265
Centũcapita Plinio quænam herba 453
Centuncularis herba 383
Centumnodia herba 584
Cepa 391
Cepa aſcalonita 412
Cepa maris 412
Cepæa herba 573
Cephalio 189
Cera temperata eſt 311
Ceraſia, & cæraſa optima vbi 197
Ceraſum hyemale 213
Ceralium & Ceratonicum 198
Cerebrum 252
Cerebrũ purgantia 494. 500.512.515.
Cerebrũ confortãtia 33.57
Cerui cum ſerpẽtibus pugnant 270
Cerui maſculi genitale 269
Ceruinæ linguæ ſpecies hemionitis 566
Ceruini cordis os 281
Cerui cornu 281
Ceruorum pabulum 494
Ceruiſia 315
Ceruſſa 766
Ceſtron 579
Chærefolium 379
Chærefolium Plinij differt à Chærefolio quod Gingidium dicitur 380
Calbanum 513
Chalcanthos 776
Chalcitis 777
Chamæ 241
Chamæcyparisſus 124
Chamædaphne 704
Chamædris 526

Chamælea mezereon eſt 441.704.725
Chamæleus albus herba, vnde dicta 441
Chamæleon niger 442
Chamæleonta 725
Chamæleuce 691
Chamæpeuce 691
Chamæpitys 577
Chamomilla 562.563
Charatias tithymalus 719
Charlina 442.443
Chelidonium maius, & chelidonia 422
Chelidonij radix an ſit curcuma 16
Chelidonia minor 423
Cherua 717
Chia terra 807
Chironion 480
Condri nomen vagum 319
Chriſtiernus 741
Chriſtopho. Oroſcius 666
Chryſanthemon 631
Chryſites 629.765
Chryſocolla ex vrina 767
Chryſocome 629
Chryſogonon herba 630
Chryſolachanon 350
Chulabum Indicum 33
Cicada 276
Cicer & ciceru genera 325
Cicerbita 365
Cichorea 366
Cici 717
Cicinum oleum 72
Ciconiarum ſtercus 307
Ciconiæ roſtrũ, herba 543
Cicuta 653
Cicutaria herba myrrhis eſt 685
Cimices lecticarij & agreſtes 264
Cimolia terra 446
Cinara 446
Cinara ſylueſtris 444
Cincinnalis herb. 633.696
Cinerula eſt ſpodiũ 755
Cinis crematarum hirundinum 280
Cinis marinarum teſtarum 807
Cinis ſarmentorum 788
Cinnabaris 770
Cinnabrium foſſile 770
Cinnamomum quid 36.37
Cinnamomi folia an malabathrum 37
Cinnamomũ inualidũ 35
Cinnamomi tẽperatura 39
Cinnamominũ oleum 92
Cinnarum vel chynarum radix

radix 141
Circe 647
Circæa 547
Cirsion 686
Cistus à Cisso differt 159
Citrangulum 208
Citrago herba 531
Citrea arbor 210.211
Citreum, citrium 210
Citri caro alba frigida 209
Citri cortex temperatè calidus 219
Citri pomum aduersatur veneno 210
Citri semen quo temperamento 210
Citrullus 372
Citrũ, malũ Medicũ 208
Clarea 753
Clematis 586
Clematis uinca peruinca est 586
Clematitis 437
Clinopodium 523
Clupea 256
Clymenus 592
Cnicinum oleum 77
Cnidij grani oleum 77
Cnipedes in ulmo qui 139
Coagulum 299
Cobius & gobius piscis 261
Coccus baphicus 623
Cochleæ terrestres & marinæ 242
Cochleare magnũ & paruum 243
Coctionem iuuantia 9. 84.400
Colchicum ephemerũ 656
Colenucij error 141
Colici affectus 73.79. 87.486.453.730
Collũ draconis herba 408
Coli dolores 221
Colocynthis 729
Colophonia 115
Colubrina herba 406
Columbus piscis 253
Columbæ sanguis 305
Columbinum stercus 307
Colutea arbor 499
Colymbas 591
Colymbades oliuæ, & cur sic dictæ 179
Colymbades stœbe 591
Colytea Theophrasti, nostra est sena 499
Comarus 219
Combusta lota, acrimoniam amittunt 355

Comitialis morbus 429. 437.482.506.561
Commodus Imperator negligens 38
Compositio ex Galbano 91
Compositio Mendesij 91
Conchula Indica 242
Conditum ex pyris 751
Conditum ex acetositate citri 209
Conditũ pro sistendo sanguine 154
Condrilla 368
Confectio odorata dijs dicata 62
Congij mensura quæ 50
Conceptui vtilia 280
Conserua dianthos 505
Consolida 588
Consolida maior 589
Consolida regalis 589
Conuoluulum paruũ 614
Conuoluulus maior 702
Conyza 548
Corallij officina apud Venetos 65
Corallina 668
Corallium 791
Corallium herba 419
Coraſceni regnum 56
Cor confortantia 400
Cor exhilarantia 33.57. 65.68.384
Cordis tremor 137.201
Coriandrum 486.487
Coriandrum ſylueſtre reperitur 488
Coris 576
Corium veteris calceamenti 272
Cornarius medicus Germanus 448
Cornelius medicus Antuerpienſis 732
Corniola non eſt Lyſimachia 583
Cornus 214
Cornu cerui herba 363
Cornu ceruinum 281.282
Cornulaca 625
Cornu vnicornis antidotũ contra venenum 282
Cornutum vel corniculatum papauer 640
Corona Veneris herba 361
Corona regia herba 474
Cornopus 363
Corpora mortuorum pro mumia vſurpata 121
Cortex nucis moſchatæ 137
Corpus mortuum diſſecare piaculũ apud Hiſpanos

nos 188
Cortex ligni balsami 50
Cortex bugiæ aspalathus est 51
Cortex thuris 100
Costarum Straboni, quod alijs costus 41
Costi veri oleum 43
Costus ac eius facultates & descriptio 41.42.43
Cotonea mala 202
Cotula fœtida 90.472. 563.
Coturnices helleboro nutriuntur 767
Crambe 351
Cratæogonus 552
crethmus 363
Crethamum 363
crimnum 316
Criniti & Manardi amicitia 101
Criniti error 185
crispula herba 461.565
cressones 362
crista gallinacea herba 633
crocinum oleum 88
crocini olei fex 66
crocodilus 290
crocodilus 18 cubitorũ maxillam superiorem mobilem habet 291
crocodylium 442
crocomagma 66
crocus describitur 65
croci odor adferebat Galeno capitis dolorem 66
crocus sylvestris 739
cruciata herba 667
cucurbita 369
cucurbita sylvestris 729
cucurbita quando edenda 368
cubeba officinarũ quæ 17
cucumer anguinus 372
cucumis agrestis 708
cucumer satiuus vel cucumis 370
cuminum sylvestre 398
cuniculus 252
cunila 471
cupressus ac eius temperatura 123.124
curcuma officinarum 15
cuscuta, cascuta 732
cutis 714
cyami cur vocentur onisci vermes 265
cydonia mala 202
cymbalaria 663
cyminũ vel cuminum 485
cyminum sylvestre 485

cyclaminus 405. 406
cyclaminus secunda 406
cydonia 201
cynogloſſa vera 693
cynocardamum 396
cynorhodus à cynosbato differt 155
cynosbatus 154
cyparisſus 123
cyparisſias 720
cyperus 13.14
cyphi 61.62
cyprus fert cedrum 129
cyprinum oleum 88
cyrenaicus vel Medicus ros 185
cyrenaicus ſuccus 185.510
cyſſanthemon 406
cytini 194
cytinus 194.195
cytiſus 682.683

D

Dactyli 185.186
Damæ pinguedo 301
Damaſcena pruna 217
Damaſonium 573
Damaſonium Galeni 574
Daphne alexandrea, daphne Idæa 703
Daphnoides 704
Darſiſan 52
Daucus agreſtis 381
Daucus verus 497
Dauidicus textus emendatur 91
Delphinium 497.498
Dendrodes tithymal. 720
Dens elephantis 280
Dens leonis, herba 366
Dentium dolores 76.129. 144. 358.360. 415. 418. 423.445.452. 586. 659. 678.
Dentifricia 109.497
Diamoron. 612
Diaphinicon 50.51
Diarrhoea 570
Diatrion pipereon 400
Diatrium ſandalorũ putredini reſiſtit 54
Dictamnus 463
Didacus Mendocius 803
Dioſcor. Gal. iudicio palmam obtinet in herbarum deſcriptionibus 3
Dioſcoridi multa peregrina nomina falſo attributa 157
Dioſcoridis error 354.399
Dioſcor.& Galeni conciliatio 96
Dioſco. hiſt. acephala 67

Dioscori. interpretum error 146.158.
Dioscor. textus corruptus 2.31. 14.1. 212. 306. 709.
Diphryges 780
Dipsacum 443
Dipsaco vermis innascitur 443
Dolichus 335
Dorycnium 645
Draco marinus 246
Dracon herba 409
Draconis collũ herba 407
Draconis sanguis 770
Dracunculus maior ac eius dem variæ species 406
Dracunculus minor 408
Dragacanthũ gũmi 453
Drupæ oliuæ quæ 179
Drys vox æquiuoca 181
Dryopteris 737
Duracina persica 203
Dysenteria 109.184.202 214.323.398.432.445 545.571.584.586.588. 592.611.622
Dysuria 137

E

Ebenus 164.165
Ebenum primo Romam adduxit Pŏpeius Magnus ibidem
Ebrietati aduersatur Brassica 553
Ebulus 727
Ebur 280
Echinos 235.603
Echinus marinus 235
Echinus terrestris 236
Echion alcibiadion 603
Echis & Echidna 248
Elæomeli 71
Elaphoboscum 494
Elate Dioscoridis, encephalum Galeni est 192
Elate nux Indica arbor 189
Elate Plinij abies est, Galeni cephalio 190.191
Elaterium 2.709
Elatine 615
Elatinum oleum 83
Electrum, succinũ alambrũ, carabeidẽ 136.137
Electuarium de baccis lauri 131
Electuarium de scoria ferri 761
Elemi gummi 180
Eleoselinon 490
Elis ciuitas Achaiæ 89

Elleborines 679
Elleborus 2.705.
Elephantis dens 280
Empetron 732
Emplastrũ ex nido hirundinum 279
Empyreuma quid Aristoteli 434
Endiuia 367.368
Endiuia differt à Cichorea 367
Enula cãpana 66.67.68
Enulæ radix cor lætificat 68
Ephemerum 656
Ephemerum non venenosum colchicon hermodactylus est 657
Epilepticis iecur caprinum noxium est 268
Epilepticis medicamenta conuenientia 122.306
Epimedium 599
Epimelis Galeni, vnedo est 212
Epipactis 679
Epiphyllocarpos 694
Epithymus 470.730.731
Epulotica medicamenta quæ 760
Equi fluuialis testiculus 257
Equinum lac 292
Equinus caseus hippace dicitur 297
Equisetum 622
Equi cauda 622
Equorum calli siue lichenes 271
Erasmus Roterodam. 256. 328.804
Eretria terra 807
Erice & Erica 144
Erica vera 144.145
Erigeron ab eringo differt 667
Erinaceus marinus 235
Erinaceus terrestris 236. 237
Eruca 284.382.383.
Eruca vermis 284
Erui angina, siue Orobanche 384
Eruilia magna 335
Eruum ac eius temperatura 336
Eruũ rubrũ eligendũ 336
Eryngium 453
Erysimum 398
Erysipelas 124.147.398. 665
Escaræ 89

Esula maior 721
Esula rotunda 721
Esculenta recentium piscium 263
Eupatorium 615
Eupatoriũ Auicennæ 616
Eupatorium Mesues Dioscoridis ageratum est 617.632.
Euphorbium 512.513
Euritij Cordi laus 27
Euritius cordus fallitur 731
Expultrix virtus quibus de causis prouocetur 434
Exuuium & spolium anguis 250

F

Faba 326
Faba Aegyptia 327
Faba antiquorũ exigua & rotunda erat 327
Faba crassa 660
Fabæ cõmunes diuersæ ab antiquorum fabis 328
Fabiolum marinũ 640
Faciem mũdificantia 78. 275. 303. 586. 743. 765.
Fagus 181
Far 319
Farrago 317
Febris 30. 87. 153. 189. 197. 221. 245. 271. 275 281. 282. 357. 433. 558. 562. 752.
Federichus à Rocha 199
Fel 304
Fel terræ 2. 440.
Ferri rubigo scoria 760
Ferula 506
Feriola 367
Fex vini 787
Fex olei crocini 66
Febrium putredo 54
Fiber 257
Ficus & eius vires 227
Ficus aegyptia 226
Ficus in imã partem ventriculi descendit 228
Ficus terrestris 723
Filicis & arundinis inimicitia 141
Filicula 736
Filipendula œnanthe est 548. 745
Filix 735
Filix quercus 737
Fistici dicuntur pistacia 222.
Fistula pastoris herba 533

Flammula herba 587
Flos æris non est viride æris 757
Flos amoris 529
Flos arantiæ 211
Flos rosæ qui dicatur 172
Flos thimi 730
Fœniculum 495
Fœniculum porcinum 508
Fœnum græcum, ac eius vires 324
Fœtus mortuus 128. 129. 552.
Fœtum retinere facit 582
Folia oxyacanthæ 151
Folium herba 552
Folium indicum 33
Folliculi senæ 500
Fontinalis herba 673
Fragra 613
Fraxini folia aduersantur veneno 132
Fraxinella geniculata 585. 586.
Fraxinus 132
Fructus austeri post cibum 203
Frutex coriarius 184
Frutex ladanificus 161. 162
Frumentum 312
Fuchsij error 218. 310. 388 463. 509. 554. 630. 634. 650. 651. 665. 769
Fuchsij maledicentia 219
Fuligo pictorum 807
Fuligo picis 17
Fuligo thuris 104
Fullonum herba 404
Fumaria, fumus terræ 680. 681
Fungi 656
Fusus agrestis herba 521

G

Gabriel Mutinensis 494
Gagates lapis 796
Galactites lapis 800
Galbanum 91. 513
ex Galbano cõpositio 91
Galanga crassa 8
Galanga indica 9
Galena quid 763. 764
Galeni elate cephalio est 191
Galeni error 399
Galeni & Dioscoridis cõciliatio 96. 341
Galeni & Dioscoridis discrepantia in Brassicæ viribus 353
Galeno authoritas quanta sit

sit tribuenda 53
Galeno fides adhibenda in herbarum viribus & facultatibus 53
Galenus balsami veri cognoscendi causa in Iudæam nauigauit 49
Galerita auis 278
Galiopsis 664
Galiopsis à Balato differt 664
Galla 183
Galliæ moschatæ compositio 57
Galli & gallinæ 272
Galli testiculi herba 490
Gallinaceorum iecur boni succi 273
Gallinaceum lac 386
Gallinæ morsus, herba 419
Gallinarum esculentũ ius retinendi vires obtinet 273
Gallorum ius subducendi vim habet 273
Gallinarum membra aurum liquescẽs si admisceantur cõsumũt 274
Gallinarum stomachi interior tunica 274
Gallium 666
Gallitricum, herba 556
Gamandrea 526
Gangræna 225
Garum 263
Gaspar de gabriel. Patauinus 12.24.418.566
Gattinariæ historia 272
Gazæ error 439
Gallij opinio de palma non probatur 185
Genista, spartum Dioscoridis 712
Gentiana 435
Gentilis de Fulgineo Auicennæ fidelis interpres 52
Geon lapis 806
Georgius Agricola 764. 774
Geranium 543
Gerardus Cremonẽsis erat 422
Gerardus Orator Caroli V. ad Solymanum 431
Geum Plinij caryophyllata est 598
Gingidion chærefolium est 379
Gittone 509
Gladiolus 599
Gladiolus lutea 601

Glandiferæ arbores 182
Glans sardiana 182
Glans vnguentaria 12. 186.713
Glandis vnguentariæ oleum 75
Glastum, guadum 425. 426
Glauciũ memitha est 423
Glaux 515
Glessium 136
Glessaria vocata insula cur 136
Gleucinum oleum 89
Glutinum 515
Glutinum ex bubulo corio 516
Glutinũ ex similagine 516
Gluten piscium 516
Glycyrrhiza 437
Glycysida 565
Gnaphalium 544
Gobius et cobius piscis 261
Gomorra & Sodoma 119
Gonorrhœa 76.176.177
Gossipion 449
Græca pix quæ 114
Gramen ac graminũ genera & vires 606
Gramen Babylonicũ 609
Gramen aculeatum trium generum 608
Gramen harundinaceum & parnassi 608.609
Gramen molle 590
Grana kermes est karbisinum 623
Granatorum malorũ syrupus quibus dandus 195
Granatorum cortices 196
Granatum malum 193
Gramen Cnidium, Gnidium, Thimelæa, idem 77
Granum infectorium 622
Granum paradysi 16
Granum regis herba 717
Granum tinctorium 622
Granum tritici vel Speltæ crassomõ tritũ 316
Gratia dei, herba 495
Gruaria, herba 543
Guadum 425
Guaiaci ligni aqua quomodo paranda 168
Guaiaci ligni vinum quomodo parandum 169
Guaiacum albũ ne an nigrum eligi debeat 165
Guaiacum lignum 164. 165.166.167

Gummi absolute quid 175
Gũmi Arabici frutex 175
Gummi elemi 179
Gummi iuniperi facultas 126
Gutta 91
Gummi mineum 95
Gummi dragacanthũ 453
Gypsum 788

H

Hamatites lapis 795
Hæmorrhoides 126. 390. 391
Hæmoptoicis 506
Halcyonium 789
Halica 320
Halicacabon 644
Halme 263
Halimus 147
Hammoniacus sal 785
Harmel quid 477
Harundinaceum gramen 606
Harundinis & filicis inimicitia 141
Harundinis & asparagorum amicitia 141
Harundinis omne genus circa radicem efficacius est 140. 141
Hastula regia 410
Hectica 74. 243. 245
Hedera ac eius genera 420
Hedera Cilissa 701
Hedera spinosa 701
Hedera terrestris 691
Hedichroi compositio 90
Helenium 66
Helenium pectori confert, ac eiusdẽ tẽperatura 69
Helioscopos tithymal. 720
Heliotropium 368
Heliotropium maius, minus 741
Heliotropium differt à calendula 632
Helleborus albus, niger 705. 706
Helxine 613
Helxine syssampelos 614
Hemerocallis 549
Hemionitis 559
Hepar Mergi 268
Hepatica herba 627
Heracleon & Herculeon panax 479
Herba alliaria 538
Herba cancri 741
Herba cruciata 667
Herba vitri 561
Herba paris 650

Herba primi floris 676
Herba Sardonia 416
Herba S. Ioannis 556
Herba Venerea 555
Herba trinitatis 597.598
Herba Symeonis 571
Herba venti 418
In herbis coquendis documentum 354
Hercules coronatus oleastro 178
Herculis statua manu tenẽtis cydonia mala 202
Hermodactylus 656
Hermolai Barbari error 72.138.156.386
Hibiscus 517.570
Hibisco falli aues cur dixerit poëta 517
Hieracion maius et minus 489.490
Hieracites lapis 490
Hieremias triuerius super Aphorismos scripsit 732
Hierichontis rosa non est amomum 40
Hippace caseus equinus 297
Hippocampus 237
Hippocrates & Galenus exponitur 749
Hippocratis historia 272
Hippocratis locus 285
Hippoglossus 694.703
Hippolapathus 343
Hipposelinon leuisticum officinarum est 493
Hippuris 622
Hirci barba 161
Hircina herba 575
Hirundinaria maior 422
Hirundo 279
Hirundinũ crematarum cinis 280
Hispana pix quæ 116
Hispani cur raro ad Anatomiæ cognitionẽ perueniant 188
Holosteon 590
Holosteon differt à pilosella 590
Homeri versus de nepenthe 68
Hordeum 314
hordeum Galaticum 319
hordeum murinum 618
hortulanus coquus vel costus 41
hortus Patauij herbis dicatus 708
humanum stercus 307

Hyacinthus 156. 635
hydromalum 751
hydropiper 402
Hydropis remedium 7. 727
hyoscyamus 641
hyoscyaminum oleum 76
hypecoum 641
hypericon 574
hypochyma quid 118
hypocistis 161
hyssopus 459. 460

I

Iacobi manilij error 646
Iacobus Thcobaldus Ferrariensis 756
Iasminum oleum 93
Iasmin quid 94
Iaspis 803
Iberis 231
Ictericis conuenientia 77. 351. 496. 738
Ichtyocolla 516
Idæa radix 619
Idæa daphne 703
Idæus rubus 613
Iecoraria herba 627
Iecori conuenientia 24. 79. 88. 110. 131. 326. 197. 568. 578. 580. 680. 691. 701. 731. 744
Iecur & iociner 267
Iecoris obstructiones 221. 360. 414. 440
Iecur canis rabidi præstãs venenum 268
Iecur Gallinaceorum 273
Ieneliabin de rosis Persicis quid 272
Igne ambustis quæ conueniant 550
Ilex 181
Illustris vallis 110
Imperatores cinnamomi integras arbores Romam portari curarunt 38
Indicum & maius cardamomum 20
Indicum Issatidis succus est 426
Indicus lapis 770
Inguinalis herba 687
Inhame, vocata faba Aegyptia 328
Intestinorũ inflammatio 110
Intestinorum tormina 571
Intestinorum ruptura 597

Intubum 366
Intubus agreſtis 366
Ioannes Agricola Ammonius 122.230
D. Ioãnes Baptiſta quibus locuſtis veſcebatur 277
Ioannes Baptiſta Canānus 278.291
Ioan. Falconerius Anglus 329.381 1494.
Ioannes Gõdulanus 637
Ioannes Rodoricus Luſitanus dictus antea, qui nunc Amatus 230
Ioãnis de Vigo error 594
Iodocus Valareus 741
Iouis glans 182
Iouis barba 629
Iringus 453
Iris apud Galenum 6
Iris Illirica cæteris melior 4
Iris ſyluatica 659
Iris varia 4
Irinum oleum 88
Iſatis ſatiua 425
Iſatis ſylueſtris 425
Iſatidis herbæ ſuccus 426
Iſopyron 689
Iſchias 69.232.398. 440.468.588.
Iua arthetica 577
Iua moſchata 577
Iudaicum bitumen 119
Iudaicus lapis 801
Iuglandes nuces 223
Iuiuba ſerica 218
Iulides piſces 264
Iunctur arum dolores 89. 126.
Iuncus 627
Iuncus auellana quid 14
Iuncus anguloſus, triãgularis, quadratus 15
Iuncus odoratus 43
Iuncus papyri genus 142
Iuniperus 124
Iuniperi gummi ſandaracha Arabum 125
Iuniperi oleum 126
Iunonis roſa 529
Ius album quid 245
Ius piſcium 263
Iuſquiamus 641
ἰξίας venenum 518

K

Kali 561.626
Karum, Kareum 484
Keiri purpureum 552

L

Labrum Veneris 443
Labruſcæ flores ænanthe eſt

est 85. 745
Lac 291. 293. 294.
Lac coagulans herba 666
Lac acetosum 297
Lac cum piscibus non est comedendum 293
Lac dysentericis quomodo dandum 293
Lac gallinaceum 386
Lac generant 126. 548. 700.
Lac mulieribus euocantia 238. 683.
Lac scissile 297
Lacte epoto os lauari debet 293
Lac quibus obsit 293
Lactis serum 294
Lacca non est gummi, sed formicarum stercus 60
Lacca artificialis 60
Lacertæ ac earum species 289
Lacertæ stercus 289
Lacertorum stercus 308
Lachryma draconis arboris 770
Lachrima Mariæ 566
Lachryma oleæ Aethiopicæ 179
Lactaria herba 719
Lactarius lapis 800
Lactuca & eius temperatura 378
Lactucella 364
Lactuca erratica 490
Lacuturris herba 351
Ladanifer frutex 161. 162.
Ladan, et Ladanum 161. 162.
Lætificantia 384. 500. 531. 692.
Lagopus herba trinitatis est 597
Lampsana 344
Lana 299
Lanaria herba 404
Lanceolata 358
Lanceola 569
Lapathum 342
Lapillus mirus 803
Lapis Armenius 768
Lapis belzaharticus 270. 271
Lapis Cyaneus 769
Lapis ex bufone 805
Lapis in felle repertus 304
Lapis renum & vesicæ 51
Lapis Lazuli 769.
Lapis lyncis electri spe-

cies

cies 137
Lapis plumbarius 763
Lappago 716
Lappa maior 678
Lappa minor 698
Laricea resina 106
Laricea resina pro terebinthina vtimur 106.107
Larix arbor qualis 106
Lassitudo 177
Laserpitium 185.510
contra Lassitudinem 562
Laterum dolores 43.99. 221.537.
Lathyris 722
Latifolia & endiuia domestica 368
Lauandula herba 27
Lauer 360
Laurus 130
Laureola herba 704
Laurus Alexãdrina 694
Laurus Alexandrina herba 703
Laurinum oleum 79
Lemnia terra 775
Lens & lẽticula palustris 329.559.
Lens funebre edulium est 334
Lentes nullo pacto concedendæ ægrotis 330.329.
Lentibus non vtendum in pleuritide 330
Lentigines faciei 51
Lentiscus 108.109
Lentiscina resina reliquis durior 109
Lentiscini olei facultas 80.109
Leonhardus Nunius 205
Leonicenus laudatur 10. 36.
Leonicenus errat 27.608. 626.
Leonis dens herba 366
Leonis pes herba 688
Leontopetalon 524
Lepidium 231.415
Lepidij radix an rectè pro costo vsurpetur 42
Leporinũ coagulũ cõcretũ sanguinẽ dissoluit 300
Leporinus pes herba 597
Lepra 139. 143. 323.326. 418. 509. 602. 68.
Lepus marinus & terrestris 251
Lepus superfœtat, & quomodo coeat 252
Leucoion 551
Leucanthemum 94

Leucacantha 452
Leucas 527
Libanus 100
Libanotis 504
Lichen 627
Lichenes equorum 271
Lienis remedia 10. 75. 79. 89. 112. 143. 221. 326. 338. 406. 415. 440. 508. 514. 525. 568. 588. 601.
Lignorum caries 159
Lignum aquilæ 58
Lignum aloes 58
Lignum Rhodium 51
Lignum aloes Rhodiorum 51
Lignum Guaiacũ, Indicum sanctum 164
Liguſtrinum oleum 88
Liguſticum & Libiſticum 480
Liguſtrum 155. 156
Lilinum oleum 87
Lilium 529
Lilium conuallium 659
Lilium cæleſte 3
Lilium ſylueſtre ſeu pallidum 550
Limonium 596
Limones 208
Lina collo viperæ alligata 566
Linaria herba 701
Lingua agni, herba 358
Lingua bouis, herba 686
Lingua ceruina herba 534
Linguæ ariditas & aſperitas 218
Lingua paſſerina, ſeu auis 133
Linum 325
Liquiritia 437
Liquida reſina ex quibus arboribus colligat 114
Liquor Cyrenaicus 510
Liquor Syriacus, vel medicus 510
Lirion 714
Lirinum oleum 88
Lithargyrium 765
Lithocolla 805
Lithoſpermon 506
Liuiſticum vulgare 480
Lobos 335
Loch de althæa 570
Loch de caulibus 354
Loch de pino 108
Loch equorum 272
Locuſta terreſtris 276
Loligo 254

Lolium 322
Lolium murinum 618
Lolij farina ad quid bona 327
Lotium 308
Lotura plumbi 761
Lotus arbor 213. 214
Lotus Aegyptia 685
Lotus satiua & domestica 681
Lotus syluestris 681
Lucius piscis 257
Ludouicus Nunius 431
Ludouicus Viues Valentinus 191
Lumbrici terrestres 291
Lumbricos necantia 20. 97. 126. 223. 244. 457. 470. 509. 602.
Lumbricorũ semen 457
Luminaris maioris author 85
Lunaris herba 646
Lunaris lapis 802
Luparia herba 651
Lupinum iecur 268
Lupinum stercus 307
Lupinus 337
Lupulus herba parum calida 316
Lupus piscis, spigola est 256
Lusitani vocum græcarum maximi seruatores 335
Lutra testiculi 257
Lychnis herba 527
Lycium Dioscoridis non est vulgare lycium 173
Lycy succedaneum quid 173
Lycium indicum 174
Lycopsis 602
Lycoctonon aconitum 651
Lygus 176
Lyncis lapis 137
Lysimachia 582

M

Macer & macis 137
Maderiæ insula cedros fert 129
Mæna & mænula 261
Magnes lapis 798
Maiorana 85. 472
Malabar regio apud Indos 33
Malabatrum 34. 93
Malabathrinum vnguentum 93
Mala medica 208

Malicorium 196
Mali punici domestici flos 195
Malua vnde dicta 349
Malua agrestis 520
Malum, pomum 200
Malum terræ 436
Malum punicum et granatum 193
Mala cotonea, aurea 202
Maluauiscus 570
Manardus Ferrariensis doctissimus fuit 501
Manardus contra Mesuen 408
Manardi error 98. 138. 185. 260. 310. 618
Mandragora 647
Mannæ tria genera 101. 102. 103
Manna Arabum quid 101
Manna supra lapides cadens melior 102
Manna thuris 100
Manuel Reinelius medicus 768
Marassus 248
Marathrum 496
Marcelli Virgilij error 12. 154. 157. 394. 493
Marchasita 795
Margarita consolida 689
Margaritæ vsui medico deseruiunt 239
Margaritæ quomodo nascantur ibidem
Maris spuma 789
Marmoraria herba 449
Maron 474
Marrubium 532. 533
Martagum 530
Martialis locus 349. 357. 412
Mastix 109
Massa sigillaria 118
Massary veneti error 156
Mastichinum oleum 81
Mastix ex Chio insula adfertur 82
Mater sylua periclymenos 544
Mathioli Senensis error 12. 46. 68. 86. 94. 140. 237. 265. 373. 592. 621. 626. 631. 660. 687
Mathiolus Senensis falso Plinium accusat 5. *citat* 67
Mathioli Senensis laus 8. 574. 683.

Mathiolus sibiipsi contradicit 364
Mathiolus Theophrastum ineptè reprehendit 105
Mathæi Syluatici error 354. 598
Matricis apostemata 402
Matricis dolores 79. 87. 89
Matrici cõuenientia 505. 740
Matricis præfocationes 694
Matricaria herba 541
Matri syluia herba 556
Meconium 639
Media pars arboris quæ Galeno 166
Medica herba 387. 570
Medicamẽtis fortibus cur vsi prisci medici 749
Medicamentorũ materia quomodo inspiciẽda 1. 2
Medicamẽtum quare dicatur calidũ, frigidum, humidum, siccum 167
Medicamentium symetron quid 167
Medici antiqui qui 153
Medici officium in re herbaria inuestiganda 1
Medico necessaria est herbarum cognitio 1
Medicum malum 208
Medium herba 598
Medulla citri quo temperamento 210
Medulla ossium animalium 303
Medulla vomitum irritat 304
Megalinum oleum 90
Mel 309
Mel coctum parum purgat 170
Mel crudum subducit alvum 309
Mel venenosum 309
Melampyron 686
Melancholiam purgãtia 500. 731
Melanthium non est vulgaris nigella 508
Melanthiũ subcitrinum 509
Melanthium vera nigella est 78
Melanthium oleum 78
Melia terra 807
Melicratum 748
Melilotum 473

Melilotum falsum 682
Melimela 203
Melinum oleum 84
Melissa citrago 531
Melitites lapis 800
Melopepones sunt vulgati melones 375
Memecyles 219
Memitha 515
Memitha non est corniculatis papaueris succus 640.
Memithe glautiũ est 423
Memphitis lapis 802
Menstrua mouent 13. 43. 45. 122. 177. 182. 326. 361. 398. 415. 476. 481. 496. 509. 527. 537. 599. 691. 710.
Menstrua sistũt 126. 545
Menta aquatica 361
Mendesij compositio 91
Menta Romana costi loco an sumenda 41
Menta Sarracenica 41
Menta syluestris 466
Mentastrum 468
Mera oleum 127
Mercurialis, & ex huius succo syrupus 739
Mergi iecur, venter 268
Merum, antidotum cicutæ 654
Mespilus 212
Mesue pharmacopolarum princeps 74
Mesue errat 455
Metopion 91
Metella nux 224
Metopium galbani lignum est 91
Meu Athamanticũ 10
Meu in montibus Bononiẽsib. reperitur 11. 24
Meu in hispania herba vulgata 11.
Meu tortuosum fœniculum, & verum in Italia nascitur 11. 12.
Meum, & Galeni meum & eius vires 10
Mezereũ chamælaa est 441 704. 725
Milesium 790
Milium 320
Milium solis 568
Millefolium 674
Milefoliũ aquaticũ 685
Mille pedes vermes 265
Mille perforata herba 574
Minea myrrha optima

Galeno 61
Minium naturale 770
Miſy 778
Miua citoniorum ſyrupus 202
Mollia quæ dicantur 254
Moli 479
Molybdæna 763
Momordica 544
Monachorũ meſuen enarrantium error 10.44. 60. 154.
Morbi ex pura bile 199. 209.
Morion ſpecies mandragoræ 648
Morochthus lapis 800
Morus 225
Mortuorũ cõditura quæ mumia 121
Mortuũ mare quod 120
Moſchatæ roſæ vel Alexandrinæ 171
Moſchus 55
Moſchus vnde colligit 55
Mulleus & mullus color 255
Mullus piſcis 255
Mulſum 748
Mumia Arabũ quæ 120
Mumia vera 122
Mundella Brixiẽſis 587 772
Munſteri Germani error 92
Muralis herba 613
Mures 292
Muris cauda, radix 635
Mus araneus 291
Muſculi 240
Muſcus arborum 54
Muſcus arborum probdellio 98
muſcus marinus 668
muſcus in quibus aboribus habeatur 54
muſteum oleum 89
muſtela 258
muſtela quibus ſe munit pugnatura contra ſerpentes 365
mutinẽſis ager naphtham habet 122
myoctonon aconitum 650
myrepſicum oleum 75
myoſotis 424
myrice 143
myriophyllum 685
myrobalanus glans vnguentaria 186. 713
myrobalanorũ ſpecies 187. 189

myrrha 94.97
myrrha Bœotica 97
myrrhæ arbor qualis 95
myrrhæ flos 91
myrrha vulgaris non eſt bdellium 96.98
myrrhis, cicutaria herba eſt 685
myrtinum oleum 78
myrtites & myrſinites tithymalus 719
myrtus 196
myrtus ſylueſtris 703
mytuli 240.241
myxa & myxaria 218

N

Napellus herba, napellus moyſis 551.552
Naphtha 122
Napi 394
Napum 339.691
Napum ſylueſtre 344
Narantium pomũ 208.210
Narcapthon vel naſcaphthon 59
Narciſſus 714
Narciſſus varius 87
Narciſſinum oleum 87
Nardus 25
Nardus montana 28
Nardus ruſtica 29
Nardinũ vnguentum 93
Narium fœtor 89
Naſturtium 395.396
Naſturtium ſylueſtre 231.415
Naſturtiũ aquaticũ 362
Naſturtium Oriẽtale ſeu Babilonium 398
Nauium pix 118
Naxius lapis 806
Nenuphar 557
Nepenthes enula Aegyptia eſt 67.68
Nephritis 137.442.452
Nerium 655
Neruorũ ægritudines 325
Neurax & poterion idem 448
Nicandri ſentẽtia de Coriandro 487
Nicandri ſcholiaſtis error 145
Nigella 508
Nitrum Græcorũ & vulgare 786
Nitri ſpuma 787
Nucis moſchatæ cortex 137
Nuclei pinei 108
Nucum oleum 75

Nux,& nuces regiæ 223
Nux metella officinarum, vomica Serapioni est, & contra 224
Nux Pontica 224
Nux moschata 138
Nux Indica 189
Nux Vomica 224
Nyctticoracis sanguis 306
Nymphæa 557

O

Obolus quid 328
Ochra terra rubra 770
Ochron eruilia vulgaris est 336
Oculis vtilia 304. 440. 532. 690
Oculus cati, herba 695
Oculorum vitia 100. 164. 239. 289. 351. 408. 556. 592. 680. 763. 796. 724.
Ocymastrum 605
Ocymum 383
Ocymũ gariophyllatũ 383
Ocymum aquaticum 605
Ocyminum oleum 86
Oenanthinum oleum 84
Oesypus 299
Oenagra 686
Oenanthe 85. 548. 744. 745
Olea agrestis 178
Oleaster 178
Olei varia genera 69 & deinceps
Oleum quanã amant 130
Oleum & vnguentũ differunt 82
Oleum album 71
Oleum de alkana 88
Oleum alterci herbæ 70
Oleum de Ben Arabum 75. 713.
Oleũ è croco hortulano 77
Oleũ de grano Cnidio 77
Oleum de hypericone 575
Oleum de thymelæa 77
Oleum ex lino 325
Oleum de Cherua 72
Oleum è Carthamo 77
Oleum ex oliuis 69. 70
Oleum herbæ Apollinaris 76
Oleum ex vitello oui 275
Oleum palmarum 71
Oleum petroleum 122
Oleum de cataputia maiori 72
Oleũ de pentadactylo 72
Oleum de myrabolano 75
Oleũ è semine radiculæ 77

Oleum de nigella 78
Oleum ex amaraco 85
Oleum de basiliconis foliis 86
Oleum è radice iridis 88
Oleum ireos 88
Oleum è Parthenio 90
Oleũ de Cotula fœtida 90
Oleum hedychroum 90
Oleum de zambac 93
Oleum saxi 122
Olibanum officinarũ est Græcorum manna 100
Oliuæ drupæ quæ 179
Oliuæ salsæ & cõditæ 179
Olus atrum 493
Olus siculum 355
Olus aureum 349
Olyra 317
Omphacium 745
Omphacinũ oleũ 69. 70
Omphacomeli 751
Onisci & Aselli vermes 265
Onitis origanus 462
Onix piscis, conchula Indica, & vngula odorata 241
Onobrychis 574
Ononis 451
Onosma 557
Onyx lapis 800
Ophites lapis 804
Opij amaritudo 639
Opium differt à meconio 639
Opobalsamũ quid & vnde aduehitur 49
Opocalpason Plinius opocarpathum appellat 96
Opoponax liquor 479
Orchis 553
Orci tunica herba 418
Oreoselinum 492
Orfanum lapillus 803
Origanum asininum, syluestre, hircinum 462
Origanum heracleoticum 461
Orminium 475. 556.
Ornithogalon 386
Orobanche vnde nomen traxerit 384
Orobus 336
Orthopnœa 308. 482. 509. 540.
Oryza 319
Os cordis ceruini 281
Ossifraga auis 277
Ostracites lapis 805
Ostrum 238
Ossyris herba 701

Othonis Brunfelsij error 416. 579. 598. 608. 634. 667.
othonna 423
Ouidij locus de hyacintho 636
oui candidum 274
ouium sordes 299
ouum 274
ouũ frigidũ in primo 276
oxyacantha 150.151
oxalis 343
oxalme 263.750
oxycroceum 66
oxylapathum 349
oxymel 750
oxymel scilliticum 414
oxyceraſum 197
oxys 681
oxyſaccharum quid 195
oxyſacchara 752
oxytriphyllon 344.536 681

P

Padus populifer 134
Pæonia 565
Pagana lingua 694
Palea Camelorum 43
Paliurus ac de eadem variæ ſententiæ 148
Palma agreſtis 189
Palma arbor 185.186
Palma Chriſti herba, 554.717
Palatiũ leporis herba 364
Palmeum vinum 752
Palmula Thebaica 188
Palmyrarum varius vſus 72
Panax 479
Pancratium 414
Pandectarij error 592
Panicum 321
Panis cuculi, herba 681
Panis ex caſtaneis paratus 183
Panis lauatus 314
Panis porcinus 405
Panis quinque genera 313
Papauer albũ, nigrũ 638
Papauer & eius variæ ſpecies 637.638.639. 640
Papyrus 142
Paralius tithymalus 720
Paralyſis 127.518
Parietaria 613
Parius lapis 805
Parotides 298.326.663
Parthenium 563.613
Parthenium amaracus eſt apud Dioſcor. 86.90

Partum iuuant 494
Passa Corinthiaca aluum purgat 745
Passerculorũ herba 404
Passerina lingua, seu auis lingua 133
Pastilla Hispanorum 62
Pastilli de violis 173
Pastilli rosei 173
Pastinaca piscis 252
Pastinaca erratica 480
Pastinaca sylvestris 481
Pata leonis 524
Paulus Iouius 230
Paulus Iouius decipitur 235
Contra Pectoris vitia 7. 74. 76. 77. 150. 183. 218. 221. 324. 410. 442. 540. 579. 686. 698. 745.
Pedicularis herba 710
Pelecinus 557
Pentaphyllum 617
Penticoccon 212
Peplis & peplium, peplum 723
Perca piscis 264
Perditium herba 613
Periclymenos 594
Persea arbor 229
Perseæ arboris flores 172
Persica & Persea idem 229. 230
Persica poma 203
Persicaria non maculata 402
Personacia 678
Peru noua regio Balsamũ subministrat 48
Pes lecti, herba 523
Pes coruinus, herba 415
Pes leonis, herba 688
Pes leporinus, herba 597
Pestis 245. 282. 441. 582. 587.
Pessi ex vitellina medulla 304
Pestilẽtes morbi 209. 271
Petasites 679
Petilium 530
Petri Criniti locus 104
Petroleum siue oleum saxi 122
Petroselinum 492
Petroselinũ vulgare 492
Petroselinum marinũ 363
Petrus Brandanus frater Amati 711
Petrus Fernandus 194
Peucedanum 507
Phalangium 288. 535

Phalaris herba 568
Phaselus 387
Phaselus smilax est 336
Phasiolus, vel phaseolus 336
Philanthropos herba 518 678
Phleon 591
Phillyrea 158
Philyra, tilia est 158
Phlegmone iecoris, stomachi 45
Phœnix herba 323. 618
Phreneſis 76
Phrygius lapis 792
Phu, noſtra eſt Valeriana 31
Phycides piſcis 263
Phyllitis 534. 566
Phthiſis 74
Picea arbor 104. 108
Pici bitumen 121
Picearum vel pinorum erucæ 285
Picis fuligo 117
Picis facultas 118
Picinum oleum 116
Pimpinella 524
Pinaſter 105
Pinei nuclei 108
Pingue æſtuoſum 302
Pinguedo 300. 302
Pintianus vir doctiſſimus 512
Pinus 104
Pinus humilis 577
Piper 399
Piper agreſte 176
Piper longum 399
Piperis genus calidius quod 399
Piper Indicum fructus rubri pyramidalis 20
Piperella ſecunda Iberidis ſpecies eſt 233
Piſſaſphaltus 120. 121
Piſces ſaxatiles 263
Piſces ſine ſenſu viuentes qui 267
Piſcis columbus 255
Piſtaria fiſtici dicuntur 222
Piſtolochia 437
Pituitam ſoluentia 30. 415. 418. 515. 731.
Pitynon phyſema 115
Pityides 108
Pityuſa 721
Pixacantha 173
Pix Colophonia quænam officinis 114

Pix Græca quæ 114
Pix nigra 117
Pix liquida & ſicca 116
Pix naualis 117
Pix quomodo paratur 117
Pix cedri 129
Plantago ac eiuſdem ſpecies 358.359
Plantago aquatica 573
Platanus 131
Pleuritis 271
Plinius à calumnia defenditur 29.495
plinius contradicit Dioſcoridi 547
Plin. doctiſſimis viris ſæpe aberrãdi anſam dedit 23
plinij error 106.132.141. 249. 361. 396. 438. 451. 528. 533. 556. 592. 701
plinij inanimaduertentia 23
plinij locus 9.26
plinius inconſtans 625
plinius poſt Dioſcoridẽ annos vixit 125 117
plumbum elotum 761
plumbi recrementum 761
plumbarius lapis 763
plutarchus ab Ariſtotele diſſidet 247
pnigites lapis 807
podagra 76.141.437.
polemonium 587
polemoniũ, giarca eſt 700
polium 537
polycnemon 523
polygalum 700
polygonatum 453.585
polygonoides vocata clematis 585
polygonium 443
polygonon 584
Polyphorum vinum poſt fructus bibendum 746
Polypodium 736
Polypus 254
Polytrichum 698
Poma aſſa vel cocta à cibo comedenda ſunt 202
Pomorum varietas 200
Poma quæ accipienda pro ſyrupo conficiendo 200
Pomum granatum 193
Pomum inſanum, melazanum, cupidinis 648
Pomum terreſtre 647
Pomata ſiue ſepum confectum 303
Pompholyx, bulla 755

Pontica nux 224.225
Populus arbor 134.135
Porcelletta Italica vox 240
Porcinum roſtrum 366
Porci talus 280
Porrum 532
Porrum agreſte 390
Porrum capitatum 389
Porrum vinearum 390
Portulaca 356
Portulaca ſylueſtris 427. 661
Poterion & neurax idem 448
Precocia mala 208
Praſium, marrubium 390.532
Preſſura herba 666
Principum & ciuitatum auaritia 26
Propolis 311
Proſerpinaca 584
Prunum 216. 217
Prunorum ſylueſtrium ſuccus 174
Pſoras detergentia 20. 326. 592. 600. 680. 711. 783.
Pſoricum 777
Pſyllium 642
Pterygophoros lapis 308
Ptiſana colata & non colata 315
Pulegium 463
Pulegium montanum 523
Pulicaris herba 642
Pullus ex albo oui gignitur, ex luteo nutritur 274
Pulmonis vitia 150. 221. 323. 532. 579
Pulmo marinus 267
Pulmones nonnullorum animalium 267
Pulmo ſuillus 267
Pulmonaria 673
Pumex 784
Punicum malum 193
Punici mali domeſtici flos 195
punici ſylueſtris flos 196
purgantia medicamenta naturæ humanæ contraria 715
purpura quid 238
putredines 174
pyra agreſtia 211
pyrethrum 403. 503
pyrites lapis 795
pyrrhus Luſitanus 204
pyrum & pyrorum genera

nera 211

Q

Quadrupedum adeps 301
Quercus & robur 180
Quid pro quo vocatus libellus 51
Quinque folium 617
Q. Calabrum vertit Iodocus Valareus 741
Contra Quartanam 397.494.680

R

Rabbinus Moyses de Aegypto 183
Rabie possunt affici homines 215
Radicula rhaphanus 340
Radicula herba 404
Radix consecratrix 3
Radix ponti 430
Radix sylvestris 729
Radix Idæa 619
Radix Rhodia 620
Ramel quid 311
Rana, & rana piscatrix 259
Ranunculus 415
Rapa beyarana 338
Raphaninũ oleum vomitum proritat 78
Rapistrum 398
Raponeolus, sylvestre rapum est 339
Rapum & rapa 338
Rapæ ingentis magnitudinis 338
Rasilis arugo 760
Razis liber de 60. animalibus 236
Razis locus 332
Recentiorum error 36
Regiæ nuces 223
Regionum varietas differentiam parit 230
Remel 311
Regius flos 529
Regius morbus 280. 628.637.710.
Reinosius medicus doctissimus 711
Remora aratri 451
Renibus conuenientia 83. 87. 221.326.645.761
Renum obstructiones 360
Resina liquida 107.114
Resina sicca abietis morbus est 114
Resina lentiscina 112

Resinæ quæ oleum, quæ aquam, quæ neutrum volunt 130
Resina laricæa 112
Resinarum facultates à Galeno descriptæ 114
Resina strobilina 114
Resinarum præstantissima quæ 115
Resta bouis 451
Rhabarbari facultates tres 433
Rhabarbaro nõ est adden da spica nardi 26.433
Rhabarbaro cinamomum miscendum 24
Rhabarbaro Mesues tribuit quæ Rheo debentur 432
Rhabarbarũ ponticũ 430
Rhagades 137
Rhamnus 146
Raphanus radicula 340
Rhaponticum 430
Rheon Galeni & quomodo adulteretur 432
Rheu aluum subducit 113
Rheumatici affectus 440
Rhodia radix 620
Rhodium lignum 51
Rhododaphne 655
Rhus obsoniorũ & coriariorum 184
Ribes 153
contra Rigores 423.469
Ricininum oleum 72
Ricinus 717
Risus Sardonius 416
Risum mouentia 65.416
Rizum 319
Robertiana, Roberta herba 544
Robur & quercus 180
Ros Syriacus vel Cyrenaicus 185
Rosa hierichontis non est Amomum 40
Rosa & eius species 169
Rosæ Alexandrinæ vel moschatæ 171
Rosa Junonis 529
Rosæ exũgulatæ quæ 172
Rosæ incarnatæ solutiuæ sunt 170
Rosæ frutex, & temperatura 172
Rosæ partes 172
Rosam syluaticam quid vocet Scrib. Largus 162
Rosaceum oleum vel vnguentum 83

Rosaceum vinum 752
Rosaceum zuccarum 169
Rosatus syrupus solutiuus 171
Rosci pastilli 173
Rosmarinus 504
Rostrum porcinum, herba 366
Rubea minor 519
Rubea sylvestris 519
Rubia tinctorum 568
Rubigo ferri 760
Rubrica fabrilis 774
Rubrica sinopis 774
Rubus 612
Rubus canis 154
Rubus idæus 613
Ruellij error 7.16.20. 27.42.106.146.147. 157.321.399.402. 406.445.453.498. 582.608.626.630. 668.740
Rufus Ephesius 162
Rumex, eius species 342
Ruscus 703
Rusticorum theriaca, allium 392
Ruta 476.477
Ruta capraria 587
Rutinalis herba 505

S

Sabellica brassica, vel caulis flos 352
Sabina 127
Sacerdotis virile herba 409
Sacola, vel cardamomum maius Arabũ, nigella citrina est 20
Sagapenum 511
Sal, & salis spuma, & flos 764
Sal alkali 561.784
Sal Hammoniacus 785
Sal Indicum 310.785
Salamandra 287
Salamandra comburitur 287.288
Salax eruca cur dicta 382
Salicaria 582
Salicornia herba 561
Saliua 308
Saliunca 27
Salix, & salicis flores 177
Salix equina 622
Salmaticenses simplicium curam nullam habent 188
Salmonetus Hispanorum 256
Salmuria quid 263

Saluia 464
Samia terra 807
Samius lapis 807
Sambacinum oleum 93
Sambucus 727
Sampſuchinum oleum 85
Sampſuchus amaracus 85. 472
Sampſuchus 322
Sandalus ruber non eſt aſpalathus 59
Sandalorum tres ſpecies 59
Sandaracha foſſilis 781
Sandaracha græcorũ quæ 126
Sandyx, ceruſſa vſta eſt 766
Sanguinaria, & ſanguinalis herba 584
Sanguinarius lapis 795
Sanguis columbæ 305
Sanguis caninus 306
Sanguis 305
Sanguis concretus 299
Sanguinem mundificãtia 680.731
Sanguis draconis quid 611.771
Sanguis ex naribus 126. 442
Sanguis per vrinam 337
Sanguis nyctícoracis 306
Sanguinem ſiſtentia 183. 360. 398. 426. 445. 466. 584. 592. 610. 622.628
Sanguis ſalubriter bibi poteſt 307
Sanguinis expuitio 109. 182.398.589.612
Sannicula 589
Santonicum abſinthium 457
Sapo & vitrum ex qua herba conficiantur 626
Saponaria herba 404
Sapphirus lapis 802
Sarcocolla, ſiue carnem glutinans 514
Sardiana glans 182
Sardonia herba 416
Sardonius riſus prouerb. 416
Sarmentorum cinis 788
Satureia 471
Satyrion triphyllon 554
Sauina 127
Saxatiles piſces qui 263
Saxifraga 595
Saxifraga rubea 550
Saxifraga recentiorum, non

non est Dioscoridis saxifraga 596
Scabiosa herba 591
contra Scabiem 591.600. 777
Scammonia 724.725.
Scariola 367
Scarlea, sclarea 476.556
Scarlea orminium græcorum est 476. 556.
Scincus 290
Schistus lapis 796
Schœnanthum 43
Schœnanthum facile veteraſcit 44
Schœnanthi temperatura 44
Scilla 413. 414
Scilliticum acetum 414
Scilliticum vinum 751
Scirrhi 87
Scolopendra 246
Scoletia ærugo 760
Scolopendria 559
Scolymus 446
Scopa regia 691
Scordium 394.538
Scoria ferri 760
Scorodon 392
Scorodo praſon 394
Scorpio terreſtris 245
Scorpio marinus 246
Scorpij occiduntur ſalina 309
Scorpioides herba 742
Scrophularia 423. 665
Sebeſte fructus 218
Secacul herba 454.585
Securidaca 556
Sedum maius & minus 660
Selago 128
Selenites lapis 802
Selenuſia terra 807
Selinon petroſelinum vulgare eſt 490
Semen citri quid 209
Semperuiuum marinum 454
Semper viuum maius 660
Sena herba 498. 499. 500. 501
Senecio 667
Sentis canis 154
Sentis rubus 612
Sepia 254
Seplaſiariorum error 361
Sepum caprinum 300
Seps lacerta 289

Septineruia 358
Serapinum 511
Serapio exponitur 224
Serapionis error 55. 60. 688.
Serapionis interpretis error 16.212.216.
Serichatum Plinij narcaphthum Plinij est 59
Seriola 367
Seriphium 457
Serpentaria herba 406
Serpentarius lapis 804
Serpillum 471
Seri lactis temperatura 294.296
Sertula campana 473
Serum napum 344
Sesamum 322.323
Sesaminum oleum 75
Sesamoides placẽtulæ 322
Sesamoides magnum & minus 708
Seseli Aethiopicum, peloponnesiacum, creticum 482
Seseli Massiliense 481
Setanium mespilum 212
Sicla 355
Sicyonium oleum 71
Sideritis, solastrum 609
Sideritis secunda & tertia 610
Sidia 194
Sigillum Salomonis 585
Sigillum Mariæ 585
Silanus in nonum librum Rasis scripsit 430
Siler montanum 481
Siligo 317
Siliqua dulcis 198
Siliquastrum 402
Silphium 510. 511
Silurus piscis est sturno 260
Silybum 713
Sinapi 394
Sinapi rusticum 397
Sinapinum oleum 78
Sinapius Germanus vir doctissimus 94
Singultus 362. 437
Siser vel Sisarum 341. 342
Sison vel Sinnon 483
Sisymbrium 361. 362
contra Sitim 153. 188. 197. 209. 370. 438.
Sium, vel Sion herba 360

Smaris piscis 261
Smilax hortensis 387
Smilax arbor 654
Smilax aspera, lenis 701. 702
Smyrnion 493
Sodomeum stagnum 119
Solanum esculentum 643
Solanum furiosum 645
Solanum somnificũ 644
Solanum vesicarium 644
Solaris herba maior & minor 741
Solatrum 645
Soldanella 354
Solea calceamenti 272
Solis sponsa herba 631
Solidago 589
Solsequium 632
Somnifica 384. 485. 488. 627. 641. 644. 645. 693.
Sonchus 364
Sorbum 215
Sory 779
Sparganium spatula fœtida est 600
Spartum 712. 713
Spasmus 89. 127
Spelta 316
Spermaria herba 740
Sperma quæ augent 74. 76. 190. 326. 382. 391
Sperma minuunt 176
Spicanardus radix est 21. 23.
Spicanardi rhabarbaro non est addenda 26. 433
Spicanardi vera abundamus 93
Sphondylium & spondylium 505
Spina acuta 150
Spina Aegyptia 174
Spina alba bedeguar est 444
Spina alba differt ab alba spina 444
Spina Arabica vel Aegyptia 445
Spina buxea 173
Spinachia 343
Spinachia atriplicis genus est 350
Spodium cinerula dicitur 755
Spodium 755. 756.
Spodij loco quænam habentur

bentur 179. 188. 757.
Spongiæ 791
Spongiarum lapis 805
Spuma argenti 765
Squama æris 758
Squilla 413
Stachys 533
Stacte 91
Stacte, storax liquida est 91
Staphis agria 710
Statij Papinij locus 62
Stellaria herba 687
Stella maris herba 364
Stella terræ 648
contra Sterilitatem mulierum 688
Stercus 307
Stercus lacertæ 289
Sternutamentaria herba 403
Stibium, antimonium est 763
Stimmi alcohol 763
Stirpium differentia 3
Stœbe 591
Stœchas 460
Stœchas citrina 630
Stomachi morsus 24. 79. 280.
Stomoma 758
Stomachum roborantia 33. 79. 84. 390. 432. 455. 598. 743. 745. 747.
Stomacho aduersantia 391. 348
Storax calamita 97
Stratiotes fluuiatilis, aquaticus 674
Stranguria 567. 574. 585
Strigmenta balneorum 71
Strobili 108
Strobilinæ resinæ vires 114
Strobilus 446
Struthion 404
Stryges vere reperiuntur 305
Sturio piscis 260
Sturni cicuta nutriuntur 653. 707
Styrax 97
Styrax cur purulentus reperiatur 98
Suber arbor 181
Succharum 309. 310
Succhaha Arabum quid 445

445
Succharum rosaceum ex quibus rosis conficiatur 170
Succinum 136
Succus lycij 173
Succotrina aloê 454
Sudorem sistentia 84
Sudorem cientia 87.574.
Suilli fungi 656
Suillum lac 292
Suillus adeps omnium humidissimus 300
Suillus pulmo 267
Suis talus 280
Sumach 184.185
Sulphur 783
Supercilium Veneris, herba 610
Surditas aurium 51
Susinum oleum 87
Sycomorus 226
Symeon Sethy 384
Symon Sosiensis pharmacopola 695
Symphytumpetreum 588. 589
Syncope 201
Syracusana pruna 216
Syriacus succus 510
Syriacæ herbæ succus 515
Syriacus vel Syrenaicus ros 185
Syrupus de acetositate limonis 210
Syrupus de cichorea examinatur 338
Syrupus de succo Mercurialis 739
Syrupus rosatus solutiuus 171
Syrupus violaceus solutiuus 689

T

Tagus aurifer fluuius 773
Talasineria herba 668
Talchum 806
Talus suis 280
Talus à malleolo differt 280
Tamarindus 168
Tamarix & Tamariscus 142
Tanacetum 542
Tarantola genus phalangij 288
Tarraxacon 566
Tarum Aëtij, Plinij 58

Taurocolla 516
Taxil quid 330
Taxus arbor 654
Telephium 426.661
Tellinæ 241
Telinum oleum 85
Tembul Arabum mala-bathrum est 34
Terebinthus ac eius natura III.112
Terebinthina, vulgaris laricis est 107
Terebinthinum oleum 80
Teredines necat resina cupressi 124
Terminalium 66
Terra Lemnia 775
Terra rubra ex fornacibus 807
Terræ vermes vel intestina quæ 291
Testiculus castoris 257
Testiculus canis 553
Testiculus lutræ 257
Testiculus equi fluuialis 257
Testiculorum dolores 76
Testudines & harum pulpamenta 245
Teucrium pimpinella 524
Texendi ars ab araneo accepta 289
Thalassomel 749
Thalictrum 668
Thapsia 711
Thapsus barbatus 675
Theodorus Gaza 336
Theophrasti locus 192
Theriaca ex tribus rebus 223
Theriaca rusticorum 392
Theriaca falsa ab Arabibus paratur 91
Thlaspi 397
Thomas Lucensis pharmacopola 52
Thoracis fluxiones 24
Thracius lapis 798
Thus & eius genera, cortex & vsus 99
Thuris fuligo 104
Thuris manna 100
Thyites lapis 801
Thymbra 471
Thymiama 59
Thymus 470
Thymi flos 730
Thymelæa 726
Thymoxalme 750
Thynnus piscis & eius

partes 262
Tiberius Cæsar siser è Germania Romam asferri curauit 342
Tilia 158
Tipha à typha differt 317
Tithymalorum septem genera 718
Tomentum herba 544
Tordylum vel Creticum seseli 482
Tormentilla secunda bistorta est 581
Torpedo 247
Toxicum vnde dictum 649
Tragacantha 453
Tragium 625
Tragus 318. 626. 627
Tragopogon 385
Tragoriganum 462
Trasi 14
Tribulus 594. 595
Trichia 256
Trichomanes 698
Tricoccon mespilum 212
Trifolium 536. 681
Trifolium Burgũdiæ, siue magnum 388
Trifolium odoratum 682
Trifolium satiuum, acetosum 681
Trifolium syluestre 682
Trigla & cur sic dicta 255
Trincauellius Venetus medicus doctissimus 787
Trinitatis herba 597
Trissa 256
Triticum 312. 313
Triticum aliquando in lolium transit 323
Triticum nigrum 686
Tripolium turbit 296
Triton apud Olyssiponenses 239
Trixago, trissago 526
Trixago aquatica 538
Trochisci Alandach 730
Trochisci è rosis 173
Troglodytes 279
Tuber & tubera terræ 387
Tubera erumpunt tonitru 387
Tunica interior stomachi gallinarum 274
Turbit album radix alypi est 696
Turbit nigrum 721

Turbit album 721.731
Turdus sibi malum cacat. Prouerb. 518
Tussilago 139
Tussis remedium 7.88. 97. 439. 552. 540. 589
Tutia vulgaris non est pōpholyx, sed Cadmia 754. 785
Typha differt à tipha 546
Typographorum atramentum 116

V

Vacinia non sunt hyacinthi 156
Valeriana maior theriacaria herba dicitur 31. 32
Vallis illustris 120
Valentiana 31
Varolus Venetorum 257
Venæ sectio vnde adducta 257
Veneno aduersantia 122. 132. 209. 282. 365. 393. 523. 589. 652.
Venenosum mel quod 309
Venenum in cantharidibus 285
Venenum canis rabidi repullulat 244
Venerem prouocantia 57. 133. 190. 212. 361. 382. 411. 555. 556
Venerea herba 7. 555
Veneris corona herba 361
Ventriculi coctionem iuuantia 9
Ventriculo conuenientia 24. 59. 110. 201. 203. 214. 222. 441. 531
Veratrum albū, nigrum 705
Ventris fluxiones 24. 79. 84
Verbascum 675
Verbascum Idæum 67
Verbenaca recta et supina 633
Vermes necantia 357. 668.
Vermicularis herba 427. 661
Vermicularis ærugo 760

Vernix quomodo paratur 126
Verrucaria 741
Vertemnum 609
Verticillaris herba 505
Vertigo 122
Veſicæ dolores 568
Veſpertilionis ſanguis 306
Vetonica 579
Vigiliæ 377
Vina, aqua marina concinnata 751
Vina varia ex diuerſis plantis 753
Vinca peruinca 586. 704
Vincentius caprilis 498
Vinearum porrum 390
Vinum 745
Vini fex 787
Vinum abſinthites 753
Vinum Albanum 747
Vinum cotoneorum 751
Vinum Cretenſe 747
Vinum debile 746
Vinum ligni Guaiaci quomodo parandum 169
Vinum melitites 747
Vinum Maluaticũ 747
Vinum ex baccis myrti 752
Vinum Hippocraticum 753
Vinum medietatis 746
Vinum ex pyris 751
Vinum granatorum acidorum 752
Vinum nouum 747
Vinum reſinatum 752
Vinum roſaceum 752
Vinum ſcilliticum 751
Vinum vetus quale dicatur 746
Viola alba 551
Viola purpurea 689
Vipera & qui de illa ſcripſerint 248. 249
Viperæ partes extremæ an amputandæ 250
Viperarum adeps 301
Viperina herba 408
Virga cerui 269
Virga paſtoris 443
Virgæ vlcera 760
Virgilij et Columellæ conciliatio 156
Virgilij locus 156. 475. 613
Viride æris 760
Vis naga Dauci genus 497

Viſcum 517
Viſci lignum 518
Viſum acuunt 80. 423. 723
Vitellus oui 275
Vitex piper agreſte commune 176
Vitia ſylueſtris 388
Viticis genera 176
contra Vitiliginem 602. 662
Vitis vinifera 749
Vitis agreſtis 732
Vitis alba, nigra 733. 734
Vitis hederacea 614
Vitis & braſſicæ inimicitia 353
Vitri herba 614
Vitriolum 776
Vitriolum Romanũ 779
Vitrum ex qua herba conficiatur 626
Vlcera 122. 152. 140. 143. 157. 160. 174. 236. 323. 326. 360. 408. 420. 440. 456. 459. 485. 495. 508. 530. 538. 552. 561. 578. 584. 635. 645. 757. 758. 762. 780. 796.
Vlmus 139
Vltramarinum 769
Vmbilicus terræ 405
Vmbilicus veneris 663
Vnedo 211. 219.
Vnguenti & olei differentia 82
Vnguentaria glans 75. 186. 714.
Vnguentorum confectiones 82
Vnguentum roſaceum 83
Vnguentum elatinum 83
Vnguis in roſa quid 172
Vnguẽtum cinnamomum 92
Vnguinalis herba 629
Vnguis aquilæ herba 365
Vngula caballina 539
Vngulis odoratus 242
Vngulæ animalium 271
Vnicornis cornu vera nota 283
Vnicornium efficax antidotum 281
Vocem clarificantia 76
Volubilis ſpinoſa 701
Volubilis parua 614
Volubilis maior 702

Volucrum maius, herba 594
Vomitum irritantia 78. 282. 304. 348. 351. 573. 714.
Vomitum sistentia 79. 84. 126.
Vrceolaris herba 614
Vrina 307. 308
Vrina hominis omnium imbecillima 308
Vrinam prouocantia 13. 24. 33. 43. 45. 47. 99. 112. 286. 326. 337. 349. 361. 363. 382. 391. 447. 454. 476. 481. 496. 497. 537. 559. 585. 596. 601. 645. 691. 734. 743
Vrinam in potu Galenus non dat, Auicenna dat 308
Vrinæ ardor 74
Vrinalis herba 701
Vrsinum allium 393
Vrsorum adeps 301
Vrtica & eius genera 663. 664
Vsnea 54. 626
Vsta omnia si lauentur mitia redduntur 434
Vteri inflatio 544
Vteri dolores 586
Vua 714
Vua passa 744
Vua crispina vel marina 153
Vua taminia 710. 734
Vuandalorum regio 756
Vulnera 51. 118. 120. 137. 225. 275. 289. 305. 362. 398. 408. 426. 576. 578. 582. 584. 586. 589. 622. 623. 674.
Vulpis pulmo 267
Vuluaria 740
Vuluæ procidentia 109

X

Xanthion lappa minor 698
Xylo balsamum 48. 50
Xylo balsamum verum 48
Xiphium Plinij 599
Xyris gladiolus purpurea est 600
Xylocaraton 198

Z

Zea 316
Zedoaria 402
Zeilam insula apud Indos 36
Zibettum quid 56
Zigi herba 545
Zingiber 401
Zizipha 218
Zopissa 118
Zurumbet 402
Zythum 315

FINIS.

UNIVERSIDADE LIVRARIA DA

UNIVERSIDADE DE LISBOA

IN PEDACII DIOSCORIDIS ANAZARBEI DE MEDICA materia Librum primum, enarrationes Doctoris Amati Lusitani Medici præstantissimi.

ENARATIO IN DIOSCORIDIS PROOEMIVM.

QVOD MEDICVS non solùm herbarum ac simpliciũ medicamentorum notitiam tenere debeat, verum etiam eorum differentias, naturas, positiones, tempus collectionis, ac reposituram obseruare, in præsentia monet Dioscorides: cuius verba Galenus sapientissimè, vti solet, animaduertens lib.iij. de Compositione medicamentorum κατὰ γένη, id est, per genera, ita suadet, inquiens: Hinc enim puto bonæ indolis iuuenes incitatum iri, vt medicamentorum materiam cognoscant, ipsimet inspiciẽtes, non semel aut bis, sed frequenter: Quoniam sensibilium rerum cognitio sedula inspectione confirmatur, cuius rei indiciũ est euidentissimum, q̃ gemelli per omnia similes esse nobis visi, differentes iis qui ipsos inspicere consueuerunt, videantur. Itaq; herbarum, fruticum, & arborum materiam priusquam è terra eximantur, contemplari pulcherrimum est, dum fructus videlicet futuri sunt, dum eduntur, dum augescunt, & dum vigent. Hæc siquidẽ continua eorum speculatio docebit te, quando potissimùm ipsos decerpas, ac in siccis domunculis repositos custodias, ne à solis radiis exurantur, nec ab humiditate ex tecto, vel muris madefiant: id optime fiet, si domus neque subterraneæ sint, neque aliis vicinæ, neq; sub tegulis, sed feneſtras ad meridiem spectantes habeant, prope quas tamen medica-

menta reponi non debent.& ſubdit:Quiſquis igitur auxiliorum vndiq; copiam habere volet, omnis ſtirpium materiæ,animaliũ, metallorum, tum aliorum terreſtrium corporũ, quæ ad medicinæ vſum ducimus, expertus eſto, vt ex eis & exacta & nota cognoſcat: deinde in commentario meo, quem de ſimplicium medicamentorũ virtute prodidimus, ſeſe exerceat:niſi enim hoc modo inſtructus ad præſentis operis præſidia veniat, verbotenus quidem medendi modum ſciet,opus verò nullum ipſe dignũ perficiet. Hæc Galenus, cuius multa & varia ſimilia, conſultò prætermittimus, quæ hinc inde adducere poſſemus, Dioſcoridis verbis omnino adſtipulantia, & ad partem illam accedimus, in qua legitur, ex herbarũ medicamentis durare ad multos annos ſolum candidum & nigrum veratrum,reliqua ad triennium tantũ habere uſum. Quæ ſanè verba diminuta eſſe, certum eſt, quum vt ibidem in contextu collocata ſunt, falſa eſſe ſciamus, præſertim ex Theophraſto, lib.ix. de Plantarum hiſtoria, capite xiiij. dicente: Elleborus enim vel annis triginta vtilis eſt, malum terræ quinq;, aut ſex, vernilago nigra quadraginta, fel terræ decem,vel duodecim, pinguis hæc, ſpiſſaque admodum eſt: peucedanum quinq;, aut ſex, vitis ſylueſtris anno,ſi in vmbra & ſine ictu reſeruetur,alioqui putreſcit, & inanis,fungoſaq; redditur: & aliis alia tempora tribuuntur: Sed omnium medicamenrorum diuturniſsimum elaterium eſt opportunumq; quod vetuſtiſsimum. Itaque medicus quidã, vir haud inſolens,neq; mendax elaterium ducentorum annorũ virtute mirabili ſeruare apud ſe retulit, eo à quodam munere donatus. Cauſa quamobrem tam longo ſeruari tempore poſsit, humoris copia eſt, ea de cauſa vel cùm præciderint in cinere humidum ponunt, & tamen ne ita quidem ſiccari poteſt, ſed vſque ad quinquageſimum annum lucernis admotũ lumen extinguit: hæc igitur vis peculiaris iſti tribuitur. Hactenus Theophraſtus. Per quæ verba, ſatis percipitur proœmium hoc Dioſcoridis corruptũ, & acephalum eſſe, quod facillimè quiſque ex prædictis Theophraſti verbis ſatis reſtituere poterit.Nec enim credere eſt, Dioſcoridẽ ſic in portu impegiſſe, quum omnium in hac materia oculatiſsimus ac diligentiſsimus fuerit, & ea de cauſa Galenus præ cæteris illi

Dioſcoridis proœmium hoc corruptũ eſt.

Galenus

illi palmam tribuit, herbarum contentus inscriptione ab hoc ipso facta (vt ex proœmio libri sui sexti de Facult. simpl. medicamentorum percipitur) vbi ita legitur: At Anazarbeus Dioscorides, quinq; libris materiã omnem vtilem absoluit, non herbarum tantum, sed & arborum, & fructuum, & succorum, & liquorum, memorans insuper & metallica omnia, & partes animalium: Et mihi vtique videtur omnium perfectissimè tractatum de materia medicamentorum confeciſſe. Quibus proxima sunt illa, quæ lib. primo de Antidotis, ipse retulit, dicens: Sed traditum est abundè de tota medicinali materie quinq; Dioscoridis libris, à quo præter alia etiam olfactus, gustusq; qualitates, quibus potissimùm probatiora medicamenta à deterioribus cognoscuntur discernunturq;, licet tibi condiscere, in nonnullis etiam visibiles qualitates non parum conferre reperies. Quum igitur Galenus Dioscoridi in historia medicinali primatum tribuat, in eo accuratè intelligendo, desudare iustum erit, quum (vt ille tradit libello de Antidotis primo) Medicum peritum esse oporteat omnium stirpium: Sin minus, at plurimorum & quorum vsus frequens est, genera ipsorum, aut si mauis differentiæ, Hæ sunt, arbores, frutices, herbæ, spinę, virgulta: Nam ea ab initio ad finem vt possis cognoscere, in multis terræ regionibus reperies, quemadmodum & ego in Italia offendi variis locis, quæ neque nascentia, neque aucta nouerunt hi, qui siccata tantum agnoscunt. At de iis satis, & ad Iridis caput calamum diuertamus.

Dioscoridi palmã tribuit in herbarum & simpliciũ deliniatione.

Stirpium differentiæ.

DE IRIDE.

Græcè, Ἶρις *Latinè Iris*, *Radix consecratrix*, *Lilium cæleste*: *Lusitanicè*, *Lirio decor de ceo*: *Hispanicè*, *Lirio Cardeno*. *Italicè*, *Iride*, *giglio azzurro*, *Lilio cæleste*: *Gallicè*, *des flambes du glayeul*. *Germanicè*, Gemeinblauu Gilgen blauu Schuuertel veiel vvrtz Himel Schuuertel. *Teutonicè seu Flandricè lelie*. *Arabicè Asmeni iuni*, *& Aiersa*.

Textus Primi Enarratio Prima.

Iris.

IRIS cuius tantum radix à medicis commendatur, ea est herba, quam hodie officinæ sub nomine Ireos monstrant, Quæ ideo Irisdicitur, quia eius flores, veluti Iris arcus cœlestis multis & variis insigniti sunt coloribus. Reperiuntur enim varij ij colores, in vnoquoq; flore, candidi, pallidi, lutei, purpurei, & vt plurimum cœrulei, vt facilè quis intelligere possit, Irim dici non ob diuersitatem colorũ in specie, sed in diuiduo potius. Quanquam non ab re esset quoque dicere, irim sic nominari, ob diuersitatem varietatemque colorum in specie repertorum, Quum Iris quædam albos flores habeat, alia luteos, alia vero pallidos, nonnulla autem purpureos, vt Ferrariæ in horto Magnifici Marci Pij adnotauimus, & eas diligentissimis discipulis nostris indicauimus: Imò hanc sententiam verisimam esse, varia Dioscoridis Græca exemplaria attestantur, cui Plinius subscripsit, lib. xxj. suæ Naturalis historiæ cap. vij. quum dicit: Floret iris diuersi coloris specie sicut arcus cœlestis, vnde & nomen. Cæterũ iris Illyrica, omniũ consensu cæteris præfertur, & omniũ est laudatissima, quanquam tamen in multis orbis regionibus, minoris licet nominis nascitur, nempe in Hispania, Germania, Gallia, & Italia: quæ si non Illyrica, aut Macedonica, quibus primas & secundas Dioscorides adscribit: bona tamẽ censenda est, & eo magis, quanto odoratior fuerit. Illyricæ vero, vt refert Plin

Iris varia.

Iris Illyrica cæteris melior.

Iridis Illyrica duæ species.

Plinius, loco à nobis citato, duæ sunt species, Altera rhaphanitis, ob similitudinem sic dicta, quam eius radix cum rhaphano habet: Altera rhizotomos, quarum melior habetur, quæ ad subruborem tendit, vt in præsenti loco Dioscorides tradit, à quo nec Plinius disidet: vnde qui Plinium in hac re à Dioscoride differentem contendunt, toto aberrant cœlo, quum Plinium superficie tenus tantum legant, virum alioqui grauissimum, raro solitum errare. Ex iis enim Mathiolus Senensis se offert, primo capite sui Dioscoridis Italice loquentis, Qui obnixè admodum eo loco Plinium errantem ostendere nititur, quum tamen Mathiolus ipse magis reprehensione dignus sit: Nam Plinius nihil quicquam à Dioscoride hac in re variat, vt tamen Mathiolum ipsum aberrantem conuincamus, audiant qui hæc legerint, si quis modo legerit, in primis verba per quæ Mathiolus errantem Plinium credit, adducamus è loco citato, quæ sic habent: Illyrica quoque duorum generum est, rhaphanitis à similitudine, quæ & melior: Rhizotomos subrufa, optima quæ sternutamenta tactu mouet: hactenus Plinius. Per quæ Mathiolus Plinium accusat, quum innuere videatur, quod Rhaphanitis melior est rhizotomo subrufa, adeò vt subrufam postponat non subrufæ, quum tamen Dioscorides Iridem colore subrufo maximè laudet, & cæteris anteponat. At hæc tam parua, tamque minutula sunt, vt paucis opus habeant responsis, præcipuè si literam legerimus, vt in codice antiquissimo, ad hunc modum legitur: Illyrica quoque duorum generum est, rhaphanitis à similitudine, qua & melior rhizotomos subrufa. Sic enim legendo omnis diluitur dubitatio. Nec enim aliud quàm litera vna permutatur, vt facilè loco, qua, perperam postea dictio, quæ, scripta fuerit. Sed esto phrasis, vt in Frobenianis habetur codicibus, legatur, scilicet, rhaphanitis à similitudine, quæ & melior rhizotomos subrufa, proculdubio non inde elicitur, quòd rhaphanitis melior sit rhizotomo subrufa, imò contrarium qui vel mediocriter in lectione doctrinaque Pliniana versatus fuerit, deprehendet, quum dictio quæ, non referat aliud, quam rhizotomos, vt sit sensus. Secunda rhizotomos subrufa, quæ & melior.

Mathiolus Senẽsis falso Plinium accusat.

Quòd Plinius verò sic intelligendus sit, & quòd cum Dioscoride subrufam iridem laudauit, non aliunde comprobatum iri volumus, quàm ab ipso Plinio, qui seipsum declarat, & cum Dioscoride subrufam iridem laudat, lib. xxj. cap. xx. quo iridis prosequitur iuuamenta, dicens: Iris rufa melior quàm candida, Hæc ille. Quibus clarius aut apertius nihil dici potest: vt merito Mathiolus Senensis accusandus sit, quum Plinium sic immeritò vellicet lancinetue. Cæterũ Galenus libro de Antidotis, de iride posteritati memoriam reliquit, cuius verba, vtinam Andreas Lacuna Hispanus vir sine cõtrouersia doctissimus, in Galeno à se in epitomen redacto, non in vniuersum prætermisisset, sed ea potiùs pro coronide subscripsisset, quum nusquam quod sciam, de iride Galenus mentionem fecerit quàm in eo loco, nec enim in libris de Facultatibus simplicium medicamentorũ, de iride quicquam reperies: proinde locum è libro de Antidotis in hunc nostrum transcribere non ab re est visum, qui ita habet: Illyricam iridem Andromachus post rosas iniiciendã censet. Quem sermonem ne obiter inaudias, ceu & de alio quodam medicamento, de quibus dicturus sum infrà, optima in unoquoq; genere quale sit, edocens, polium itaque & chamedrys Romam apportantur paulò præstantiora his quæ in Italia nascuntur. In quibusdã enim locis Italiæ non multo inferiora crescunt, illis annis quibus ver totũ non humidum euaserit, quemadmodum sæpe fit, vt assimiletur æstati. Verùm quum siccior aëris constitutio oboritur, ea quæ Italia profert aut Cretensibus similia, aut non multo deteriora quędam nascuntur, exempli gratia, chamedrys, chamepitys, hypericũ, gentiana, thlaspi, nigrum veratrũ, aliaque similia: Ac de iride non ita habet, nam si conferas eam quæ ex magna Libya Romam copiosissima affertur, tantum ab Illyrica abest, quantum mortuum corpus à viuo: non tamen in aliis nationibus ita multum abesse apparet: atq; in huius genere odoratiorem deligito, quemadmodum in aliis medicamẽtis. Vnumquodq; enim præstantissimum est, quod proprium generis sui odorem habet valentissimũ, quod ex multa inspectione singulis innotescit. & subdit: omnes itaq; prodiderunt, irim quidem esse laudatissimã, quæ in Illyricis nascitur. Hæc Galenus, rursus:

Andreas Lacuna taxatur.

Iris apud Galenum.

rursus:Illyrica regio,hodie Sclauonia dicitur,ex qua hodie quoq; ad nos iris optima affertur, quæ calida & sicca, prope tertium gradum temperamenti locatur, & ex ea eclegma in officinis, contra pectoris vitia paratur: Nam tussi vtilis est, & humores in pectore viscidos, & cõtumaces extenuat: communis autem iridos (nam Illyrica sicca ad nos defertur) succo,contra hydropẽ vtimur, non contemnendo profecto iuuamento, vt curatione.xxiij. Centuriæ primæ nostrarum curationum abundè diximus,vbi vnicam integram electuarij è radice cum melle parati, pro aluo subducenda propinamus: Imo & succi huius nostratis iridis,ad vnciam vsque vnam, non nunquam cum melle rosaceo colato, aliquando verò cum decocto senæ, vel aqua mellis mixtam præbemus.

Authoris Centuriæ curationũ.

DE ACORO.

Græcè, ἄκορον, Latinè, Acorum, Acorus, herba Venerea, galangua crassa: Hispanicè, Italicè, Acoro, Calamo aromatico, Gallicè, galanga: Germanicè Schuuertel vvrtz. *Arabicè vage & vgi.*

Textus Secundi Enarratio.

ACorus Venerea dicta herba, quæ ab officinis Sepiariorum Acorus simul vocatur, ea apud omnes, aquatica gladiolus, luteis floribus insignita putatur herba non sine tamen antiquo atq; inueterato errore, quum Dioscoridis in præsenti loco verba, cui in herbarum & fruticum descriptionibus fides est habẽda, sicuti Galeno, in earundem perscribendis naturis ferè illi conueniant. Nam vt radicis figuram præteream,quæ minime respondet, illius potiùs sapor astringit, & quasi insipidus quandam prę se frigiditatem fert,non ferè acris est, nec secum vllum adferens odorem,quæ vero acoro perneccssaria esse, tum Dioscorides, tum Galenus, atq; eius simia Paulus Aegineta testantur.Nec minus ex Plinio hoc satis probari potest,vt ex dicendis patebit: vnde mirari satis nõ possum, quo modo Ruellius Gallus,vir alioqui doctissimus, in hunc condescenderit errorem, vt apud illum est legere libro ij.sui voluminis de natura stirpium,eiusdem numeri capite. proinde quum acorus aquatica hæc gladiolus

Ruellius Gallus taxatur.

Acorum.

Author ab hinc. 15 annos cõmentarios in Dioscoridem scripsit.

non sit, quid nã sit, dicendum est. Nos qui ab hinc quindecim annos commentarios in Dioscoridem edideramus, scriptũ reliquimus, quòd cõmunis calamus aromaticus acorus apud Dioscoridẽ erat. Quam opinionem Manardus Ferrariensis, Euritius Cordus, & ex nouissimis, Mathiolus Senensis, pro vera affirmarunt: vnde Ioãnes Agricola Ammonius Germanus vir doctus, statim in initio libri primi sui de Herbaria medicina ita tradit: Acorus verus quid sit fortasis ignoratur, Manardus, Cordus, & Rodericus Lusitanus succedaneo vtendum esse censent calamo illo nostro aromatico, siquidem hic nomini suo non satisfacit. Nicolaus Leonicenus, & Antonius Brasauolus, quam officinæ galangam vocant, verũ putant esse Acorum, quoniam huic descriptio tota sit conueniens. Hæc ille. In lucẽ enim superioribus illis annis commentarios, sub nomine Ioannis Roderici Lusitani, euulgauimus. Nunc vero, rem ipsam pensitatius aduertens, ab hac libere desistimus opinione, quum magis inclinat animus, huic adhærere alteri, videlicet, quòd galanga crassus verus acorus sit. Quam intelligens Apuleius Veneream vocauit, raramque inuentu, suo æuo dixit. Quòd vero crassa hæc galãga verus sit acorus, testatur radicis ipsius figura, quæ omnino acoro respondet: tum sapor ipsius acer ad amaritudinem tendens, vt adnotat Galenus, nec gratus in ea quoq; deest odor. Quantum vero ad colorem attinet, in quo maior vel tota apparet difficultas, quum galanga nigra ad rubedinem vergens est, Acorus vero, vt tradit Dioscorides, albus esse debet, & candicans. Plinius hanc

Author Ioannes Rodericus Lusitanus est dictus Doctor Amatus.

Galanga crassa verus acorus est.

animad

animaduertens dubitationem, illi occurrit, et eam diluit, libro ſuo Naturalis hiſtoriæ xxv. capite. xiij. ita iniquiés: Acoros, iridis folia habet anguſtiora tamen, & longiore pediculo, radices nigras, minuſq; venoſas, cætero, & has ſimiles iridis, guſtu acres, odore non ingratas, ruptu faciles. Optimæ Ponticæ, deinde Galaticę, mox Creticæ, ſed primæ in Colchide iuxta Phaſim amnem, & vbicunq; in aquoſis, Recentibus virtus maior quàm vetuſtis, Creticę candidiores Ponticis. Hæc Plinius. In quibus, inquit, Acorus Ponticus optimus eſt, qui radices nigras habet poſſidetq;, quales in galanga conſpiciuntur craſſa: in parte præcipuè exteriore ſuperficiali, ad rufedinem vergentes: Sed in hoc quod ſubdit Plinius, Creticæ candidiores Ponticis, in quo abſurdum aſſerere videtur, quum Creticas radices candidiores Ponticis inſinuet, ac ſi Ponticas candidas dixerat, quum potius eas nigras præfixit, omnem ſuſtulit dubitationem: exponēs vtiq; Ponticas acori radices candidas eſſe, quo ad partes centrales interiores: ſed Creticæ Ponticis candidiores ſunt, in eiſdem partibus, quum vtræque nigræ in parte ſint exteriore. Nec enim Plinius tam lethargicus, aut obliuioſus in ſcriptis ſuis reperitur, vt ſit iudicare hic tam turpiter erraſſe, nec meminiſſe tribus antea verſibus ſcripſiſſe Ponticas acori radices colore nigras eſſe. Intelligendus igitur Dioſcorides venit, quum inquit, acori radix primā habet bonitatis æſtimationem, quæ colore ſubalbida, denſa, & candicans eſt, in parte interiore, quum in exteriore potius nigricet cum quadam rufedine, vt in craſſa cōſpicitur galanga, cui nec folia iridis deſunt, vt ab iis accepimus, qui in Guineam nauigarunt, & eam inde eradicantes, ad nos ſingulis annis tranſuehunt, quanquam à Syria, & Babylonia eam quoque afferant: vnde multi herbarum conſectores, Cyperum Babylonicum eam cognominarunt. Alia vero galanga Indica eſt, quam ſeplaſiarij ſubtilem appellant, ſecundum ſui totum rubens, ex qua, conditum apud officinas paratum habetur coctionem ventriculi iuuans, & omnes frigidos dolores finiens. Cæterùm Galenus, acori, libro vj. de facultatibus ſimpl. medicamentorum ita meminit, dicens: huius radice vtimur, quæ guſtu modicè amaro eſt, odoreque non iniucundo: Itaq; facultatis calidæ eſt, & conſiſtentiæ

Plinij locus expenditur.

Acorus Galeni.

Leonicenus vir multa eruditiõe præditus.

Antonius Musa Brasauola.

Leonhardus Fuchsius.

Monachi Mesues enarratores hallucinantur.

sistentiæ tenuis, quare & vrinam mouet, & lienes induratos discutit, cerato idisq; crassitiem detergit, extenuatq;: ad quod succus præstantior existit. Calfacit enim, & siccat, in tertio ordine. Rursus, hanc sententiam ꝙ galanga crassa, verus sit acorus, primo adstruxit Leonicenus, vir multa eruditione præditus, quem postea secutus fuit Antonius Musa Brasauolus, mihi Piladea quadam amicitia coniunctus, vir & morum sanctitate, & eruditione non vulgari insignis, cuius quoque iudicio, subscripsit Leonhardus Fuchsius, in illo suo magno artificio confecto herbario. Patres quoq; qui nuper Mesues Antidotarium enarrarunt, galangam, radicem iunci odorati esse contendunt, non sine ingenti errore: tamen, vt omnes vel mediocriter in re herbaria exercitati norunt. Proinde contra illos non opus est incedere, quum satis reprehendatur id quod falsum esse omnes norunt. Quo nomine verò, Acorus istic communis apud Dioscoridem appelletur, id quarto libro dicemus.

DE MEO.

Græcè μεῖον ἢ μῆον, *Latinè, meum, Hispanicè, pinillo, Arabicè, mu. Athamanticum, anethum syluestre, fœniculus tortuosus. Germanicè* Baer vvrtz, &, Hertz vvrtz.

Textus tertij Enarratio.

DOleo quidem non mediocriter, quod non maiorem noscendis simplicibus, in Lusitania iuxta atq; Hispania, operam nauauerim, vt maior mea posset esse facultas, hisce præcipuè patrocinãdi, quibus herbarum cognitiones sunt cordi: non verò illis, qui quum palliotenus doctores haberi student, totam hanc operam herbarum tam imprudenter spernunt, quàm insigniter ignorant, quibus quid in præsentia precemur, nisi aliquando meliorem mentem dari, vt quod hactenus sunt aspernati, agnoscentes, malint semel bene recurrere, quàm semper (quod est in prouerbio) male currere. Nam tunc melius nobis liceret cum hisce tum hominibus nostris sperare, qui illorum ignorantiæ, non sine maximo vitæ periculo

sunt

Meum.

sunt obnoxij, quod optimè posset esse indicio Meu herba: Quæ quum in Hispania famigeratissima sit, tamen hactenus ab illis est ignorata, & quanquã assiduis eorum importunisque calumniis ab hac cognitione fuissẽ deterritus: tamẽ persuaderi nõ potui, vt eam penitus abiicerem, quod factum est, vt si non omnes, saltem bonam dum illic ageremus partẽ cognouissẽ, inter quas Meu fuit: quã in Hispania nasci, Dioscorides, præ cæteris in hac re diligẽs scrutator, est author. Est igitur, Meu herba, caule, & foliis anetho similis, verùm crassior, radicibus comosis, obnigris, in obliqui rectumq; sparsis, & frequentibus, qua de causa hodie multi tortuosũ fœniculum, siue tortuosum anethũ appellarunt heæ: Cæterùm radices, in medico vsu à multis desiderantur, quæ facilè ex Hispania, & montibus Bononiensibus in multas orbis partes vehi possunt. Nam olim mihi, quosdam Germanorum agirtas conueniẽti, qui in Antuerpiam tanquam celebre emporium, non paucas herbas adferre solent: quidam, inter alias quasdam radices ostendere, suo nomine berrouertez appellatas: quas tamen meu esse herbæ, summopere contendebat, quum ex herba folia, caulemq; non dissimilia anetho habente se collegisse affirmabat, eaque de causa, ab officinis Germaniæ, pro vero meo habebatur: cæterùm minime ita se rem habere, illud mihi indicabat, quòd præter discrepantẽ figuram, non erant odore, quem aromaticum meon Hispanũ habet. Nam multi quoq; Itali pharmacopolæ pro vero meo quasdam indicant albas radices, daucum odore referentes, quæ non multum ab illis

Meu in Hispania herba famigeratißima.

Meu tortuosum fœniculum.

illis quibus Germani vtuntur absunt. At re vera, verum meum in Italia nascitur, in montibus præcipuè Bononiensibus, ex quibus Herbarij quidem diligentissimi ad nos attulerunt illi nõ nisi à nobis in Hispania conspecto, simile, quod Dioscoridis historiæ in vniuersum respondet: nam radices exterius nigræ, intus verò albæ sunt, quarum odor similis illi est, quem fœniculum siccum ex se spirat, suauior tamen: earum quoque sapor, non admodum acutus erat, aromaticum quid præ se ferens: quæ in infima parte capillatæ, comatæ'ue adeo reperiuntur, vt spicã nardi quicunq; has radices viderit, primo intuitu esse dicat. A quibus argumentum non mediocre desumimus, quòd spica nardi passim officinis obuia, radix potius, quàm plãtæ summitas sit, vt suo dicemus loco, quum Galenus ita esse nobis antea dixerit. Curabunt igitur deinceps pharmacopolæ, verum meum non solum ab Hispania, sed etiam montibus Bononiensibus habere, quum ibidem verum & Athamanticum reperiatur: sic dictum, quia ab Athamante inuentum. Nec enim veritas ipsa occultanda est hac de causa, quia Plinius scriptum reliquerit, suo tempore meum in Italia non nisi à paucis medicis seri, vt apud ipsum est legere lib. xx. capite xxiij. quem secutus postea Marcellus Virgilius vir alioqui doctissimus, rei tamen herbariæ non admodum peritus, dixit, nunc quod sciam, nullum Italiæ meon est: Ob quæ verba, Mathiolus Senensis, in Italia quoq; meum nõ reperiri clamat. Imo contra Patres Mesues interpretatores acriter agit, qui in Calabria & Nursiæ montibus meum nasci, & inde eradicasse affirmant, quod ita esse credederim, quum apud Bononiam quoq; nascatur, vt testes sunt, Nicolaus Nicolucius pharmacopola Ferrariensis, & Gaspar de Gabrielis, nobilis Patauinus, harum rerum maximus indagator, & qui publicè rem herbariã apud Ferrarienses profitetur. Accusandus igitur Mathiolus potius est quum negligens in inquirenda hac herba fuerit, quàm diligentissimi patres, qui desudantes, Nursiæ montes, vt eam inde eradicarent, ascenderunt. Interdum tamen auarus pharmacopola si hac caruerit radice, Galeni & Aeginetæ consilio, in suis Antiuallomenis, succedaneis dictis, myrobalano, id est, glande vnguentaria, vti debet: est enim

Meu veriũ in Italia nascitur.

Spica nardi radix est.

M. Virgil.

Mathiolus fallitur.

Gaspar de Gabrielis nobilis Patauinus.

Glans vnguẽtaria, ben Arabum est.

enim glans siue nux vnguentaria, ea quam Græci myrobalanum, siue balanum myrepsicum vocant, quam myropolæ, vnguentarij dicti, Arabica voce, ben appellant, & ea pro conficiendo oleo, ac suffitibus maxime vtuntur, vt iiij. libro, cap. clxj. copiosius dicemus. Cæterùm est meum, vt testatur Galenus lib. vij. de Facult. simpl. medicam. calidum tertio ordine: siccum verò secundo, vt eius hæc indicant verba: radices eius sunt calidæ tertio excessu, in secundo siccæ, proinde vrinas mensesq; mouent, quòd si liberalius sumantur, capiti dolorem conciliant. *Meum Galeni.*

DE CYPERO.

Græcè, κύπειρος, Latinè, cyperus, cyperus odoratus, angulosus iuncus, triangularis iuncus, quadratus iuncus: Hispanicè, iuncia de olor & iuncia auellanda: Lusitanicè, iunca de cheiro, Albafor: Gallicè souchet: Germanicè, Vuildargalgan: *Longobardicè, tricola. Arabicè, saherade. Italicè, Cypero.*

Secunda species cyperi.

Secunda species Cyperi, Latini, Curcuma officinarum, radix Indica.

Textus quarti Enarratio.

COnsultius mea sententia esset, si in præsentia cyperi tres species potiùs describeremus, quàm duas tantum, quum re ipsa conspecta, ita esse comperimus: nam altera species, iuncus est, folia porri in parte decliuiori habens, longiora tamen & exiliora, in cuius cacumine minuta sunt, inter quæ semen exoritur: cui caulis cubitalis & maior inest, qui plerunq; quadrangularis conspicitur, nam radices rotundæ, nonnunquam oblongis oliuis sunt similes, nigræ, suauiter olentes, & gustu aliquantulum amaricantes: hanc verò Cornelius Celsus verus Hippocratis imitator, libr. iij. suæ medicinæ capite xxj. quadratum iuncum appellauit, cuius in aquosis & palustribus plerunq; nascentis radices, medico vsui seruantur: quibus vniuersa Hispania abundat, nec opus habet Syriacis, *Cyperus quadratus iuncus à Cornelio Celso appellatur.*

Cyperus

cis, quas ſua voce præcipuè Salmanticēſes pharmacopolæ, auellanada vocant. nec enim in Italia præſertim Longobardia deſunt, ſed myropolæ parum curioſi, communioribus radicibus earum loco vtuntur. iis autem radicibus affinis cùm voce, tum figura, alia radix, quam vniuerſa Luſitania iuxta ac Hiſpania, iunca auellanada vocant: quod verbum tu rūdius ſed ſignificantius, iuncum auellanam vertas, quæ ex Aethiopia & inſulis circumiacentibus in Luſitaniam deferuntur, magnitudine auellanæ nuclei, vnde nomen traxiſſe videtur, colore exteriore ſubpallido, nam intus lactea eſt. capiti etiam, vt illud obiter attingamus, non mediocriter conducit. Hanc quoque radicem Venetiis, apud pontem Rialtæ, vēnalem videre eſt, quam ibi ſua voce Traſi vocant: quæ licet ex Aethiopia, præcipuè ex inſula ſancti Thomæ, æquinoctiali ſubiacenti ad nos afferatur, in Italia quoq; naſci certum eſt, vt ij qui Veronenſes campos percurrerunt norunt: quam radicē ibidem ex herba ferragini, ſecalæ, ſiue centeno dicto perſimili eradicant. Secūda autem ſpecies Cyperi, vbiq; in aquoſis comperitur, foliis à prima non diſſimilibus, caule tamen triangulari, cuius radices oblongę, tortuoſæ, nigræ, ad rufedinem vergentes ſunt, ſed multis implicitis internodiis, quæ iucundè ſpirant, & parum, ob nimiam contractam humiditatem, amaricant. Hanc Plinius libro xxj. cap. xviij. triangularem appellauit iuncum, cuius radices, Hiſpaniæ & totius Italiæ mulierculæ, aceto paratas, pro odoramento, ac ſuaui ſuffitu recondunt: Nec communiores officinæ, alias,

Iūcus auel lana quid.

Traſi.

alias, præter has radices, pro vero Cypero monſtrant habéntue, quum tamen illæ primæ, oliuis ſimiles, à Dioſcoride, vt præcipuæ comendentur. hanc verò ſecundam ſpeciem Cyperi nominari cupimus, cui veluti & primæ, Dioſcorides caulem, non quidem triangularem, aut quadratum ineſſe dixit, ſed anguloſum potius, vt cautos nos redderet, & cyperus & triangularis, & quadratus reperiatur. Item quod melius eſſet, triangulari illo, radices oliuis ſimiles habente vti: quanquam & altero, pro vero dexterrime vti poſsimus, pro vt hoc tempore myropolæ continuo factitant. Cæterùm Plinius lectorē in præſentia monitum deſiderat, ne nominis vicinitate decipiatur, quum Cypirus longe alia ſit res à Cypero. Eſt enim Cypirus herba, quam xyphion Græci appellant, noſtri vero gladiolū, bulboſas radices habens, de qua lib. iiij. mentionē faciemus. At licet Plinius hæc ſuadeat, apud Theophraſtū tamen, Cypirum pro hoc de quo agimus capi nouimus, anguloſo ſcilicet, odorato, cuius radices, teſtatibus Galeno, ac eius ſimia Paulo, libris ſeptimis huic dicatis negotio, excalfaciunt, ſiccantque abſq; morſu. Quare humidioribus vlceribus, cicatricem mirabiliter inducunt, quibus & inciſoria quædam ineſt vis, qua calculos comminuunt, vrinamq; & menſtrua promouent. Tertia Cyperi ſpecies quam Dioſcorides ſecundam facit, ex India ad nos vſq; fertur. radix gingiberi figura, ſapore & odore non abſimilis, vnde fit quod frequenter inter gingiber reperiatur: nam commanducata crocatum ſputum reddit, & ex ea Dioſcorides pſilothrum, ſiue depillatorium parari inquit, id quod nos experimento compertum habemus. Vt tamen rem de qua agimus qui hæc legerint, noſcant, ſcire licet, quod Cyperus iſte Indicus, ea eſt radix, quam communiter officinarū ſeplaſiarij Curcumam nomināt. Nec enim in hoc ambigendum eſt, quum inter ſe adeo conueniant, vt inuitè hoc fatendum ſit: ſed in hoc animaduertendum duximus, quod Curcuma hæc quæ paſſim in officinis monſtratur, non ea eſt, quam Serapio capite ccxciij. deſcribit, quum ibi potius chelidonium maius & minus Serapio pertractet, vt cuique conferenti ea quæ in ipſo capite inquit, cum iis quæ à Dioſcoride deſcribuntur, capite de chelidonio, facilè patebit.

Cyperus triāgulatus et quadratus.

Cyperus et cyprus differunt.

Cyperi tertia ſpecies.

Cyperus Indicus curcuma eſt.

Curcuma officinarū.

patebit. Hinc enim error ortus est, vt hucusq; crederetur, quòd curcuma hæc officinarum, non cyperi sit radix sed chelidonij potius: imò pharmacopolæ chelidonij radicem, ob magnam quam habet cum vulgari curcuma similitudinem, curcumam appellant, nec aliter interpretantur quum curcumā legunt, quod, id est, radicem chelidoniæ, ignorantes radicem hanc ex India delatam, cyperum istum apud Dioscoridem esse. sed re vera firmiter crederem Serapionis interpretem, ansam aberrandi pharmacopolis dedisse, non vero ipsum Serapionem, quum rauroch, verbum Arabicum, chelidoniam significans, interpres curcumam verterit, vnde postea pharmacopolæ, vt diximus, curcumam chelidoniæ radicem esse semper hucusq; crediderunt: quum tamen Serapio ipse de hac Indica curcuma, sub cyperi nomine egerit, Dioscoridem imitatus, vt apud ipsum est legere, cap. clxxxix. Cæterùm Ruellius Gallus, libro sui voluminis, ij. cap. iiij. Cyperum hunc Indicum, radicem quandam esse, quam officinæ terram meritam appellant, ait, quam nisi curcumam hanc officinarum intelligat, procul dubio vt nouistis, errat.

Differt à Serapionis curcuma.

Serapionis interpres errat.

Ruellius errat.

DE CARDAMOMO.

Græcè, καρδάμωμον, Latinè, Cardamomum, Cardamomum Indicum, Cardamomum maius: Arabicè, cordumeniū. v. cordumeni vel Cardameni: vulgò cardamomo, Germanicè Cardamomelin.

ARABVM CARDAMOMVM.

Arabicè, Sacola, Latinè cardamomum minus, Malagueta, maligreta, granum paradisi: vulgò malagueta.

Cardamomum aliud minimum: Melanthij species: Serapionis maius est.

Textus

Textus quinti Enarratio.

NIsi celebre illud aroma, quod ex India, præcipuè Cananoris insula, aduehitur, Græcorum cardamomum sit, vt illud dignoscamus vate proculdubio opus habemus, cardamomum dico, angulosum granum, nullam exactè figuram habens, in siliquis, ciceris cuiusdam modo, nascens, quod officinæ (absoluta voce) cardamomum appellant, vel cũ additione cardamomum maius, vel Indicum cardamomum, quod an cum hocà Dioscoride & Græcis depicto sit, vnum cum altero conferre opus est, nam Dioscoridis præsens cardamomum vt bonum sit, decet contumax frangenti sit, plenum, densum: item, quod odore caput tentet, gustu acre & subamarum: Cardamomum verò Indicum à nobis descriptum, granum angulosum est, subrufum, sapore non adeo acre, in siliquis quibusdam nascens, quæ omnia tantum absunt ab altero, quantum cancer abest ab anguilla: quo factum est, vt omnes hucusq; scribentes, cardamomum hoc Indicum, non esse Dioscoridis, aut Græcorum cardamomum, dixerint. At mea sententia fallũtur, viri alioqui eruditissimi, quum parum animaduertant, Græcos homines, crebro arbores, frutices, plantas, arbusculásue, ex quibus fructus vel semina colliguntur, describere, fructibus vel seminibus ipsis intactis, vt in carpesio facile videre est, ne quis mihi falsum loqui obtrudat: de quo quum Galenus libro de Antidotis primo loquitur, inquit: festucas tenues quasdam persimiles surculis Cinnamomi esse odore & sapore valerianæ non absimiles, illius tamen fructum subticuit, qui Actuario viro Græco doctissimo teste, cubeba officinarum est. Dioscorides igitur arbusculam cardamomum dictam delinians inquit, illud probatissimum esse, quod ex Comagene, Armenia, & Bosphoro affertur, quanquam in India, & Arabia nasci quoque tradat, difficulter frangibile, plenum, & præclusum: quod enim tale non erit, non bonum dicendum est, quibus addit, vt bonitas huius ligni exactius dignoscatur, quod tale sit, vt odore sensim tentet, gustu acre & subamarum: quæ omnia ligno cardamomi conuenire non dubito, quin potius certus sum,

Carpesiũ cubeba est.

& experimento compertum habeo, omnes has dotes, quas Dioscorides suo tribuit cardamomo, in siliquulis cardamomi reperiri, præcipuè recentibus, vt olim Antuerpiæ, ad quam omnium aromatum ex India, & aliis exteris regionibus magnus est confluxus, exactè nouimus: nam vetustate confectæ siliquæ, nullam prædictarum ferè conditionum habent, veluti omnes sunt, quæ in Italiam aduehuntur. Describit igitur, vt receptui canamus, Dioscorides, fruticem, siue plantam cardamomi, non verò semen ipsum. At Plinius, semen potius quàm lignum delineat, vt apud illum est legere lib. xij. cap. xiij. vbi illius quatuor facit genera, quorum secundum, hoc Dioscoridis est cardamomum, de quo Andromachus in descriptione sic cecinit, & cardamomum quod tenet Indus ager. Nec enim hodie, apud Indos cum quibus magnum est Lusitanorum commercium, aliud prorsus cardamomum nominatur, vel reperitur: vt demum fateri debeant, Cardamomum Indicum hoc, Græcorum esse cardamomum: quod Serapionis interpres ineptè admodum cordumeni, id est corui agreste, vocauit, vt apud ipsum est legere capite ccciiij. de Hardameni: vbi quoq; idem interpres taxandus venit, quum vice vertendi, Cardamomum pellit latos ventris lumbricos, dixit ascarides.

Cardamomi plàta, à Dioscoride describitur.

Cardamomum Indicum, Græcorum cardamomũ est.

At quum de Cardamomo agamus, non ab re erit de duobus quoque aliis Cardamomi generibus, quæ in officinis habentur, verbum facere, quorum vnum Cardamomum minus comparatione ad Indicum dictum, Cardamomum dicitur: quod tum intelligas velim, virtute siue aromaticitate, quum forma hoc maius sit, quod maliguetam à terra vnde eum deferunt cognominant, quanquam aliis granum paradisi magis appellari placeat: est enim hoc granum, rufum, pressium, in pyramidem vergens, quod ex Guinea regione Malagueta dicta, in Lusitaniam tantum adducitur, sapore acuto, acri, nam odore omnino caret, quod Græcis ignotum fuisse certus sum, testante id Auerroe, lib v. sui Collectorij, vbi enumerans ille aliqua quæ post Galenum fuerunt reperta: hoc Cardamomum cap. xxv. obiter attingit, quasi diuersum sit, ab eo priori cuius antea capite xxiiij. eiusdem libri meminerat: Imò Serapio quum de hoc agit Cardamomo

Cardamomũ minus malagueta est.

Cardamomũ minus ignotum Græcis.

maligue t

maligueta dicto, sub nomine Sacolæ, nec Dioscoridem aut Galenum, vt plerunque solet, adducit, quasi de re illis ignota agens.

Alterũ verò Cardamomi genus ab officinis receptum, semen subcitrinum est, anguloſum, boni odoris, saporis aromatici, pingue, puluerulentum, nihil à melanthio præterquam colore differens, quum melanthiũ nigrum sit, hoc verò vt diximus, subcitrinum, quod & nigellam vocant, de quo nec Græci aliquam fecere mentionem. NICAN. Vbi nam Arabes huius meminerunt Cardamomi? AMAT. eo capite in quo de Maligueta Serapio agit, & de hoc quoque sermonem fecit. NICAN. Sub quo nomine? AMAT. vt paulò anteà diximus, sub nomine Sacolæ, nam eo loco Serapio duo Cardamomi genera facit, maius & minus: Maius cortices habet, & capita sicut rosa, & sunt grana magna sicut nabach, aut maiora parum, & intra ipsa sunt granula parua, anguloſa, boni odoris, pinguia, puluerulenta, & delectabilioris naturæ quàm minus: Imo in sapore suo est stipticitas, & acuitas. NICAN. quid per hæc verba intelligit Serapio? AMAT. vt hæc quis deprehendat, plus sedentario studio opus habet, quum tamen tu celebris nostra hac ætate sis philosophus, & vir omnis antiquitatis & eruditionis amantissimus, at mihi Pyladea quadam amicitia coniunctus, non grauabor rem in medium afferre, vt ea conspecta, Serapionis mentem facillimè teneas, in iis enim calicibus semen, vt vides, subcitrinum, anguloſum, boni odoris, ac puluerulentum includitur, quod Cardamomum, vt diximus, officinæ appellant, alij verò, nigellam: hoc igitur Serapionem intellexisse hucusque sum arbitratus, quum cardamomum maius ibidem nominat. NICAN. ita esse res ipsa clamat, & Antonius Musa Brasauolus, harum rerum maximus indagator, & insignis hac nostra ætate philosophus, tecum sentit, non quidem in examine simpliciũ, sed siruporum potius, numero septuagesimo septimo. AMAT. Gaudeo equidẽ cum tanto viro sentire, quem tanti feci semper, vt propter illius humanitatem, ac admirandam sapientiam quam cognoui, per septennium apud Ferrarienses moratus fuerim. Est igitur granum hoc puluerulentum, nigella dictum,

Alterum cardomomi genus nigellæ species est. Nicander Toletanus vir doctissimus.

Anthonij Musæ Brasauolæ humanitas.

apud Serapionem maius cardamomum. Vnde Ruellius, in hac re, minime audiendus est, quum lib. ij. sui Voluminis stirpibus dicati, contendat, quod Cardamomum maius Serapionis, piper Indicum vulgò dictum sit, passim herba nascens, non multum à solano communi dissimilis, cui flores lutei insunt, in quibus fructus postea prodeunt quidem oblongi, pyramidales, cordis effigiem repræsentantes, primo virides, postea lutei, maturi verò quum sint, adeo rubri & lucidi fiunt, vt corallum esse appareant, intra verò fructum istum, semen lentibus paruis simile includitur album, adeo mordax & acutum, vt per se vel cum ipso fructu commansum, & linguam & fauces, igneo quodam feruore exurere videatur: hunc autem fructum tanti feruoris & acuitatis, Vulgus, piper Indicum nominat, quod Arabum non esse maius Cardamomum, vt falsò Ruellius contendit, vel ex hoc tantum probari potest, Quia maiori suo cardamomo, Arabes non tantum tribuunt saporis acumen, quod proculdubio, si nouissent, non prætermisissent. Item quod semen non angulosum vt diximus est, nec puluerulentum, quanquam in grano magno, vel alabastro quod in rosa conspicitur simili, reperiatur. Proinde cardamomum Serapionis maius, non esse hoc piper Indicum, sed potiùs à nobis granum illud angulosum, in officinis Cardamomum minimum, vel nigellam dictum, in confesso est. Nam Serapionis minus Cardamomum, vt diximus, maligueta est, vt conferenti notum erit, quam quoq; sententiam secutus fuit Andreas Bellunensis nouissimus Auicénę corrector. Cæterùm Galenus libro Succedaneorum suadet, vt quum Cardamomum defuerit, loco illius vtamur Cypero, vel saltem myrto. At quum non solùm suum, hoc est, Græcorum Cardamomum, sed ipsius potius multa alia nobis suppeditent genera, succedaneis opus non habemus: de quo Galenus septimo de Facul. simpl. medic. ita verba fecit, dicens: Quanto suauius magisq; fragrans nasturtio est, tanto & imbecillior ei calida facultas inest, nec enim vlcerare est idoneum, habet autem adiunctum quiddam amaritudinis, qua lumbricos interficit, & cum aceto valenter psoras detergit.

Sacola siue cardamomũ maius Arabum: nigella citrina est.

Ruellius non bene sensit in cardamomo maiori Arabum.

Piperis indici fructus rubri pyramidales.

Cardamomum minus, Serapionis maligueta est.

Andreas Bellunsiẽs Auicennæ corrector.

Cardamomi facultas.

De

DE SPICA NARDI.

Græcè, νάρδ&, καὶ νάρδ& στάχυς, Latinè, Nardum & nardus, Spica nardi, Arabicè, ſtumbel, & Seubel: Hiſpanicè, Azumbar, Eſpiga ſil: Italicè, Nardo: Germanicè, Edel fremb, vvolriechend, *Spiken nardi: Gallicè, Aſpic d'oultre mer.*

Textus Sexti Enarratio.

Nardum.

QVi Luſitanorum nauigationes in Indiæ interiora cognouerunt, facilè perſuaderi poſſunt, Luſitanos ipſos, optima & vera Indica nardo abũdare: quod ita eſſe certius eſt, quàm hic à me multis monſtrari opus ſit: quũ quotãnis Luſitani inde ingentẽ claſſem omniũ genere aromatum ornatam in Luſitaniam vehant: Inter quæ, celebris nardi ſpica tantopere celebrata non deeſt, radix veri⁹ quàm ſpica, multis capillamentis diſſoluta, leuis, nigra, ad rufedinem vergens, odoratiſsima, ſimili odore cyperi, ſapore ſuaui, diu in ore permanente, ad amaritudinem aliquantulum inclinante, vt nullum, ſi modo fateri verum debeam, aroma celebrius, aut odore ſuauius, aut verius, ex vniuerſa India hac Indica Spica ad Luſitanos deferatur: vnde poſtea in multas orbis regiones diſtrahitur, rarò tamen in Italiam, quum Venetæ triremes in Tripolim Syriæ ciuitatem, per mare Ionium, quolibet anno nauigantes, inde inter alias merces, & varia

Spica nardi vera ad Luſitanos defertur.

ria aromata, ſpicam nardi quoque adferant, & poſtea vniuerſa Italia, è Venetiarum ciuitate tanquam cæterarum regina, ſibi comparent, non adeo tamen bonam, & odoriferam, vt illa quæ in Luſitaniam portatur: quanquam tamen contingat interdum Venetias optimam adferri, vt mihi hæc inquirenti Venetiis videre contigit, in ea præcipuè aromataria officina, cui Angelus pro ſymbolo eſt. vnde ſæpe ſum admiratus, cur Manardus Ferrarienſis, vir alioquin exercitatiſsimus, & cui veræ medicinæ ſtudioſi multum debeant, in epiſtolis ſuis ſcriptum relinquat, quod nardus hæc paſsim in Italiæ officinis habita, nec Indica, nec Syriaca ſit. At re vera, Manardi errorem, non aliunde euenire ſatis ſum conſcius, quàm ex ignoratione hac, videlicet, quæ nam plantæ nardi pars, ſpica hæc ſit, quam ſi exactè dignoſceret, non tam fœde procul dubio Manardus ceſpitaret: Libro enim vj. ſuarum epiſtolarum, epiſtola iij. inquit ille, Galeni mentem eſſe, ſpicæ nardi radicem, in theriaces compoſitione ponendam eſſe, non verò ſpicam ipſam, quam tantum ad nos afferunt, & vtinam bonam, ita enim ibi Manardus ſub iis verbis loquitur: carere nos Indica nardo, quis dubitet, qui ſpicam quidem vocari apud Galenum legerit, eſſe tamen radicem, ſed & in ea theriaces præparatione quàm cæteris veluti conciſam magis, & manifeſtiorem præfert Galenus, ſic ad verbum carmine quodam ſcribitur terebinthíque reſinam, nardíque radicem Indicæ: & ſubdit, ad nos vehitur ſpica, atque vtinam nardi eſſet. Suauitate enim odoris penitus caret, & ſaporis eſt valde ingrati. Item lib. viij. eiuſdem voluminis, epiſtola iij. tradit, quod in theriaces præparatione teſte Galeno libro de Antidotis præferendæ ſint radices tanquam virtuoſiores, ſpica neglecta: in quibus verbis, liquidò claret, quàm male Manardus Galenũ ibidem intelligat: quod non aliunde oritur, quàm quia vt diximus, nõ nouerat ille, quæ pars plantæ nardi ſpica eſſet, quæ dubio procul non alia eſt, vt ſuprà meminimus, quàm radix: id quod Galenus citato loco libri de Antidotis, facillime declarat, dicens: Iubet Andromachus adiicere nardum Indicã, ea verò eſt quam ſpicam vocant, non quòd ſpica ſit, radix etenim eſt, ſed quòd ſpicæ figuram habeat. Hæc ille, per quæ, niſi quis

ſaxeus

ſixeus ſit, percipiet, Galenum per ſpicam hanc Indicam, radicem intelligere, quum re vera radix & non ſummitas, aut plantæ ſpica ſit, dicitur tamen ſpica, quia ſimilitudinem quandam cum ſpica habeat. Non ab re, Galenus lib. viij. de Facul. ſimpl. medic. tractaturus de nardo, capitis lemma præfixit, de ſpica nardi, tanquam parte totius herbæ nobilioris: ſciens vtiq; ille, quum de ſpica mentionem faceret, radicem ipſam pertractaſſe, vtpote plantæ totius partem præſtantiorem. nam ſi Galenus hoc aliter intelligeret, quod ſpica radix non erat, ſpicam ipſam relinqueret, & in titulo capitis, ſub nomine totius plantæ, vel ſaltem ipſius radicis partis nobilioris, & notabilioris totius plantæ ageret. At quum eandem rem eſſe ſciret, ſub ſpicæ nomine, de ea ſcriptum poſteritati relinquere par fuit. Cæterùm Plinius in hac re audiendus non eſt, imò potius parua illi fides eſt habenda, quum nardū longè aliter delineet, quàm res ipſa ſit, vt ex Galeno & Dioſcoride, in præſenti diiudicare eſt, nam lib. 12. eiuſdē numeri capite, ita de nardo ſcribit: frutex eſt graui & craſſa radice, ſed breui ac nigra, fragiliq; quamuis pingui, ſitum redolente vt cyperi, aſpero ſapore, folio paruo denſoq;: cacumina in ariſtas ſe ſpargunt, ideo gemina dote, nardi ſpicas ac folia celebrant. Hactenus Plinius, in quibus non ſolùm à veritate multum aberrat, ſed etiam multis & præclaris viris aberrandi anſam dedit, inter quos nominare eſt Hermolaum Barbarum, Ruellium, & Antonium Muſam Braſauolam, quorum priores duo, vt plerunq; adnoto, malunt pluries cum Plinio errare, etſi errantem noſcant, & manifeſtum errorem videant, quàm verum dicere. Ea de cauſa Ruellius capite 6. libri ij. in officinis à ſe nardum conſpectam Plinianæ nardo reſpondentē affirmat, quod falſum eſſe crediderim, quum multis qui hæc magna cura quæruntnunquā vel caulem, vel folia, aut feſtucas, radicemúe alteram præter ſpicam videre contigerit: quapropter, vt Mathiolus doctiſsimè adnotat, facetiſsimus ille Muſæ Senex fruſtra Venetias mittitur, ſi modo præter ſpicam, nardi folia, caulem, vel radicē comparare ibi ſibi debeat. pareat Amicus, quum magis amica ſit veritas ipſa, quæ nullius vel odio, vel amicitia deſerenda eſt: quum ſpica omnibus officinis obuia radix ſit, nec in fruticis ſummi-

Spica nardi radix eſt, non ſpica.

Plinio in deſcribēdo nardo parua fides danda eſt.

Plinius anſam aberrandi iſtis doctiſsimis dedit.

Mathiolus

tate eueniat, vt falsò Plinius dixit, & Ruellius credidit: imò nec Dioscorides, nec Galenus, partem nardi alteram vsui medico commendarunt, præter spicam ipsam, quam hic Dioscorides vt præcipuam plantæ partem (vt sui moris est, quum herbam aut plantam fruticemúe aliquã describit) delineat, quum inquit: habetque Syriaca nardus primum bonitatis honorem, quæ recens, non ponderosa, comosa, colore rufo, odoratissimaque est, & quę vna cum angulosi odorati iunci odore, breui spica, & amaro sapore sit: quæ itidem linguã exiccet, odoris suauitate diu permanente. In iis ergo clare Dioscorides spicam ipsam nardi depingit, quæ si nõ radix esset, vel radix altera res esset, de ea proculdubio dissereret, & illi, vt parti præcipuæ & in honore habẽdæ signa tribueret: sed quum spica in officinis habita, radix nobilis nardi sit, de ea vt præcipua, sermonem agere consequens fuit. Quod verò Dioscorides inquit numerosas ex vna eademq; radice prodeuntes spicas ex se mittere, easdemq; comosas, implicitasq; & odore viroso: nobiscum agit: quum ab vna præcipua radice, tanquàm cæterarũ matre, plures radices ceu spicæ comosæ implicitæ oriantur: vt simile videre cõtigit in quadam herba è montibus Bononiẽsibus ad nos delata, qua Meum esse deprehendimus, cuius radices infinitæ, ita in spicas diuaricabantur, vt spicam nardi esse, omnes videntes dicerent: inter quos erat Gaspar de Gabrielibus nobilis Patauinus, vir doctissimus, & harum rerũ curiosissimus, vt demum concludere debeamus, in nardo nullã præter spicam reperiri radicem, quum spica radix sit, non verò fruticis summitas: de qua Galenus, libro viij. de Facul. simpl. medi. ita tradit: calfacit excessu tertio, desiccat secundo cõpleto: constat ex astringenti, acri & leuiter amara substantia. Quare radix iecori & ventriculo cõuenit, & pota & admota extrinsecus vrinã ciet, morsus stomachi sanat, ventris, capitis, & thoracis fluxiones desiccat, valẽtior tamẽ est Indica, quæ nigrior, q̃ Syriaca existit. Cæterũ, hæc illa spica nardi est, quæ rhabarbaro, nõ vt malignitatẽ aliquam extinguat, sed vt viã laxiorẽ prębeat, miscetur: quãquã illius loco, potius cinnamomo vti melius est. Ex hac quoq; spica nardi in officinis paratũ oleum habetur: olim verò vnguentum concinnabatur, ut Galenus millies meminit,

Meu in mõtibus Bononiẽsibus reperitur. Gaspar de Gabrielib. Patauinus Spicæ nardi tẽperatura.

minit, & de eo quoque in Euangelio legitur.

DE NARDO GALLICA.

Græcè, κελτικὴ νάρδος, *Latinè*, *Gallica nardus*, *Celtica nardus*, *Celticum nardum*, *ſpica Romana*, *ſpica Celtica*, *ſpica Gallica*: *vulgò ſpica nardo*, *da Genoua*.

Secunda ſpecies.

Græcè, ψευδονάρδος, *Latinè*, *Saliunca*, *hirculus*, *ſpica communis*, *maſcula ſpica*: *Italicè*, *ſpigo*: *Hiſpanicè*, *ſpliego*: *Luſitanicè ſpique*: *Gallicè Aſpic*: *Germanicè*, Spica nardi.

Tertia ſpecies.

Græcè, ψευδονάρδος θύλδα: *Latinè*, *lauandula*: *Hiſpanicè*, *alhuzema*, *alfazema*: *Italicè lauanda*, *Gallicè lauende*: *Germanicè*, Lauendel.

Nardum Celticum.

Textus ſeptimi Enarratio.

QVantum herbaria medicina à maioribus noſtris neglecta, & cõtemptui fuerit habita, non aliunde, mea ſententia, argumentum quærendum eſt, quàm à Celtica nardo, quæ quum herba Italiæ famigeratiſsima ſit, illius tamen loco hucuſq; in officinis recepta ſit herba, nullum penitus habens ſaporem, aut odorem, oblonga, contorta, caule tenui, in quo minutiſsima inſunt folia, ad luteum vergentia colorem, nam tota ipſa herba, arborum muſcum figura

refert, imò ſparti cordam : quæ tantum differt à vera Celtica nardo, quantum crocus à crocodilo. Sed hæc & ſimilia non aliunde eueniunt, quàm ex, principum & ciuitatum rectorum auaritia, ignauiáve, qui medicos ſuos male alunt, nec eos iudices conſtituunt ſuper ipſos pharmacopolas: vt quum falſa pro veris venderent, eos carceri prius mancipatos, tanquam malefactores, & vitæ humanæ inimicos, pecuniaria pœna multarent : igni quæcunq; falſa, vel putida, aut corrupta, muſcidáve forent tradendo. nam tunc, mea ſententia, in vnaquaque ciuitate omnes inter ſe conuenirent pharmacopolæ de optimis captandis medicamentis, radiciſecas tranſmittendo in varias orbis partes, vt inde veras herbas, plantas, frutices, radices, ſemina, fructus, flores, lapillos, metalla, & ſi qua ſunt alia, portarent. quod ſi feciſſent, proculdubio non deeſſet in Italiæ officinis nardus Celtica, quæ non ſolùm in alpibus Liguriæ naſcitur, ſed Iſtria, Gallia, & aliis variis locis: herba longè à ſpica vulgari, & communi lauandula differens: illius tamen flores lutei ſunt, & radices tanquam ſpicæ, conſpiciuntur, quarum & caulium præcipuus vſus eſt. Curent igitur ſeplaſiarij deinceps veram Celticam nardum habere, quam è Liguria afferre facile poſſunt, vt nonnulli curioſi pharmacopolæ ad ſe deferendam inſtituerunt. De qua Galenus breuiter dixit, nardus Celtica, id eſt, Gallica, ad omnia eſt imbecillior dictis, præterquam ad prouocandam vrinam, nam calidior illis eſt, ſed minus aſtringit: hæc ille. Vnde mea ſententia, ſi rhabarbaro ſpica adiungenda eſt, hæc & non Indica adiungenda eſt. Cæterùm ſpica communis, à ſpicatis cæruleis floribus dicta, qua tonſores & balnearij in lixiuio vtuntur: ferè eadem cum lauandula eſt, niſi quòd maiuſculas ſpicas habeat, cuius folia tantæ ſoliditatis ſunt, vt frangi potius quàm plicari queant: vt merito Plinius lib. xxj. cap. vij. de ea ſub ſaliunca agens dicat, folioſa quidem eſt, ſed breuis, vt in coronas necti non poſſit, herba verius quàm flos, denſa veluti manu preſſa, breuiterq; ſui generis ceſpes, quæ in Pannonia & Noricis naſcitur, tantæ ſoliditatis, vt metallum eſſe ceperit. Etiam ſi mendosè, non ſoliditatis, vt vetus habet lectio, ſed ſuauitatis ſcriptum ſit, quanquam

Principum & ciuitatum auaritia.

Nardus Celtica in Italia naſcitur.

Celtica ſpica rhabarbaro adiũgenda eſt.

*

& Ruel

& Ruellius hoc minime animaduerterit, sed cùm cespitans in hac lectione incesserit, sic legendo, tantæ suauitatis, vt metallum esse ceperit, a: si metallum suaue reperiatur: sed de iis satis. Est igitur communis hæc spica Plinij Saliunca, vt Euritius Cordus vir verè cordatus in herbarum suo sermone testatur: non verò saliunca, Gallica nardus est, vt falsò credidit Leonicenus, quem sequi Ruellium audio. Quæ tamen Leoniceno, & Ruellio occasionem aberrandi dederunt, verba hæc ipsa Dioscoridis sunt, quæ in quibusdam non probatis codicibus comperiuntur, quæ ita habent: Nascitur Gallica nardus in Liguriæ alpibus, ab incolis gentis suæ vocabulo, saliunca appellata: quũ in melioribus, non saliunca, sed Gallica appellari comperiatur, vt ex Marcelli Verg. versione cõprehẽdere est. Est igitur cõmunis hæc spica, vt diximus, apud Plinium Saliunca: quanquã si quis apud Dioscoridẽ, sub nomine hirculi ob intensum quem habet odorẽ collocaret, qua idem Dioscorides queritur Celticam spicam adulterari, non multum à veritate aberraret: imò huic sententiæ subscribit Euritius Cordus loco à nobis signato. vtcunque tamen sit, nos pseudonardum eam appellamus, ex cuius floribus oleum hodie in Italia paratur tanti odoris & acuitatis, vt quemuis alium odorem sibi proximum facilè superet: qua de causa myropolæ & vnguentarij rarò in apothecis suis & vnguentariis tabernis illud habent, ne vnguentorum & rerum redolentium suauitas, ab illius odore superetur, suffocetúrve. Huic affinis lauandula est, hortis vulgatissima herba, quæ fœmina spica illius respectu dici potest, quum minor sit, breuiusculas habens spicas, sic dicta lauandula à lauando, quoniam ea homines maxime lauantur: & ex ea quoque aqua per campanam elicitur, & oleum paratur, quod fœdifragi pharmacopolæ loco olei spicæ nardi, ægrotantibus, contra stomachi frigidioris vitia porrigunt. Sunt enim duæ iste herbæ viribus non absimiles.

Euritius cordus laudatur.

Saliunca apud Plinium, vulgaris spica est.

Leonicen⁹ errat.

Ruellius errat.

Lauãdula herba.

CONSTANTINVS.

*

Longè aliter legitur apud Plinium: nam addit de suo, Amatus Lusitanus, in coronas: quæ voces, in Plinij codice nõ legũtur. Rursus omittit hæc verba: radici numerosè cohæret. Et hæc sequentia inuertit, cespes sui generis: Ac continentem clausulam resecat.

Tandem

Tandem obtrectandi studio, author alioqui de arte herbaria (in qua quidem vel vnius Plinij elegantia, hanc excusationem adimit: ornari res ipsa negat contenta doceri) tam benè meritus, quàm malè de lingua Latina, in qua vt nullus est, ita in illa summus, ac propemodum singularis, Plinij lectionem corrumpit, consultò, an insciente nescio, certè vt ex aperto, Ruellium doctissimum petat. Et vt vt sit, Plinij hæc verba de saliunca, tantæ suauitatis est vt metallum esse cœperit (eius bona pace dixerim) non assequitur. significat enim his verbis Plinius, propter odoris suauitatem, metalli loco expeti: vel vt metallum conquiri, quasi non sit minoris indicaturæ & pretij. Quæ enim, amabo, nostet Amate (ad te enim conuertetur oratio) metallicum herba conuenientia, si tantum in soliditate conferantur? vel quis tibi, aut Cordo concedat, Plinij saliuncam spicam esse communem, nisi qui Plinium, cæterosq; herbariæ scriptores non legerit? Sed hoc controuersum, alio loco transigemus. verùm quod postremo loco ponendum, quis te ferat vt philosophum, ac non potius vt physiologiæ ignarum coarguat, cùm hoc loco ita ineptè philosopheris? Cuius folia tantæ soliditatis sunt, vt frangi potius quàm plicari queant. An non etiam solida permulta plicantur, inter quæ aurum & ferrum? Sed (ò bone) nihil flecti potest, quod lentum humorem & sequacem non habeat: è diuerso verò, flexile, nec fractu contumax quicquid lentore præditum est. Quod igitur flectatur, aut disiliat causa non est, quod solidum & compactum, aut cauum & rarum sit: sed quod tenaci & viscoso humore, plus minusve, abundet, aut careat. Quare hoc totum, iudicatò retracta amicè admonitus: vel nobis ita esse, saltem rationibus ostende: in quo omnibus facies satis, mihiq; priuatim quàm gratissimum.

DE MONTANA NARDO.

Græcè, νάρδος ὀρεινὴ: Latinè, nardus montana, montanum nardum, vulgò montano nardo.

Textus octaui Enarratio.

Nardus montana vera.

VEra montana nardus, ex Syria quum hęc scriberem, ad me delata est, cuius radices sunt solidæ, graues, subnigræ, semidigitalis longitudinis, hastulæ regiæ radicibus persimiles, graciliores multò tamen, ex se optimum expirantes odorem, quas Italia hucusq; nunquam vidit

vidit. eas tres nunc Ferrariam mittimus, vt doctíſsimus Braſauola diſcernat, quantum hæc ab ſpica Indica differat: de qua Galenus, vt ſuperius retuli, ita inquit: plurima in Cilicia naſcitur, ſed prædictis infirmior.

DE ASARO.

Græcè, ἄσαρον, νάρδος & ἀγρία: Latinè, Aſarum, ruſtica nardus, nardus agreſtis, vulgò: Hiſpanicè, aſara baccara: Italicè, aſaro: Gallicè, cabaret: Germanicè, Haſel vvrtz. *Arabicè, Aſaron.*

Enarratio nona.

Aſarum.

Aſari & cyclamini differẽtia.

ASarum, ſiue ruſtica nardus, officinarum aſarum eſt, cuius folia adeo cyclamino reſpondent, vt difficile inter ea diiudicare quis poſſet, niſi variis notis illa cyclamini emaculārentur. Dicitur verò à nonnullis aſarum, baccharis, vnde monendum eſt, ne pro aſaro baccharis, baccharis intelligatur. quum baccharis herba fruticoſa, qua faſcinũ depellitur: addiq; ſolebat in coronis apud veteres, de qua Virgil. vtrunq; eleganter exprimẽs in carmine Bucolico, inquit: Bacchare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro. de qua lib. iij. cap. xlvj. agemus. Cęterũ Antonius Muſa Braſauola vir doctiſsimus, in examine ſuorum ſimpliciũ, Plinium huius quoq; eſſe opinionis, videlicet quod baccharis ſit aſarum, cõtendit. Mea tamen ſententia, Plinius longè aliter ſentit, quum lib. xxj. cap. 6.

Aſarum à bacchare differt.

Braſauola fallitur.

Plinius à calũnia defenditur.

cap.6. potius acriter eos mordeat, qui credunt baccar, esse rusticã & agrestem nardum: quum re vera, rustica hęc nardus, asarũ sit, & non baccharis dicatur, vt eius verba è citato loco indicant, quæ ita habent: Sed eorũ quoq; error corrigendus est, qui baccar, rusticũ nardum appellauere: est enim alia herba sic cognominata, quam Græci asaron vocant, cuius speciem figuramq; diximus in nardi generibus. Quinimo asaron inuenio vocitari, quoniã in coronas non addatur. Hæc Plinius. In quibus luce clarius videtur, quòd baccharis apud Plinium longè alia est herba ab asaro: proinde doctissimus Brasauola, potius emẽdandus est, quàm Plinius ipse taxandus. Nam quicunq; melius dixerit me suum habebit assẽclam. vnde tamen ortũ sit, asarum, bacchar à multis vocitari, nõ aliunde crederẽ, quàm quòd multa quæ capiti de bacchare deseruiunt, huic de Asaro inserta sunt: quę mea sententia optimũ esset expungere, & ad locum suum reducere. sunt enim illa, vt nullus ambigat, hæc: Magi sanguinem Martis: Osthanes thesam: Aegyptij, cercertam: Thusci, succinum: Galli baccharem: Romani perpensam dicunt, Coronaria: Hactenus verba illa, quæ dubio procul huic capiti adiectitia sunt, & ea de causa expungenda puto, & baccharis capiti addẽda. Cęterum Asari radix vtilis tantum est, quæ in tertio ordine caliditatis & siccitatis collocãda est: quum Galenus easdem cum acoro vires habere dicat, lib. vj. de Facultatibus simplic. medicamentorũ, ad istum modum: Huius herbæ radices vtiles sunt, facultate similes radicibus acori, intensiores tamen, itaq; ex iis, quæ de illis prodita sunt, hic facienda coniectura. Constat enim Galenum collocasse acorum tertio gradu caliditatis & siccitatis. Mesues verò, inquit, asarum longis febribus à meatuum obstructionibus ortis conuenire, quod & bilem & pituitã soluit, pondere quatuor drachmarũ. Dioscorides porrò ad septẽ vsq; concedit, proinde nos à semiuncia ad integram cõsulto propinare possumus. cæterùm de asaro Manardum legere ne pigeat libro xj. suarum epistolarum, epistola quinta.

Baccharis ab Asaro differt.

Asari radix & facultas.

* *

Dosis Asari.

CONSTANTINVS.

* *Baccar siue Baccaris Plinio libro 21. cap. 6. lib. 21. cap. 6. 12. 13. lib. 21. cap. 19. 35. & cap. 11. 26. 36. 35. lib. 12. cap. 12. 15. est. Asarum: quo etiam nomine à nonnullis nardum falso vocari scribit.*

bit. βάκχαρις verò, siue baccharis, alia est herba, quam describit Dioscorides libro 3. capite 51. sed affinitate nominum falluntur quotquot sunt rei herbariæ recentes scriptores: & non animaduersa scripturæ differentia, in re minima grauissimè peccant: & inter se rixantur. Consimilis eorum omnium est error in Cassia, quæ κασσία est Græcorum cum duplici sigma: cum simplici verò Cassia herba est coronaria, & apiarijs expetita, cuius tantum ex antiquis meminit Virgilius, tribus aut quatuor ad summum, locis. Vt etiam de Bacchare, apud eum versus legitur in Bucol. quo loco intelligendum de Dioscoridis bacchare herba in coronas addi solita. Nam Asaron ob id dictum, quòd coronarium non esset idem scribit Plinius, lib. 21. Cap. 6.

CONSTANTINVS.

PErnicioſum conſilium: ſiquidem experientia conſtat valentem eſſe vim Aſari, vt quod veratri albi modo purget, etiam Dioſcoride teſte, cuius vncia ſumpta Amati ſuaſu, τὸν ὑποκάθαρσιν, inducet. Conſultius igitur, multò infra ſubſiſtere, quam ita temerè periclitari: cùm in talibus rebus, ſæpe vel minimus error, exitium afferat. vnde mirari ſubit, in rebus tanti momenti, nonnullorum hominum temeritatem & ſupinam negligentiam. Certe quidem Dioſcorides Aſari drachmas ſenas tantum exhibet: atq; hic etiam codex impreſſus corruptus eſt: nam in vetuſtiſſimo manuſcripto, pro ϛ' legitur ε quinarij nota. Adde quod vires noſtræ ætatis hominum, antiquorum viribus nequaquam reſpondeant, vt innoxiè ferre poſſint complurium pharmacorum præſcriptum pondus à maioribus. quod quia in confeſſo eſt, exiſtimemus multoties, potius quàm multum, in purgando ſecurius. * *

DE PHV.

Græcè, φῦ, ἀγρία νάρδος: Latinè, Valeriana, ſylueſtris nardus: Hiſpanicè, herua benedicta: Italicè, Valeriana: Gallicè, Valeriane: Germanicè, Baldrian, Theriacks kraut: *Arabicè Fu.*

Textus decimi Enarratio.

PHu, ſiue Sylueſtris nardus, abſque verborum ambagibus, aut controuerſia vlla, noſtra eſt Valeriana: quòd verò noſtra paulò minor apparet, quàm Dioſcoridis deſcriptioni reſpondeat, hoc regionis influentis culpa, non *Phu noſtra eſt valeriana.*

vero

Phu.

Valeriana.

verò rei cauſa eſt. Quare ſapientiſsimè Marcellus Virgilius inquit, quam pro Dioſcoridis phu, herbarij ætatis noſtræ oſtendunt, Valerianam ſcilicet herbam, minor longè ea eſt, quæ ab hoc ſcriptore deſcribitur: nec omnes omnino vtriuſque inuicem ſibi reſpondent notæ, quæ tamen prçcipuè à Dioſcoride numerantur conuolutæ glomeris modo, & vt Plinius ait, villoſæ radices, earumque nardi odor, & albicans in caule purpura: in noſtra pariter ſentiuntur, credimusq; nos, vt in animalibus etiã fit, quæ non eadem mole corporis, ingeniiq; ſui natura vbiq; naſcuntur, in alieno orbe, cœli aut terræ beneficio, phu hãc proceriorem naſci: quoniam & in noſtro orbe cubitalis aliquando viſa fuerit: imò herbarij multi, valerianas duas indicant, alteram minorem, alteram verò maiorem theriacariam herbam dictam, omnino Dioſcoridis deſcriptioni reſpondentem. ſed quòd verè flores nõ reſpodeant floribus narciſſi, id parui eſt momenti: quum textus iſte corruptus, & mutilus ſit, vt Ruellius optimè adnotat.

Valeriana maior theriacaria herba dicitur.

Cæterùm

Cæterùm huius radices in vſum veniunt medicum, quæ natura ſimiles ſunt ſpicæ nardi, & ea de cauſa, calidæ in primo gradu, ſiccæ in ſecundo collocandæ ſunt: de quibus Galenus ita lib. viij. de Facul. ſimpl. medic. loquitur: phu odorata quodam modo eſt. huius herbæ radix, nardo viribus ſimilis, ſed tamen ad pleraque infirmior: vrinas mouet pluſquam aut Indica, aut Syriaca nardus, perinde vt Gallica.

Valeriana calida in primo gradu, ſicca verò in ſecundo.

DE MALABATHRO.

Græcè, μαλάβαθρον, φύλλον, Latinè malabathrum folium: & folium Indicum: Luſitanicè iuxta & Hiſpanicè betre: Indice, betre.

Textus vndecimi Enarratio.

EST apud Indiam regio quædam Malabar dicta, cuius maritimæ ciuitates ſunt, Batequala, Cananor, Calicut, Chalequa, Tanor, Cochym, Charamandel, & aliæ plures, quas Luſitani noſtri, non tam habitant, quàm frequentant: in qua regione, planta quædam magni nominis & pretij, viticoſa naſcitur, quæ lupi ſalictarij modo, aut volubilis aliis hæret, circumuoluiturve arboribus: folio viridi perpetuo, amplo, perſimili folio nucis, quod à parte exteriori, tribus ſatis notis lineis ornatur, nam totum folium vndulatum eſt, quod paucis foliis herbarum vel fruticum euenire notauimus. Vocant autem Indici homines folium hoc, betrum, ſiue batrum: alij verò à regione in qua præcipuè naſcitur, malabatrum: quod folium, tanquàm pretioſiſsima res, ac delicioſiſsima, ab incolis Indiæ habetur, illo enim continuo veſcuntur: quia cerebrum confortat, ſtomachum roborat, & cor exhilarat, ac Venerem incitat. Imò huius folij eſu homines illi ita oblectantur, vt poſtpoſito omni genere cibariorum, hoc tantum contenti euadant: nec enim eo ſolo in victu vtuntur, ſed aliis admixto rebus, præcipuè Chalci ex oſtreis, aut buccinis confecto quam ſua voce Chulabum appellitant: veluti quoque puluere nucis cuiuſdam Areque dictæ, quæ magnitudine nucis moſcatæ, ex arbore procera apud illos naſcente, colligitur, cui folium bicubita-

Malabar regio apud Indos.

Betrũ Indicum.

Chulabũ Indicum quid.

Arequa apud Indos quid.

lis magnitudinis est, latitudinis vero, dodrantalis in acutum desinentis. Est porro, vt obiter de ista nuce arequa dicamus, fructus admodum stipticus, sputũ croceum reddens: vnde quum folium malabathri, Chalci, & Areque mixtum ori admouetur, totum os croceum redditur. Mirum enim in modum, malabathri folium, pro halitus, orisve suauitate commendatur: quo fit vt homines vel negotiis impliciti, illud in ore continuo trahant: calidum enim, & siccum, in secundo gradu. Indicum hoc folium est, quod, an Arabum Tembul sit, pro firmo vt crediderim nondum statui: certus tamen sum, folium quoddam officinis hodie pro malabathro receptum, aridum, nucis iuglandis folio simile, subpallidũ & solidum, non hoc betrum à nobis descriptum esse: quum potius illud cinnamomi folium sit, vt officinarum Seplasiarij quoque fatentur, & ipsius attestatur sapor. Suaderem igitur, si betrum hoc Indicum haberi posset (quod hodie verum ex India delatum, Anconæ habemus, & ex Olysippone omnium ciuitatum occidentalium facile regina, peti potest) nullum aliud desideretur malabathrũ folium Indicum dictum: quum omnia in folio Indico desiderata, in betro isto reperiãtur: & nisi tanta esset authoritas Dioscoridis in describendis veris simplicibus, proculdubio non vererer affirmare nullum in India vnquam malabathrum reperiri, præter hoc à me dictum, & in India hodie repertum, imò antiqua voce seruatum: quum batrum siue betrum, dempta particula, mala, vocent: quam particulam à Græcis potius additam crediderim, ob regionem sic Malaber dictam, in qua præcipuè vt diximus crescit: quum India, sua antiquissima rerum teneat nomina, quia non vastata, aut destructa, aliisúe linguis fœdata vnquam fuit, vt multis euenit populis, quibus de causis, rerum nomina variantur, mutanturúe. Verum Plinius lib. xij. cap. xxvj. malabathri duo facit genera, alterum paluſtre, de quo in præsentia agit Dioscorides, & omnibus hodie ignotum. Alterum vero arboreum, ànobis delineatum, ex quo oleum exprimitur, & vunguentum antiquitas magni prætij parabat, foliatum dictum, quo locupletes Romanæ mulieres oblini solebant, vt testatur Galenus, ac Plinius.

Tembul.

Betrũ Indicũ malabathrũ est.

India prisca sua reti net nomina.

Malabathri duo genera.

De

DE CASSIA.

Græcè, κασία: *Latinè*, *Cassia*: *Arabicè*, *selicha*, *selche*, & *selihacha*: *Gallicè Canelle*: *Italicè Canella*, *Casia*, *Cannella*: *Hispanicè*, *Canela*: *Germanicè*, Zimmet, Zimmet reerlin, Zimmetriden.

Enarratio XII.

Casia cum cinnamomo confinitas.

TAnta est Casiæ cum cinnamomo confinitas, vt persæpe testante id Galeno, libr. de Antidotis, Casiæ ramuli, in cinnamomum vertantur, & contrà, quod dignoscentes illic Indici gentiles, quum arbores excorticant, vtriusq; nullam faciunt differentiam, sed indiscrete casiam cum cinnamomo in fasciculos redigentes ad nos mittunt. gizi enim vel ziger, Galenus ad Dioscoridis mentem, meliorem casiam dixit, quæ multum ad cinnamomum accedit, vnde pro cinnamomo suo tempore vendebatur. Sic enim ille libro primo citato prodit: Cæterum ex iis omnibus quæ de Casia retuli, maxime est necessarium definire, qualis casia sit iniicienda, quum gizi maximè commendent, mox appellatam moton, sunt qui, arebo, & daphnitem, quòd igitur gizi cinnamomo in omnibus respondeat, dictum à me quoq; est: Hæc est quæ subinde ab huiusmodi rerum peritis, ceu cinnamomum venditur: eiusce generis existit, sed fistulam dictam ab aliquibus, iunioz Andromachus iniiciendã censet, omnibus autẽ hæc cognoscitur, quinetiam facillime omnium comparatur: exteriorem sane corticem, quem fistulam dicunt, fortem tum odoratu, tum gustu obtinet: interiorem vero imbecillimam, vt nullus ipsius vsus esse nobis possit: Hæc ille: Per quæ nollem quis tam ἄμουσος, aut fatuus esset, vt casiam hanc fistulam, cum Arabum & officinarum soluente casia fistulari, vel siliqua dicta Aegyptia, confunderet, quum multum, vt omnes ferè iam norunt, inter se differant, cuius inanimaduertentia multi medici, quum casiam pro euocandis irritandisúe mensibus legebant, non casiam hanc Græcorum: sed potius siliquæ purgantis cortices, mulieribus non sine ingenti periculo

Casia fistularis Græcorum à casia fistulari Arabũ differt.

riculo propinabant, vt Leonicenus vir acri ingenio præditus, & qui tenebris inuolutam medicinam, in lucem & priſtinum nitorem redegit, prius aperuit: omnes tamen ferè neoterici, canellam ſiue officinarum cinnamomum, Græcorum caſiam eſſe opinantur: in quam ſententiam, non ſic facilè condeſcendo, quum ſciam, in vaſtiſsimis capſis canella refertis, quæ ex India Antuerpiam afferebantur, & caſiæ & cinnamomi omnia penè reperiri genera, vt qui hæc quoq; curioſè quæſiuerit, inueniet. Eſt tamen cinnamomum nonnullis internodiis ornatum, ad nigredinem rubens, ſapore acri, linguam maxime vellicans, odoratiſsimumque: vnde fit, vt eius loco caſiæ duplici pondere, vt olim Quintus præcipiebat, minimè opus habeamus, quum cinnamomo maxime abundemus, vt latius capite ſequenti dicemus. Caſia verò, coralli modo rubet, nec linguam ita intenſè vt cinnamomū erodit, ſed cum acuitate quadam potius aſtringit, cuius maior copia quàm cinnamomi ſemper comperitur, de qua Galenus libr. vij. de Facul. ſimpl. medic. ita ſcriptum reliquit: caſia exiccat, & excalfacit, tertio quodammodo ordine: ſed & tenuium admodum partium eſt, guſtu verò plurimum habet acrimoniæ, leuiter quoq; nonnihil aſtringēs, quamobrem, ob hæc omnia incidit, ſimulque digerit quæ in corpore ſunt recrementa, & ad hæc, robur etiam inſtrumentis addit: idoneum verò etiam ſuppreſsis menſibus, quum videlicet à copia ſimul & craſsitudine excrementorum quod ſufficiat euacuari nequit.

Leoniceni laus.

Recētiores errant.

Cinnamomū quid.

Caſia quid.

Caſia exiccat & excalfacit 3. ordine.

DE CINNAMOMO,

Græcè, κιννάμωμον καὶ κινάμωμον, Latinè, Cinnamomum & cinnamum: Arabicè, Darſeni.

Enarratio XIII.

Zeilam inſula apud Indos.

CInnamomum, cuius non pauca reperiuntur genera, notiſsimum aroma eſt, quod nobis Zeilam inſula mittit, non parui apud Indos nominis, in qua multa prętera precioſorum lapidum copia habetur, nempe adamantum, carbunculorū & aliorum plurium quæ referre non vacat, nec ſi vacaret, puto fuiſſe operæpretium. Eſt etiam mons in eadem inſula, quem Adam, dum pœnitentiam ageret, tenuiſſe ab incolis creditur: cuiuſce rei pe-

nes

es ipsos fides esto. Verùm, vt ad aroma nostrum reuertamur, quoniam Plautus non minus facetè quàm eruditè, inquit, plus valet vnus oculatus testis, quàm decem auriti: non grauabor hic referre, quid de Cinnamomo audiuerim à quodam qui viginti annos Zeilam se egisse fatebatur. Arbor est, dicebat, quatuor ferè in altitudine cubitorum, crassitudinis brachialis, sex vel septem è trunco mittens ramulos, qui singulis annis amputantur, atq; iterum pullulant: quorum cortex, qui cinnamomum est, vt tenuissimus, ita maximè in pretio habetur, colore exteriore, subrufus, rugosus, cum quadam nigredine, nam intus cineritius conspicitur, odore suauis, gustu acer, ac mordax: nam folia quibus arbor hæc vestitur, nucis iuglandis esse dices, quę in officinis pro malabathro, falsò tamen venduntur: Hæc enim cinnamomo nostro ita respondent & à Galeno tam sæpe descripto, vt nullum aliud vnquam extitisse cinnamomum crediderim: Proinde rectè mea sententia seplasiarij, nostro cinnamomo, pro vero & Græcorum cinnamomo vtuntur, quare nullo opus habemus, duplo casiæ pondere, cinnamomi loco, vti: quum cinnamomo vero vt diximus abundemus. Argumentum verò quod recentiores adducunt, vt credamus nos vero carere cinnamomo, ex Galeni verbis à nobis inferius subscribendis desumunt, quæ siquis penitius animaduertat, inueniet Galenum non quidem asserere, suo tempore cinnamomum venale non prostare, sed potius quum sex cinnamomi genera passim ferebantur, vt facilius quis bonum à malo discerneret cinnamomum, opus erat Imperatorum cinnamomum optimum, tanquam regulam & cotem videre, & cum eo conferre: ac si quis hodie, gemmas, & pretiosos lapillos, emere decreuerit, veluti verbi gratia, rubinum: opus habet, non quod desint venales rubini, apud se perfectissimum reconditum habere, vt gemmarij vbique sed præcipuè apud Indos faciunt, vt eo perfectissimo præsente, facile de aliis iudicium ferre possint, vt de balsamo Galenus quoque fecit, qui vt verum haberet, in Iudæam nauigauit, vt facile eo vero præsente, adulteratum dignosceret. Sed quod regiũ magis quàm aliud nominet cinnamomum, illud mihi videtur in causa esse, vt integras cinnamomi arbores, vt in orbe alieno, apud

Cinnamomũ quid.

Folia cinnamomi prò malabathro falsò vsurpantur.

Cinnamomũ verum habemus.

Imperatores integras cinnamomi arbores habebant.

Imperatores ſtare indicaret, in quibus expertus fuit, illos omnino errare, qui cinnamomum longo temporis ſucceſſu non inueteraſcere, nec vires amittere contendebant. Quæ an ita Galeni verba habeant, ea hic placuit ſubſcribere, vt lector facile iudex ſit: Quæ ita habent: At de cinnamomo contraria his, quæ in opobalſamo dicta ſunt ſentio, perſuaſum nanque mihi eſt optimũ cinnamomum iis qui crebro viderunt, omniũ facillime poſſe dignoſci, hoc autem aliquem aſſequi non licet, niſi quis, imperatorum parata cinnamoma, quæ in ſex ferè differentias generales diuiduntur, conſpexerit: eſt nanque in his ipſis, inſignis optimi ad deterrimum exceſſus, quemadmodum in caſiis, vt optima caſia parum à prauiſsimo cinnamomo abſit: item quia cinnamomi vis quæ vſui ſit idonea diuturna haud efficitur, quippe, ad triginta quidem annos facultas ipſius quam initio obtinebat, integra conſeruatur. At nonnulli nugantur, qui ex huiuſmodi medicamentis cinnamomũ ſenij expers permanere pronuntiant, nec enim centum, nec ducentis annis interea delapſis, ſed paucis, ſi tantum numerum reſpicias, mutationẽ iam aliquam veruſtiori cinnamomo obortam vidi. Quum itaq; theriacam Antonino præpararem, vaſcula multa lignea conſpexi, alia Traiano imperante ſcriniis recondita cum cinnamomo, alia principatu Adriani, alia regnante Antonino, qui Adriano in Imperio ſucceſsit, ac omnia cum congeneri cinnamomo manifeſto ſe inuicẽ ſuperabant, tum guſtus, tum odoratus imbecillitate & vehementia, quantum & tempore euariabãt. Quin etiam quum aſportatum eſſet aliquando ex barbarorum terris ſcriniolum quatuor cubitos dimidiumq; longũ, vbi arbor tota cinnamomi primi generis erat condita, vnde cõpoſitionem quandam Imperatori Marco Antonino molitus, totum expertus ſum antidotum abundè aliis præcellere, vt poſtquam Imperator ipſum deguſtaſſet, tempus non expectauerit, quemadmodum in aliis, in quo medicamentũ concoquitur, ſed ſtatim vſus ſit, ne duobus quidem menſibus integris interea præteritis. Verùm vbi Commodus ipſi ſucceſsiſſet, nec theriaces antidoti, neque cinnamomi ratione ab ipſo habita, tũ arboris illius reliquũ, tum quodcunq; aliud poſt Adriani tempora apportatum eſt, totum

Galeni ſententia de cinnamomo.

Cõmodus imperator negligens.

inter iit

interiit. Quare quum huius tempestatis nostræ Imperator Seuerus iniunxisset, ipsum simili modo quo Antonino præparabam, antidotum componi: coactus sum ex iis quæ Traiani Adrianiq; tempore erant sepositа, deligere, ac mihi euidenter imbecilliora euasisse nunc apparebant, neq; triginta quidem annis interea absolutis: quapropter sermoni de optimo cinnamomo habito, aliquid necessarium cogito adiicere, vt sit odoratissimum, indicibilem quandam odoris gratiã, super alia omnia referat, gustanti calidum admodum percipiatur, non tamẽ, vt molestè rodat: colore autem tali, veluti si quis lactis colorem fusco admiscuerit cum modico ceruleo nuncupato: sumpto autem ex eo quantum volebam, sicuti consueui, paucos ramusculos apud me reposui in scriniũ, vbi omnia quę mihi chara & in pretio erant, continebantur: At eo combusto, quando & Pacis delubrum incendio flagrauit, cum aliis quinq; cinnamomi generibus, totum quod cõparaueram intercidit. hactenus Galenus. Per quę lectori satisfactum iri ad mentem nostram minime dubito. Tacebunt igitur deinceps scribentes, nec amplius verum desiderabunt cinnamomum, quum eo nos abundare in confesso sit: de quo Galenũ quoq; legito, lib. de Facul. simpl. medic. septimo, vbi ita pro coronide inquit, summe tenuium est partium, atque ex tertio ordine calfacientium, nihil autem æquè desiccat, eorum quæ pariter calfaciunt propter tenuitatem essentiæ.

Cinnamomũ tertio ordine calfacit, & summe exiccat.

AMOMVM.

Græcè, ἄμωμον: Latinè amomum: Arabicè, hamemis, & hamama.

Enarratio XIIII.

QVis cœlum terræ non misceat, & mare cœlo, si medici nostri temporis, quum multa antiquorum medicamenta nobis aut penitus sint ignota, aut manca prorsus nobis venerint, tamen ne illis videantur carere, adulterinis medicamentis vtantur, quæ aliquando præsentissimam mortem potius quàm salutem adferant: quum tamen illa pro veris & germanis venditent, quod in amomo præsenti facile est videre: nam quũ verò careant amomo, botruoso, & velut minuta vua, quidam eius loco quodam

Amomum non eſt minutum ſemẽ nigrũ.

geranij genere vtuntur, nempe gruina roſtra proferente, & ſuauiter olente, ob idq; moſcata acus dicta herba. Alij autem, vt officinarum hoc tempore magiſtri, in eius locum, quodam exiguo vtuntur ſemine, & illo quidem nigro, non ſine ægrotorum tamen iactura: quum frutex potius quàm ſemen amomũ ſit, quod adulterari ſimili planta, ſed ſine odore & ſemine ſolet. Quæ fœminino genere, amomis dicitur, vt Dioſcorides, iis ſequentibus verbis monſtrat, dicens: Sunt, qui amomum, ea quæ fœminino genere amomis dicitur, adulterant, amomo ſimili planta, ſed ſine odore, & ſine ſemine. & ſubdit: oportet in huiuſcemodi rerum probationibus fragmenta vitare, eligendaque ſunt, quæ ab vna radice, ſuos habeant integros ramos. hæc Dioſcorides. Ex quibus clare percipitur, amomum lignũ quàm ſemen potius eſſe, cui fructus botruoſus, veluti vuarum racemus innaſcitur, quem Andromachus, deſcriptione theriaces dictæ galenæ, id eſt ſecuræ, vuam appellat, & ea vti præcipit, ſequenti carmine: meu totidem drachmas, & amomi poſtulat vua: quam vtinam ad nos portaſſent, quum hucuſq; vero careamus amomo. interim tamen cum eo caremus, conſuleré eius loco acoro, id eſt craſſa galanga, quam illo triuiali, exiguo, nigroq; ſemine, ab officinis recepto, vteremur: quum ſimilem facultatem amomum cum acoro habeat, vt Galenus libro Succedaneorum, teſtatur. Cæterùm, qui amomum, roſam Hierichontis eſſe cõtendunt, proculdubio errant, quum in ea planta, nec origani percipiatur odor, quo ſenſum tentet, nec ſapor acris, guſtum erodens, imò nec folia bryonæ in ea conſpiciantur. At Mathiolus Senẽſis, quum nos vero carere amomo ſciret, vt illum tamen habeamus, in Luſitaniam nos remittit, vbi ex India nunc delatũ contendit, mea tamen ſententia fallitur, quum hucuſq; amomum verum incompertum ſit: de quo Galenus lib. vj. de Facul. ſimpl. medic. ita tradit: Amomum acoro ſimilem facultatem obtinet, niſi quòd acorum ſiccius ſit, maiore autem concoquendi facultate amomum.

Amomo vero carem⁹. Roſa hierichontis nõ eſt amomum.

Mathiolus fallitur.

Amomi facultas.

COSTVS.

Græcè, κόστος, & κοστάμον, Straboni: Latinè, coſtum, coſtus: Hiſpanicè, coſto, vulgo, coſto: Arabicè, Koſtos,

Koſtos, & Chaſt.

FALSVS COSTVS.

Græcè, Ψευδοκόστος: Officinis, Hortulana Romana, menta Romana: menta Sarracenica, coſtus hortulanus: Hiſpanicè, el coſto delas huertas, herua buena Romana: Gallicè, du cocq. Italicè, menta Romana.

Enarratio XV.

Coſtus.

COſtus, vel coſtum, aut vt Strabo, coſtarium, frutex eſt, cuius radix medicouſui venit, & eius Dioſcorides tria facit genera natali ſolo tantũ differentia, nempe Arabicum, Syriacum & Indicum: Plinius verò eius duo eſſe genera aſſerit, coloribus tantum diſtincta, ſcilicet albo, & nigro: vt apud ipſum legere eſt, libro Naturalis ſuæ hiſt. duodecimo, eiuſdem numeri capite: Hodie verò in officinis, & myropoliis, dulcis & amarus dicitur: quũ tamen amarum tantũ exhibeant, & pro eo herbæ cuiuſdam radicẽ capiant, quam hortulanam Romanam, ſiue mentam Romanã, aut Sarracenicam mentam ſeplaſiarij vocant, quæ herba vbique familiariſsima eſt, folio betonicæ, maiori tamen, ſed tenuiori, & multum odorato: nam illi caulis cubitalis eſt, & amplior, in cuius ſummitate, auri fulgore flauescentia capitella quædam adnaſcuntur. Hanc autem herbam, plerique hortulanum coquum, herbarium quendam Florentinum imitantes, appellitant, vt apud Impe-

Menta Romana coſti loco ſumitur à ſeplaſiarijs.

Hortulanus coquus non eſt.

ratorem Constantinum, libro de Agricultura, si Imperatoris est, legimus, qui costum, & balsamum in hortis seri viua radice asserit: nec hodie Castellani alio nomine herbam hanc vocant, quàm costum, præcipuè quum eam Culinæ pro iurulentis veruecinis carnibus parandis adaptant. Attamen quod herba hæc verus costus non sit, notius est quàm à me explicari possit.

Ruellius fallitur.

Ruellius verò Gallus, eam Plinij siliquastrũ, siue Dioscoridis hydropiper credidit, quod an ita sit, necne, alibi disseremus: indicandum tamen est eam pseudocosti appellationem mereri. alij verò costi veri loco, lepidij radice vtuntur: quum mea sententia, multo melius, & ad Galeni mentẽ, deficiente costo, ammoniaco, vel helenio: id est, enula campana, vti deberent, vt ex libro succidaneorum Galeno tributo, deprehenditur. Commodum hæc commentabamur, quum Franciscus Lusitanus qui Anconæ agit, mihi aliquot radices dono dedit, quas ab India sub nomine costi allatas esse dicebat: & erant revera ab India per mercatores Lusitanos, qui illic frequẽter negotiantur allatæ: eas quum primum vidi verũ costum esse iudicaui, & ne thesauri huius parcissimus esse viderer, continuo Ferrariam ad Brasauolam, Venetias ad amicos alios partem misi, qui omnes per literas & mihi gratias egere, & verum eam radicẽ costum esse mecum sensêre. quare multum Lusitanis hæc nostra tempora debere credo, quorum opera & industria non tantũ noua regna nobis aperiuntur, sed permulta etiam ad rem medicam pertinentia, quæ temporis vetustate sepulta habebantur, in lucẽ emergere cœperunt. Est autem costus hic Indicus apud nos habitus, radix non integra, sed vt rhaponticum verum, in multas secta partes, cui crassitudo pollicaris, et maior inest: color verò exterior subniger: interior autem cum albedine rubricat: gustu feruet radix hæc, nõ nisi magna & suaui aromaticitate, odore quoq; eximio & suaui, quam ante nos, multos annos, vniuersa Europa non vidit, & deinceps nostra diligentia, vt verũ rhaponticum frequenter habebit, quam ex Olyssippone Seplasiarij, & diligẽtes medici petent, quum ad hanc ciuitatem mercatores ex India venientes, radicem hanc nostris monitis adferre curabunt, ex ea suum quoq; quæstũ faciẽtes, simul vt mortalibus opem aliquam

Lusitanorum studium cõmendandum.

Costi descriptio.

aliquam ferant, quam quum habuerint, theriaca, & antidotum Mithridaticum, vero costo non defraudabuntur. Sed magis officinæ aromatariæ costi veri oleo ornabuntur, veluti Anconitanæ iam hodie ornantur. Cæterùm de costo, & eius viribus tradit Galenus libro vij. de Facult. simpl. medic. ad hunc modũ: Costus leuiculã plane amaram, plurimam autem acrem & calidam in se qualitatem simul & facultatẽ continet: adeo vt etiam exulceret, quum ex oleo corpus eorum quibus per circuitum rigor inuadit, ante accessionem illo confricatur: sic verò etiam in resolutis & ischiadicis, atq; in summa in quibus excalfacere partem quamuis, aut ex alto in superficiẽ extrahere quippiam est opus, ad costum confugitur: eadem de causa vrinas mensesq; prouocat, & ad rupta, cõuulsa, ac laterum dolores congruit: porrò ob amaritatem quæ illi inest latos lumbricos necat: ob eandem & ad contractas velut ex Sole maculas, ἐφήλεις Græci vocant, cum aqua aut melle vsurpant: inest item flatuosa quædam illi temperiei humiditas, per quam & venerem excitat cum vino mulso. *Costi vires.*

DE SCHOENO.

Græcè, σχοῖνος, σχοῖνος ἀρωματικὸς καὶ σχοῖνος μυρόφυλλος Hipp. Latinè iuncus odoratus rotundus, palea camelorum: Hispanicè, paya dela mequa, paya de chamelhos: Italicè, Schinanto: Germanicè, kamelstro: *Arabicè, Adcher.*

Enarratio XVI.

SChœnos siue odoratus iuncus, in Africa & Asia præcipuè nascitur, quanquam & in Campania & Apulia reperiri, viribus saltem impotentioribus audio, quem Latiniores rotundum iuncum odoratum appellant, vt diuersum ab illo odorato anguloso iunco faciant, quem hodie officinæ sub eodem ferè nomine habent, schinanthum appellantes. Verbum iunci, florem significat, nam Schœnos Græcè, iuncus est, Anthos verò flos, vnde schœnanthum, quasi iuncus flos: quanquam hodie, veluti Galeni tempore, flos ad nos non affertur, vnde ille libro de Antidotis primo, ita inquit, præterea iuncum rotundum *Schœnanthum.*

Arabicum

Arabicum immitti præcipit, qui à vulgo, haud scio quomodo, iunci rotundi flos dicitur, quum tamen nos non adeo floris copiam habeamus, tota enim aduehitur herba, subinde ex parte superiori à camelis erosa: nam libentissimè eam depascuntur, & copiosissimam in Arabię viis crescentem habent, hæc ille. Hodie quoq; ex oriente ad nos absq; flore portatur, cuius folia, caulis, & radix, in officinis habentur, quæ vtinam pura essent, quum à multis adulteretur, illis varia immiscentibus, vel recentia saltem & non vetera portarentur, quum Galeno authore, facilè schœnos veterascat, quod ex odoris amissione deprehenditur. Nonnulli tamen opinati sunt, vt Monachi qui nuper Mesues antidotarium enarrarũt, quod hodiernum schœnanthum officinis vulgare, Dioscoridis iuncus iste odoratus rotundus non sit, quum in eo acutus ille desideratus sapor, linguam mordicans non percipiatur, nec quantulumq; odoratum sit, nec manibus confricatum, rosæ odorem spiret. Item quòd schœnanthum hoc, non iuncum aliquẽ ex se mittit, sed potius calamum, similem illi, quem triticum aut hordeum facit, vnde inter se multum differre, pro firmo gloriantur: sed re vera eorum gloria in infamiam vertetur, quum duplici errore comprehendantur, primo Dioscoridis textum non intelligentes, quum Dioscorides schœnum, id est odoratum iuncum, non iuncum aliquem ex se loco caulis mittere, sed potius harundinem, aut calamum tradat, vt in sua legitur lingua, quæ ita habet, χρῆσις ἡ τῦ ἄνθυς, καὶ τῶν καλάμων, καὶ τῆς ῥίζης, id est, floris, calami, & radicis vsus est. Ex quibus verbis satis percipitur, quàm malè Monachi isti Dioscoridem intellexerunt, quum schœnon, non iuncum, sed calamum ex se caulis vice mittat: secundo hallucinantur fratres ij, quia experientiæ contradicunt, affirmantes officinarũ schœnanthum in gustu linguam non vellicare, quum re vera recẽs eam valentissimè mordicet, vnde credendum est, schœnanthum ab illis gustatum vetus omnino esse, à quo non solùm odor: sed sapor facilè, vt ex Galeno didicimus, euanescit. Sed quòd rosæ odorem referat, qui illius flores viderunt, similem odorem habere attestantur, vt minimè ambigendum sit, quòd officinarum schœnanthum, iuncus iste odoratus

Schœnanthum facilè uetera-scit.

Monachi enarratores Antidotarij Mes-ues, errãt.

Dioscor

Dioſcoridis ſit, cuius vires inueſtigans Galenus, lib. viij. huic materiæ dicato, ita inquit: Schinouanthos, modicè calfacit, modiceque etiam aſtringit, nec planè à tenuitatis natura alienum eſt, quocirca, his de cauſis, vrinam mouet, menſesq; ciet, adhibitum ſiue in fomentationem, ſiue in potionem: prodeſt & iecoris & ſtomachi, ac ventris phlegmonis, magis eo aſtringit radix, quod verò florem vocant, calidius eſt. Porrò in omnibus ſui partibus, in aliis magis, aliis minus guſtantibus apparet aſtrictio: proinde medicinis quæ hæmoptoicis, ſiue ſanguinem reiicientibus exhibentur, commiſcetur.

Schœnanthi temperatura.

DE CALAMO AROMATICO.

Græcè, κάλαμος ἀρωματικὸς: Latinè, Calamus odoratus vel Aromaticus: Vulgò, calamo aromatico. Germanicè, Calmus: *Arabicè, Haſabel, Caſab aldatira.*

Enarratio XVII.

QVum nihil magis cordi fixum vnquam habuerim, quàm vera ſimplicia dignoſcere, & illis vti, factum eſt vt poſt longam inueſtigationem, firmiter aſſeuerem, quòd cõmunis calamus aromaticus ab officinis receptus, verus calamus aromaticus Dioſcoridis ſit, quum omni ex parte inter ſe maximè conueniant: vnde qui calamum iſtum aromaticũ, Dioſcoridis acorem eſſe autumarunt proculdubio errant, quum revera communis habitus in officinis calamus aromaticus, verus calamus aromaticus Dioſcoridis & Græcorum ſit, nec me pudet hodie ab antiquo & inueterato iſto deſiſtere errore, quũ olim quoq; vulgatum calamum aromaticum acorum eſſe dixerim, veroque nos carere calamo aromatico putauerim, quam ſententiam Manardus Ferrarienſis & plures alij, ſecuti ſunt. At revera, vt diximus, galanga craſſa Dioſcoridis acorus eſt: calamus verò aromaticus officinis vulgaris, apud Dioſcoridem calamus aromaticus eſt, quẽ ex India Luſitani noſtri, ſingulis annis adferunt, veluti mercatores ex ipſa India per mare rubrum in Chairum, & Alexandriam

Calamus Aromaticus officinarum verus cal. aromat. eſt.

xandriam deferentes. Venetias portant, calamis ſimilem, vnde nomen accepit, odoratum, odore ſuaui, & aromatico album & ſubrufum, crebris geniculis, qui quum frangitur in aſſulas multas diſsilit, fiſtuloſus, araneolo illo albo plenus, nam quum manditur glutinoſus cum quadam adſtrictione ſubamara ſentitur, vt facilè iudicare debeamus, calamum odoratum vulgarem officinis, Græcorum eſſe odoratum calamum. Qui verò contrarium contendit, velut Mathiolus Senenſis, huic innititur rationi quòd calamus aromaticus, calamus ſiue harundo eſſe debet, non vero radix, vt ex Teophraſto probare contendit, qui libr. ix. de Plantarum hiſtoria, capite vij. calami tantum mentionem facit, quum inquit, calamus vero & iuncus trans Libanum montem, inter ipſum Libanum & alium quendam montem paruum valle minima exeunt, non vt quidam dixere, inter Libanum atq; Antilibanum, inter quos campus ampliſsimus & pulcherrimus eſt, quem Aulonem appellant: qua vero calamus & iuncus proueniunt, lacus in amplum ſpaciatur, iuxtaque eum paluſtribus ſiccatis iſti aſſurgunt, occupant loci plus quàm triginta ſtadia, virides nequaquam eſſe videntur, ſed ſicci: forma vero nihil ab aliis differunt, locum ingredienti protinus odor aſpirat, non tamen longius ſpirat, vt quidam referunt: hic enim locus à mari plus abeſt, quàm ſtadia centum quinquaginta, ſed in Arabia ſpirationem agri odoratiſsimam eſſe, omnibus conſtat. hæc Theophraſtus: quibus Plinius quoq; ſubſcripſit, libr. xij. cap. xxij. per quæ Mathiolus credidit, calamum aromaticum harundinem ſiue calamum, non vero radicem, eſſe debere: At mea ſententia decipitur Mathiolus, quum, licet Theophraſtus & Plinius, in calamo odorato calamū & non radicem laudare videantur, alibi tamen calami aromatici radicem deſiderant, & eam cæteris partibus calami anteferunt: vt apud Plinium eſt legere libr. xxiiij. cap. xj. In quo, quum calami odorati iuuamenta enumerat, inquit: efficaciſsima autem in omni harundine, quæ proxima radici: efficacia & genicula. Per quæ verba manifeſte percipitur, quòd ex omni calamo ſiue harundine radix efficacior eſt pars: qua de cauſa calami odorati radix, quàm calamus potius in opus trahenda eſt, vt merito

Mathiolus taxatur.

Mathiolus decipitur.

rito hactenus pharmacopolæ, hac precioſa & exotica radice, pro vero, & germano calamo odorato, vſi ſint. Nec enim eſt quod alium deſiderent, modo vulgarem recentem, minime vero inueteratum habeant, quem ex odore & ſapore facile diſcernere poſſunt. Quantum vero ad Dioſcoridem attinet, ſi quis introſpiciens eum accuratius expenderit, inueniet illum de radice potius loqui, quàm de calamo: quum radix geniculata dicitur, calamus vero potius nodis cinctus. Huic noſtræ ſententiæ adſtipulatur Antonius Muſa Braſauolus, cuius iudicium in arte medica multis antefero. eſt igitur receptus in officinis calamus aromaticus Dioſcoridis & Græcorum calamus aromaticas, de quo Galenus lib. ſeptimo Simplicium ita loquitur: calamus odoratus, leuiculam quãdã aſtrictionem, ac minimam acrimoniam poſsidet, magna ex parte eſſentia eius terrena eſt & aëria, in caliditatis frigiditatisque coniugatione temperata: quamobrem, moderate vrinam mouet, & facultatibus quæ iecori ſtomachoque imponuntur, miſceri poteſt, tum in fomentis quoque vteri, quæ phlegmonis gratia, aut irritandis menſibus aſſumuntur, vtiliter admiſcetur. ponatur itaque habeaturque ſecundi ordinis, eorum quæ excalfaciunt & deſiccant, valentius, tamen magis deſiccat, quàm excalfacit, ineſt quoq; ei quædam partium tenuitas, velut aliis omnibus odoratis ſiue aromatibus. Cæterum illorum compluribus tenuium partium plurimum, calamo vero non multum adeſt.

Cala. aromat. excalfacit et deſiccat ſecũdo ordine.

DE BALSAMO.

Græcè, βάλσαμον: Latinè, Balſamum: Arabicè, Baleſem, Boleſma, Belſan: Italicè & Hiſpanicè, Balſamo: Gallicè Bauſme.

Enarratio XVIII.

BAlſamum, Arbuſcula quædam eſt, tricubitales virgas & illas quidem viticoſas habens, huius enim procericitatis ac magnitudinis, albam violam, vel licium pixacanthem, naſci nouimus, quibus Dioſcorides eam ſimilem facit: nec ab hac magnitudine multum recedit, mali Punici arbor, cui Theophraſtus lib. ix. de plantarũ hiſtoria,

ria, capite vj. similem fecit: nam folia vt ibidem inquit, perpetua illi sunt, nec vnquam decidunt, virentia, rutæ foliis per quàm simillima, multò tamen candidiora: in quam sententiam Dioscoridem in præsenti ire animaduertimus, nec Plinius lib. xij. cap. xxv. vbi de ea tanquam de re sibi conspecta iudicium fert, ab illis dissentit: quinimò folium proximum rutæ, perpetua coma, habere affirmat. Nascitur arbor hæc, vt refert Theophrastus, in Syria tantum, vnde Plinius eleganter vt solet libro xvj. cap. xxxij. fastidio balsamum (inquit) alibi nasci natura, quàm in Syria noluit ferre: subscribens verò ille Theophrasti verbis, lib. xij. ita quoq; inquit, balsamum vni terræ Iudęæ concessum, quondam in duobus tantum hortis vtroque regio, altero iugerum viginti non amplius, altero pauciorum. Quo verò in loco Iudææ balsamum proueniat, Iustinus historicus è Trogo Pompeio tradit lib. xxxvj. Qui post multa & varia citata nugamenta in hunc modum inquit: Opes genti ex vectigalibus opobalsami creuere, quod in iis tantum regionibus gignitur, est nanque vallis, quæ continuis montibus velut muro quodam cincta instar hortorum clauditur, spatium loci ducenta millia iugera nomine Iericho dicitur: in ea valle sylua est, & vbertate & amœnitate insignis, siquidem palmetto & opobalsamo distinguitur: & arbores opobalsami formam similem pineis arboribus habent, nisi quòd sunt humiles magis, & in vinearum morem excoluntur: hæc certo tempore anni balsamum sudant. Hæc Iustinus. In quibus inquit, balsamum in Iericho Iudææ nasci, quod ita esse tradidit Iosephus Hebræorũ magnus historicus. Dioscorides verò non solùm in conualle Iudææ quadam, sed Aegypto quoque nasci fatetur, quod ita esse certi sumus, vnde ad nos nunc Xylobalsamum verum adductum est, odoris suauissimi, primo aspectu vitis ramusculos, figura & colore referẽs. Cæterùm hodie alibi balsamum, quàm in iis regionibus nasci nouimus, vt experientia compertum habemus, videntes opobalsamum, apud eos qui è Perù nouiter inuenta regione, reuersi sunt: & inter thesauros suos tanquam rem preciosissimam reconditam asportant, tantæ suauitatis, ac iucundissimi odoris, vt meritò Plinius omnibus odoribus balsamum præferri dixerit.

Iustinus historicus de balsamo.

Xylobalsamum verum.

Balsamũ ex Perù.

dixerit. Vocant verò opobalſamum, balſami liquorem, ardentiſsimo Canis æſtu exceptum, qui eo tempore, vulnerata arbore, fluit, non vt Theophraſti, aut Dioſcoridis temporibus, ferreis vnguibus fiebat: ſed potius vt Plinius teſtatur, vitro, lapide, oſſeísve cultellis, quum ferro lædi vitalia odit, & protinus emoritur. Raro hodie pretioſiſsimus liquor iſte opobalſamũ dictus, ad nos verus & ſyncerus affertur: imò multis mixtus, adulterinus & falſus è Græcia delatus: cuius cauſa Galenus, vt verum à falſo dignoſceret, in Iudæam nauigauit, vt libro de Antidotis legitur, ad hunc modum: Inde opobalſami, & cinnamomi in prædictis verſibus Andromachus meminit, in quibus poſt traditas à Dioſcoride notas, maximum eſt ea prius inſpexiſſe, in qua regione vnumquodque ipſorum præſtantiſsimum gignitur, quemadmodum ego conatus ſum (ſciens opobalſamum variis adulterari modis, vt ægrè poſsit dignoſci) ipſe videre quomodo liquorem fundat: ac inde ceu regulam quandam aliorum obtinere porrò didici multas ipſius adulterationes, vt etiam exercitatiſsimos lateant, quas publicare ſcientes non dignum æſtimo, ne praui ipſas in tranſcurſu diſcentes, in opere ad malas actiones transferant. Hæc ille. Quod vero opobalſamum è Perù noua regione adfertur, purum & ſyncerum eſſe crediderim: quum tantæ ſit fragrantiæ aut odoris, vt omnes alios præſtantiſsimos odores antecellat: quod, vt tradunt ij qui arborem illic viderunt, ex arbore pino perſimili, non adeo tamen procera effluit colligiturve, quod vt ſuperioribus diebus deprehendimus, guſtu pingue eſt, acutum, diu in ore ſaporem retinens, odoris ſuauiſsimi, ad belzuinum tendentis, nam color & illius ſubſtantia tanquam aquæ mellis ſpiſſæ erant: vt manifeſto appareat opobalſamum hoc, non eſſe eiuſdem ſpeciei cum Iudaico, aut Aegyptio: quanquam Trogus Pompeius, vt diximus, arbores opobalſami, quæ in Iudea naſcebantur, pineis ſimiles fecit, ita vt has arbuſculas Perù delineaſſe viſus ſit. Deprehenditur autem optimum opobalſamum ſi laneæ veſti inſtillatũ maculam non relinquat: ſi lacti inſtillatum coagulet: aquæ aut lacti infuſum quamprimum diſſiciatur, & lactis modo albeſcat. vetuſtate craſſeſcit, ſed generoſitatem amittit: dum enim no-

Balſamũ raro ſincerum habetur.

Galenus nauigauit in Iudæã vt verum balſamum cognoſceret.

Balſami veri ſigna.

uum est siue mustum: colorem habet candidum & oleo crassiori simile est, deinde rubescit, postea durescit, & translucidum fit, optimum modice rufum esse debet: secundum bonitatis locum obtinet album, tertium viride, peius nigrũ. nec illius copiosius quotannis sex septémve congiis, vt Dioscorides tradit, colligebatur, est enim congius, vt obiter hoc attingamus, mensura quædam, continens olei libras nouem, vini decem, mellis vero tredecim cum dimidia, vt Galenus libello de ponderibus & mensuris sibi adscripto tradit. Item, inquit Dioscorides, rependitur quo loco nascitur, duplo ad pondus eius argento, nunc vero, verum & legitimũ, decuplo potius argenti pondere ob admirabilem eius facultatem redimitur. Secundas vero, carpobalsamum bonitate obtinet, quod vt bonum dicatur, decet rufum, plenum, grande, ponderosum, feruidæ cuiusdam in gustu mordacitatis, & odoratum esse: vnde facile diiudicari potest, quòd hoc tempore in officinis granum pro semine balsami receptum, balsami semen non sit, quum oppositas omnino in eo qualitates videamus: nam subnigrum est, leue, euanidum, nec gustui mordax, imo parum aut nihil odoratum, vt facile inclinet animus credere, hoc officinarũ carpobalsamum, non balsami, sed verius semen illud hiperico simile, quod ex Petra Palestinæ oppido affertur, quo olim (testante id Dioscoride) adulterabatur. Tertias verò bonitatis dotes ad Dioscoridis mentem zylobalsamum obtinet, quod tam à vero illo quod officinæ illius loco monstrant, abest, quantum periculum ab arca differre animaduertimus, quum præter gracile esse, nihil cum ligno balsami veri habeat: hoc vero vt tradit Plinius in vnguentis coquitur, & pro succo ipsum substituere officinæ. Corticis etiam ad medicamenta precium est, quod Dioscorides siluit, præcipua autem (subdit) gratia, lachrymæ: secunda semini: tertia cortici, minima ligno, de quibus Galenus lib. vj. de Facul. simpl. medic. ita posteritati scriptum reliquit: balsamum desiccat & excalfacit secundo excessu: est autem & tenuium partium, adeo vt odoratum sit, sed liquor eius subtiliorum etiam partium est, quàm planta ipsa, non tamen adeo calidus, vt quidam existimant, tenuitate partium falsi: porro fructus eius

Congÿ mẽsura quæ.

Carpobalsamum bonum vt sit quid.

Carpobalsamum officinarum nõ est carpobalsamum.

Xilobalsamum.

Cortex ligni balsami.

Balsami tẽperatura.

persimilis

perſimilis facultatis eſt, cæterum longè in ſubtilitate partium inferior. Hactenus Galenus. At vltra tam multas balſamo vires tributas, recentiores plures alias eidem attribuunt facultates: primam, quòd vulnera citiſsime curet, & ea abſq; cicatrice relinquat: ſecundam, ad ſibilum, obtuſumque auditum, inſtillata in aurem opobalſami gutta, multum valet: tertiam, mulierum lentigines è facie delet, & eam perpolitam, claram ac formoſam reddit: quartum, lapillos renum & veſicæ ita celeriter frangit & minuit, vt opus incantamento ſimile eſſe videatur, quod & Abinzoar medicus doctiſsimus expertus fuit, vt apud ipſum eſt legere libro ij. ſui Theiſir, ſectione ſecunda capite vij. Verum Galenus libro Succidaneorum ſuadet deficiente balſamo, eius loco vtamur ſtacte, id eſt mirrhæ, pretioſiſsima gutta, quam hodie officinæ, ſtoracem liquidam, vt opinor, appellant: vel oleo irino: vel, vt Paulus tradit, liquore myrthi. Nam loco ligni balſami, vtendum eſt albæ violæ radice. In quodam vero tractatu, qui abſque authoris alicuius nomine, circumfertur, quem recentiores, Quid pro quo appellant, legitur, loco balſami vtendum eſſe terebinthinæ oleo, vel oleo laurino, aut gummi hederæ: & carpobalſami loco, hederæ corymbis: & xylobalſami vice, ipſius hederæ ligno: Multi præterea moliuntur balſamum parare artificiale, quorũ compoſitiones conſultò prætermittimus.

Balſami ſuccidaneũ quid.

CONSTANTINVS.

Οποβάλσαμον Liquor eſt Balſami, qui & βαλσαμέλαιον dicitur authore Simeone Sethi. καρποβάλσαμον, Balſami fructus: ξυλοβάλσαμον, lignum Balſami. Balſami hiſtoriã lege apud Plinium lib. 12. Cap. 25. Dioſcorid. lib. 1. Cap. 18. Theophraſtum lib. 9. Cap. 6. & Strabonem geographiæ libr. 16. Meminit etiam Balſami, Galenus libro 1. de Antidotis & lib. 6. de ſimpl. facult. Iuſtinus hiſtoricus lib. 36. & Pauſanias in Bœoticis.

DE ASPALATHO.

Græcè, ἀσπάλαθος: Latinè, aſpalathus, lignum Rhodium, lignum aloes Rhodiorum, cortex bugiæ:

Arabicè, Darsisan, Hispanicè, alargiz: Italice, legno aloes da rhodes.

Enarratio XIX.

ASpalathus (nam asphaltus genus est bituminis) darsisan apud Arabes nominatur, vt conferenti capita manifestum erit. Nam Auicenna libro ij. capite xxj. ne quis inquirendo, & conferendo fatigetur, ita de darsisano inquit: Darsisan arbor est crassa, spinam habens grandem, qua medicinarum venditores sua experiuntur vnguenta, hæc Auicenna: cuius fidelis interpres, Gentilis de Fulgineo, nobili in Italia ciuitate, quum locum enarrat istum, inquit: darsisan Arabum, arbor quam Dioscorides aspalathum vocat, est, at quæ sit ignoro. Hæc Gentilis. Quòd vero ita se res habeat, Dioscoridis historia confirmat, quæ ita habet: Aspalathos lignosus est, crebrisq; spinis aculeatis frutex, quo spissandis vnguentis vnguentarij vtuntur, à quibus nec Serapio vt solet capite xxvj. discrepat, quo de darsisano agit, quanquam eo in loco inepte admodum pro eo interpres granatum syluestre interpretetur, sed de iis satis. Est vero aspalathos, vt Ruellius testatur, & recẽtiores Græci confirmant, lignum quod è Rhodiorum insula affertur, & illud lignum aloes Rhodiorum, officinæ hodie appellant, ex quo coronæ ad fundendas preculas Deo parantur: Nec enim Mathiolus, qui hoc tanquam falsum euertere contendit, audiendus est, quum revera lignum hoc ex quo coronæ parantur, ex arbuscula humili crebris spinis aculeata, in insulis Rhodiorum, & aliis Græciæ locis cædatur, non vero ex oliuæ speciem referente arbore. Vidimus enim nos, apud Thomam Lucensem, insignem apud Ferrarienses pharmacopolam, à quo Manardus multa se didicisse, libris suarum epistolarum fatetur, huius ligni fructum, brachialis crassitudinis, solidum, graue, multis interceptum nodis, quod à Græcis hominibus sub nomine aspalathi acceperat, & ex eo coronę siue indices parantur: erat enim lignũ illud coloris subrufi, cui simile in Hispania, apud Valentinos, & Terraconenses præcipue magna in copia reperitur: & illius radicis cortices, officinæ sub corticæ bugiæ mercatoribus vendunt. Si quis vero hoc

Aspalathos lignũ Rhodiorũ est.

Mathiolus errat.

Cortex vngia aspalathus est.

ligno

ligno caruerit, Galeni consilio, agni casti semine vtatur, non vero granati sylvestris radice, vt multi perperam faciunt: quum Galeno in hac re, velut in cæteris, plus fidei habendum, quam trecētis Pandectis ac Auicennis, omnibusque qui hucusq; de medica materia conscripsere: ad hunc autem confugiendum est, velut ad sacram anchoram, quoties in noscendis simplicibus suborta fuerit dubitatio, aut controuersia vlla, huic assentiendum contra quantumuis diuturnum & receptum vsum, ac errantem authoritatem. De aspalatho igitur ille libro sexto de Facul. simpl. medicamentorum ita inquit: Aspalathos gustu quidem acris simul & astringens est, facultate vero ex dissimiliaribus constat, nempe partibus suis acribus, excalfaciens, partibus vero aliis austeris scilicet refrigerans: itaq; vtriusq; ratione desiccat, & proinde ad putredines & fluxiones est vtilis. Nonnulli tamen aspalathum rubrum sandalum esse contendebant, falsò tamen, quum sandalus res noua sit, & Arabum inuentum: de quo tractans Serapio nullum Græcum authorem adducit: item quod aspalathus humilis arbor vt diximus est, sandalus vero procerè arboresçit, vt nostri Lusitani, qui magna cum gloria vniuersam Indiam suo imperio subiugarunt, illic viderunt, argumento certe est, quia aspalathus calidus est, Sandalus vero frigidus: cuius tres sunt species, nam alius ruber dicitur Sandalus, parui aut nullius profecto odoris: alius vero luteus siue citrinus dictus, odoratissimus, & cæteris melior: Tertius vero albus, medium inter vtrunque bonitatis possidens. Sunt enim Sandali tertio ordine frigidi, sicci vero secundo, de quibus Auicenna libro de Viribus cordis: cor nō solum sandali roborant, sed etiam illi lætitiam inducunt, qua de causa inter cordialia hodie sandalus habetur, & medicinis ad cor faciētibus miscetur: Nam rubens destillationes à capite descēdentes cohibet, delirantibus & iis qui in phrenesim descēdere sunt parati, temporibus, fronti, & syncipiti, cum aceto & aqua rosacea applicatur, nec minus pulsibus, id est brachiis admouetur, velut in ardentissimis febribus: pectus, stomachus, & cor, cum aqua rosacea dissoluto, refrigerantur, quæ omnia quoq; citrinus vel albus perficiet: nam arthriticæ calidę, succo semperuiuę mixtus, vel portulacę, aut solani

Aspalati temperatura.

Aspalathus nō est Sādalum ruber.

Sandalorū tres species.

magnum adiumentum præstat. ex omnibus verò condi-
Diatriûm sandalorũ putredini resistit. tum officinæ hodie parant, Diatriûm sandalorũ dictum, febrium putredini mirum in modum resistens.

DE MVSCO ARBORVM.

Græcè, βρυον, σφάγνος, ὕπνον, παλάγχνον: Latinè, muscus Arabicè, Axnech, vsnee: Gallicè, mousse: Officinis, vsnea: Italicè mosco de gli alberi: Hispanicè, musgo d'Arbor: Germanicè, moosz.

Textus vigesimi Enarratio.

BRyon siue muscus, officinarum vsnea est, nemini non nota, vt pote superfluitas arborum, lapidum, ac fruticum. Dioscorides eam adstringẽdi vim possidere asserit, Galenus verò, ac Paulus Aegineta, illi potius discutiendi, atq; mediocriter emolliendi potestatem concedunt. Nos verò scientes, bryum secundum quod ab arbore extrahitur, ipsius arboris secum qualitatẽ similem trahere, cum hoc volumus: dum inter hos graues viros, in medicamentorum potestatibus præscribendis suborta fuerit dubitatio, aut dissensio, vt Dioscoridi præ cæteris tam Græcis quàm Latinis in herbarum, ac fruticum describendis historiis fides habenda est: sic Galeno in earundẽ assignandis naturis & viribus: quum nihil de illis tradiderit, quod non antea experimento vt ita dicã, venatus fuerit, vt proœmio decimi libri de Facul. simpl. medic. scriptum reliquit: cuius fidem desiderare nemo debet quũ nihil in sua doctrina posteritati mandauerit, quod non verum esse experiamur, de quo libro vj. prædicti voluminis ita disserit: Bryon, quidam vero splachnon, inuenitur autem in quercubus & piceis, & populis albis, vim habet astringentem, inualidam, nec enim multum est frigidum, sed proximè ferme mediis, quia videlicet, & digerendi & emolliendi facultatis est particeps maximè quod in cedrinis lignis reperitur. Nos hic notandũ duximus, quòd Galenus quum dixit, muscũ in piceis reperiri, intelligit, in omnibus eius speciebus, velut, abiete, larice, & pino, imò illas arbores tantum citauit, vt cæterarum essent exemplum: sciebat enim Galenus & in oliua & variis aliis arboribus & lapidibus muscũ nasci: De hoc verò, sub nomine vsneæ Serapio

Vsnea Serapionis, muscus est.

rapio capite nonagesimo inquit: Vinum in quo vsnea per aliquot dies maduit, somnum profundum ebibitū facit, si verò stypticum vinum fuerit, stomacho confert, & illum roborat, imò illum aromatizat, & vomitum reprimit, & ventris fluxum constringit. Sed & Auicenna libro illo vbi cordi medicamenta conuenientia tractat inter ea vsneam quoque tanquam cordialem reponit. Attamē, ne quis nominis vicinitate decipiatur, scire licet, moschū aliam rem à musco siue arborum vsnea esse. Est enim moschus pluuis pretiosissimus odoratissimusq; qui vel vesiculis quibusdam pilæ modo rotundis, è pelle paratis, vel vasculis plumbeis inclusus ex India affertur. Nam qui Vlyssipponem per mare sex mensiū spatio aduehitur, non ita bonus moschus est, velut ille qui terrestri itinere Venetias adducitur: Imò Venetiis orientalis moschus duplo venditur precio carior occidentali, quum tamen ab eadem regione portetur: id in causa est, quòd qui diu in mare permanet, plurimum suæ amittit generositatis: vocant verò Mauritani sua voce moschum, misch: sed potissimū articulo Al addito, Almisch, vocabulum vel hodie à Lusitanis iuxta & Beticis receptum. Cæterum vnde moschus colligatur, aut ex quo animali extrahatur, non mediocre dubium est: Nam Serapio, & Aëtius, vt placet Ruellio, quamquam in vniuerso opere Aëtij hæc non reperiri certò sciamus, inquiunt moschum sanguinem concretum in vmbilico cuiusdam animalis esse: quod capreæ simile est, & vnico armatur cornu, qui sanguis in saniem versus, & inde emissus post aliquot tempus sibi magnam odoris suauitatem adsciscit, hæc enim & multo plura Serapio de moscho tradit, quæ cuiq; legenti obuia sunt. At reuera omnia falsa & mendaciorum plena esse, hodie nouimus, quum moschus nec sanguis, nec animalis alicuius sanies sit. Est igitur, vt paucis dicamus, apud Indos regnum amplum, ab incolis eiusdē loci Sciam dictum, & vt melius dignoscas, vltra Malacham situm, in quo animal quoddam leporis magnitudine reperitur, & illud quidē frequens, & in magna copia, vbi non minus ac lepores apud nos, venatur. hoc igitur animalculū viuum virgis primo flagellatum, neci traditur, à quo detracta pelle, & interaneis demptis, vniuersam carnem sic verberibus liuidam cum ossibus

Moschus quid.

Serapio in moscho errat.

Moschus verus quid sit.

contundunt,pinſuntq; : quæ quum optime eſt piſta,manu tractatur, vt ſiquæ duriuſcula in illa fuerint oſsicula reiiciantur:Hanc verò carnẽ ſic optime piſtam, manu in globos quoſdam redigunt, & fruſto pellis ab eodem animali excoriatæ obuoluunt,vnde tanquã pilę forma poſtea euadit,& moſchus in folliculo, ceu veſicula incluſus dicitur: quanquam magna copia quibuſdã in vaſculis ad nos quotidie deferatur. Huius enim animalculi caro ſic contuſa piſtave,moſchus eſt,qui ex regno illo Sciã dicto,in Pegu prouinciam venalis apportatur,& inde in varias orbis regiones diſtrahitur, velut in regnum Sinarum, quod Serapio Seni appellat,& in regnum Coraſceni,Perſarum regi Sophi dicto ſubiectũ : Cuius regni homines albi & bello dediti ſunt, quos Luſitani noſtri apud Indos, corrupta voce Coraſones,pro Coraſcenis vocant,& cum illis mercium diſtractionem exercent.Non minus quoq; in Tumbas cum moſchus defertur, regnũ hodie Tumbequitum dictum, ad quod Chairi ciuitatis, Mauri mercatores pedeſtri itinere octo menſium,cum ſuis carauanis exercendarum mercium gratia ſingulis annis eunt, & inde optimum afferunt moſchum, quem poſtea in Italiam remittunt. Nam moſchus in Portugalliã aduectus, vt diximus, non ita bonus eſt,quia maris nimia contracta humiditate hebetatur. calidus autem in ſecundo gradu,ſiccus verò in tertio moſchus habetur,qui cerebrum roborat frigidum, & partes imbecillas firmat,non minusq; quos animus deficit reuocat:cæterum de illo priſci nullam poſteritati reliquerunt memoriam,quanquam multi Hebræorum,qui legem interpretantur, cõtendant,moſchi in Bibliis mentionem fieri, quod an verum ſit dubito, quum rerũ naturalium inueſtigatores, illum vtpote rem precioſiſsimam ac odoratiſsimam,non prætermitterent.Paulus Aegineta tamen,qui potius inter neotericos cõputandus eſt,lib.vij. ſuæ medicinæ in compoſitione hermodactylorũ moſchi mentionem fecit, velut Aetius lib.xij. cap.46.& lib.xvj. cap.116. Eſt vero moſcho res multum ſimilis, odoratiſsima quam Zibettum ſiue algaliam nominamus, inter inguina teſticuloſq; animalis duplo cato domeſtico maioris concretam, quæ quum recens eſt,tetri& horribilis eſt odoris,poſtea verò ſucceſſu temporis ex ſe non minorem

Moſchi tẽperatura.

Zibettum quid.

ac moſc

ac moſchus ſpirat odorem, non adeo tamen ſuauem: valet autem ad ea ad quæ moſchus, multum tamen ad matricis ſtrangulationem, modo ex ea peſſi adaptẽtur: non minus Venerem incitat præſertim ſi ex ea pudenda illinantur. Vnum tamen animaduerſione dignum eſt, quod apud Serapionem, Zibeta ſiue Algalia, longe ab hac de qua agimus Zibeta differt, vt cap. 119. de Sardeuam videre eſt, qui herbam vel ſuccum nigrum in medicamentis odoriferis ingredientem, & fluxum ſanguinis cohibentem ibidẽ eſſe tradit. Nouimus enim nos Zibetę catos, tum in Luſitanię, tum etiam in Flandriæ, Venetiisq;, vbi domini ſui quæſtu non contemnendo prolificant, qui non aliunde quàm ex Luſitanorum comercio habẽtur. Accedit rebus odoriferis, Ambarum griſium dictum, quod priſci quoq; ignorarunt: naſcitur enim in mari, & vt inquit Serapio, inſtar fungorum in terra, quumq; exæſtuat mare, & ab imo fundo excernit lapides ingẽtes, vna cum iis etiam fruſta ambræ eliduntur: & ſubdit, accidit hoc potiſsimum in terris Zingi in occidente, quas ego Africæ eſſe crediderim, vbi hodie mare, magnas ambræ moles ex ſe emittit, & in Luſitaniam ac Hiſpaniam, mercatores vendendas afferunt. Optima verò ambra, quę illic colligitur, figura eſt rotunda coloris cœleſtis, quæ verò alba eſt inſtar oui ſtruthionis, eſt deterior. Eſt tamen piſcis quem barbari azel appellant, qui ambram deuorat, & ex ea ſtrangulatur, quem viſum inhabitatores terræ Zingi funibus & vncis ferreis ad littus extrahunt, è cuius ventre eximitur ambra non præclara: at ad eius ſpinalem medullam ambra reperitur pura, & optima. Ex India verò ſingularis adfertur ambra, præcipuè ex inſulis Maluiæ dictis, non niſi præſtantiſsimi & ſuauiſsimi odoris, ex qua ſimul & moſcho, pira ſiue poma dicta, auro incluſa parantur, præcipuè in Hiſpania mulieribus, vt collo ſuſpenſa cerebrum roborent, cor lætificent, & animum exhilarent: ſimulq; vt aliorum amorem ſuauiſsimo illo odore, portantes ſibi concilient. non minus quoque ex iis duobus & agallocho, id eſt ligno aloes, compoſitio quędã gallia moſchata dicta, ornatur, & in officinis habetur. Eſt enim ambra teſtãte Auicenna, calida in ſecundo gradu, ſicca verò in primo, cuius proprietates ſunt hæ: cerebrum recreat, cor confortat, & ſen-

Ambarũ griſium.

Ambra optima qualis.

Ambra ex inſulis Maluiæ ſingularis habetur.

Galliæ moſchatæ cõpoſitio.

sus omnes reficit, item senioribus, & iis qui frigidã temperaturam habent insigniter conducibilis. De ea verò Aëtius mentionẽ fecit lib. xvj. cap. 122. vbi suffumigium moschatum describit. Proinde non ab re Hermolaus Barbarus dixit, Aëtium alicubi ambram cognouisse, quæ ab ambro, id est succino, multum vt nouistis, abest.

Aëtius ambram cognouit.

DE AGALLOCHO.

Græcè, ἀγάλλοχον, & ab Aëtio, Simeone Sethi, atq; Nicolao myrepso, ξυλαλόη: Latinè Agallochum, lignum Aloës: Arabicè, Hoad, Agaloian, Agalugin, Agalugen: Gallicè, lignum Aloës: Italicè, legno Aloë: Hispanicè, Lin Aloë, aquila legno: Germanicè, Aloës holts kreutz holtz. *Persicè & Indicè, Calambuco.*

Enarratio xxi.

AGallochum, siue vt Aëtius tarum appellat li. xvj. capite vltimo, officinarum xyloaloes, siue lignum aloes est, quod Lusitani nostri, ex India, præcipue insula Sumatra, Taprobane à Latinis dicta, è proceris arboribus colligentes, ad nos portant: vnde Pandectarium & alios decipi, qui huius ligni ortum à nemine visum cõtendunt, luce meridiana clarius est: imò in hoc, non minus multi deliranr, credentes vtique ramulos huius ligni per flumina paradisi deferri, quum non minus huic arbori, quàm cæteris contingat. nam quum flumina alueum suum exeunt arborum ramos & truncos, secum deferunt, vnde lignum aloës, sæpe corrosum & perforatũ, multis illis collisionibus visum est, qua de causa creditum est à terrestri paradiso ortum traxisse: quod falsum esse, vt diximus, nostri Lusitani indicarunt, qui ab India optimum adferunt, non nisi suauissimũ, ac iucundissimi odoris, ex quo pretiosissimi suffitus parantur, & illud Lusitaniæ instructiores officinæ sub ligni aquilæ nomine inquirentibus monstrant, quanquam tamen optimum, hoc est nigrum, non nisi suauissimi odoris, Lusitani nostri apud Indos, calãbuco appellant, quum tamen calambuco vox sit Persica, lignum

Tarum Aetij.

Lignum aloes ex taprobane insula portatur.

Lignum Aquilæ.

Calambucum vox Persica.

gnum aloes significans, de quo Plinius lib.xij.cap.xx.sub tari nomine mentionem fecit: Galenus verò de illo libris de Facul.simpl.medic.non meminit: nec enim Serapio cap.cxciiij. Galenum adducit, nisi in trãslatione Albatarich, quem profecto crediderim Paulum Aeginetam esse, quum eadem verba ibidem ab eo adducta, apud Paulum lib.vj. sic leguntur, agallochum lignũ est quod aduehitur ex India, thiæ ligno simile odoratum, quod mansum animæ suauitatem commendat, & in suffitum adhibetur, ramenta eius pota denarij pondere, languidum ex humore ventriculum, resolutumque confirmant: ad hæc, iecinorosis, dysentericis, pleuriticisq; opitulantur, nec enim ignoro hæc eadem verba à Serapione sub nomine Pauli repeti, quæ antea ex Galeno in translatione Albatarich scripserat, est vero lignum hoc, vt Serapioni placet, calidum & siccum in ij. gradu, quod officinarum mangones vitiant, eius vice aspalathum vendentes, vt capite de aspalatho diximus.

Tarum Plinij lignum aloes est.

Lignialoes Galenus non memõnit.

Lignialoes temperatura.

DE NARCAPHTHO.

Græce, νάρκαφθον: Latinè, narcaphthum, Arabicè, nabach, lazabastem: Hispanicè, Lusitanicè, almea: Italicè, tigname.

Enarratio XXII.

NArcaphthon, siue nascaphthon, lignũ corticosum, & velut putidum, antiquitatem nimiam præ se ferens est, quod officinæ hodie thymiama, quia in suffimentis præcipue eo operantur, nominant: Itali corrupta voce, tigname vocant: Hispani vero, vt plerumque interuenit, Mauritana voce Almeam appellant: Huius Paulus Aegineta meminit lib.vij. suæ medecinæ, dicens: naocanthon sunt qui nacaphthon dicunt, Indicum est odoramentum, quod ad astrictos fœminarum locos suffitu vaporetur. Plinius vero, non nacaphthum appellari voluit, sed magis serichatum, cuius descriptionem, vt de re sibi incognita, libro xij. capite xxj. prætermisit, tantum ab aliquibus in vnguenta addi dicens. Cæterum thymiama vagum nomẽ est, suffitus omne genus comprehendens, de quo Serapio, sub nomine Isahaten, verba fecit.

Paulus Aegineta.

Serichatũ apud Plinium narcaphthum est Græcorum.

CONST

CONSTANTINVS.

* *ἀφυφάντους istos & coniectores meritò vocemus, qui quasi laurum momorderint, tam facilè diuinent, & tam audacter pronuntient quid authores senserint in his præsertim quæ velut non intellecta præterierunt, contenti nomina tantum apponere, vt de gaballio fecit Plinius, de serichato & Iaro. ea enim vt ipse ingenuè fassus est, lib. xij. cap. 21. nostro orbi tantum nominibus cognita sunt. Et tamen serichatum narcaphton interpretatur Amatus: Iarum verò Agallochon. quod ita diuinando, ad eruditionis famæ aucupium, authores interpretari non est, sed eos ludificari.*

DE CANCAMO.

Græcè, κάγκαμον: Latinè, cancamum: Hispanicè, Lusitanicè, anime blanco: Arabicè, Sac, Lach: Officinæ Lacca.

Enarratio XXIII.

Cancamũ nõ est lacca.

QVi hucusq; cancamum, laccam esse putarunt, miro errore deprehenduntur, quum cancamum gummi odoriferum sit: lacca vero siue commansa, siue suffimentis expetita in odore percipitur, quam hodie Lusitani nostri, ex India afferunt, rubram, transluciadam, tincturis præcipuè deseruientem, & ex ea officinæ compositionem quandam præparant, dialaccam appellatam, Quę vt certo scimus, non gummi, aut arboris, plantæve alicuius gutta est, sed potius formicarum alatarum stercus, fauagóve, velut cera apum. In regno igitur Pegù dicto apud Indos quum terra, vel pluuia, vel arte plus iusto irrigatur, formicæ prædictæ, ligna quædam subtilia ab incolis sic disposita in altum ascendunt, in quibus laccam generant, & hac de causa, in lacca ligna ipsa percipimus, quæ dubio procul arboris non sunt laccam ferentis, vt hucusque omnes ferè crediderunt. Est verò alia lacca artificialis, quam infectores pannorum vendunt, quæ ex fece brasilij virzinij dicti, & cocci resultat, qua pictores pro conficiendo colore rubro obscuro maximè vtuntur: hanc verò Serapio, ineptè admodum cum prima confundit lacca: vnde hodie multi impudentissimo errore, Serapionis authoritate seducti, eam in compositione dialaccæ miscent. Monachi autem qui nuper Antidotarium Mesues

Lacca non est gummi, sed formicarum stercus.

Lacca artificialis.

Serapionis error.

Monachi.

expo

expoſuerunt, alta mente cæcutiunt, delirantve, quum in compoſitione dialaccæ, dicant: Si defecerit lacca, eius loco iniiciatur lachrima ſanguinis draconis. Quãto verò errore, omnes norunt, quum lacca apertiua ſit, & menſes prouocet: ſanguis verò draconis tantum abeſt, vt aperiat, vt potius miro modo conſtringat, vt ſuo diximus loco. Sed hæc de lacca ſufficiant, & ad inſtitutum noſtrum, hoc eſt, quid ſit cancamum, reuertamur. Eſt igitur cancamum gummi quoddam, quod ex Guinea, Mina, Africáve, & inſulis illi circumiacentibus Luſitani noſtri adferunt, aniimum appellantes: decidit enim gummi hoc, vt teſtantur illi, ex proceris arboribus, folia myrti habentibus, quod album reperitur, & aliud ſubnigrum myrrhæ quodammodo perſimile, odoratum, quod Dioſcorides, illis de cauſis, inter myrrhæ ſpecies, tanquam improbam commemorat, & mineam à terra vnde præcipuè naſcitur, eam appellat: quanquam Serapio amineam nominet, vnde Luſitani noſtri corrupta dictione, pro minea, vel aminea, aniimum vocẽt, & eo mulieres maximè pro ſuffumigiis, & medici contra dolores à frigiditate ortos præcipuè vtuntur. Hanc vero aſſertionem primo adſtruxit Briſotus Gallus, vir magna eruditione præditus, qui quũ apud Luſitanos ageret, vt inde ad Indos, cupidus cognoſcendi rerum nouarum, nauigaret, gummi hoc vidit, quod cancamum eſſe dixit. Proinde, quum cancamo opus fuerit, Luſitanorum aniimo deinceps vtemur. Nec enim benzuinum cancamum eſt, vt capite de laſerpitio diximus. Cancami etiam meminit Paulus libro vij. ſuæ medicinæ, dicens: Cancamum lachrima eſt arboris in Arabia myrrhæ ſimilis, odore grato, qua etiam ad ſuffitum vtuntur. Vis eius eſt obeſos extenuare, abſtergere, & aperire obſtructa: Sed ad memoriam hic reuocandum eſt, quod Galenus libro primo de Antidotis, mineam myrrham, tanquam cæteris myrrhæ ſpeciebus meliorem laudat: de qua re capite de Myrrha in hoc libro plura dicemus.

Enarratores Meſues errant.

Cancamum quid ſit.

Aniimum gummi quid.

Briſotus Gallus vir doctiſſimus.

Cancamũ nõ eſt benzuinum.

Minea myrrhæ apud Galenum melior eſt.

DE CYPHI.

Græcè, κῦφι: Latinè cyphi.

Enarra

Enarratio XX IIII.

Cyphi quid.

Siue caput hoc Dioscoridis sit, siue adiectitium, est sanè cyphi, suffimenti, siue thymiamatis compositio, olim Soli & Lunæ dicata, qua vt Platonis verbis vtar, præclari egregiiq́ue quondam in sapientia Aegyptij rudi & inculto adhuc seculo vtebantur, vt Plutarchus libro illo, cui titulum de Iside & Osiride fecit monstrat. Non minus *Statius.* Politianus in libro de Nutritia: cuius causam Statius. 4. Thebaidos libro, iis carminibus tetigisse visus est, quæ ita habent.

Hi lucis stupuisse vices, noctisq́ue feruntur.
Nubila & occiduum longe Titana secuti,
Desperare diem.

Pastilla Hispanorum.

Hodie verò compositio hæc non paratur, illius tamen loco suffimenta quædam habentur, quæ Cyprias, auicularum modo formata quasi à cyphiis corrupto nomine appellant. Hispani vero massam, pastillorum modo, ex variis odoriferis rebus conformatam, pastillam vocant. Est autem cyphi compositio, vt placet Plutarcho sedecim sacris literis contenta, ex melle, vino, vua passa, cypero, resina, seseli, aspalatho, myrrha iũco, bryo, calamo, vtraq; iunipero, lacaphtho, cardamomo, & bitumine. Huius enim Galenus lib. ij. de Antidotis meminit, dicens: Quoniam verò cypheos meminit Democrates, quod & ipse conficit, rectè fecit, qui id quomodo præparari debeat, infrà adiecerit.

Plutarchus de cyphi.

Galenus de cyphi quid.

Cyphi est cõpositio.

At Cyphi, non est vlla simplex mistio,
Nec terra quapiam istud fert, nec est liquor,
Aegyptij confectum, quo dicam modo,
Diis propitiandis, asserunt suffimine.
Albam passam, capis vuam pinguissimam,
Et corticem semenq́; totum huic eximis,
Carnem ipsius perlenigatam insigniter,
Bis duodecim constituunt drachmis Atticis,
Terebinthinæ crematæ ponunt totidem.
Myrrhæq́; duodecim, vnam sed croci,
At vnguium bdellij tres, aspalathi duas
Semis, spicæ nardi tres, cassiæ tres bonæ,
Et cyperi tres, nec non & pinguium
Et grandium bactarum iuniperi sint tres,

Odori

Odori calami drachmæ sint nouem,
Mellis modicum, vini pauxillulum quoque.
At bdellium, vinum, myrrham, mortario
Demitte, leuiga dum spissitudinem
Mellis liquidi accipiant melle superaddito,
Vuam comminuunt, deinde facta leuia
Hinc vniuersa sumunt, atque orbiculos
Fingunt exiguos, diis hinc dant suffimina,
Ruffus vir optimus, & in arte exercitus,
Illo parandum sane prodidit modo.
Quidam carentes cinnamomo, tantum inuicem
Pondus locant ex cardamomi semine.
Vtuntur vt priori mistura quidam,
Verum vlceratis, iecore vel pulmonibus,
Aut viscere alio nonnulli dant potui,
Ex antidoto, quantum pendet denarius.

μέλιτος τὸ μέτριον, Mellis quod sat est. σταφίδα vuam passam. ἅπαντα καταμίζαντες omnia cõmiscentes. Ruffi medici laus. δραχμὴ dracmi.

CONSTANTINVS.

Hæc prætermisit, quæ in exemplari Græco ita leguntur κιναμώμου δ' σχοίνου ιβ'. id est Cinnami 4 iunci rotundi (vt Cor. Celsus interpretatur lib. 3. Cap. 21.) 12. Sequitur in Græco codice, βδελίου ὄνυχας quod interp. bdellij vnguium: quasi vero vngues habeat Bdellium. Lachryma arboris Sarracenicæ. Sed exemplar Galeni in his versib. Democratis (sic enim legendum) corruptum est: vera autem lectio ita restituetur si pro ὄνυχας mecum legeris ὄνυχος, ἢ ὀνυχίνου, ἢ ὀνυχίτου: qua forma dicitur à Dioscoride, ὀνύχινον μύρον, καὶ καλμεῖα ὀνυχῖτις. habet enim Bdellion quod sit ἐνῶδες ἐν τῇ θυμιάσει, ἐοικὸς ὄνυχι, authore Dioscoride libro 1. Cap. 66. quod refferendum ad vnguem odoratum, qui ad suffitus expetitur, & in officinis Blatta Byzãtia dicitur. Blatta Byzãtia tamen nihil aliud est, quàm βλάττος καὶ βλάττιον βυζάντιον ab Actuario dictum, Arabum vero Blatta Byzãtia. nõ tamen ignoro doctissimum Fuchsium, Blattam Byzãtiam intelligere, os naris purpuræ, deceptum Nicolai Myrepsi interpretatione, qui exponit. ὀστοῦν τῆς ῥινὸς τῆς πορφύρας. Sed hic author est admodum dilutæ fidei & parùm probatæ. Deinde in eo fallitur Fuchsius, quòd præter consuetudinem, parùm expendat, hæc verba Dioscoridis: ὄνυχες ἐνώδεις θυμιώμενοι, καστορίζοντες ποσῶς τῇ ὀσμῇ. Non impedit igitur, vt voluit Fuchsius, quin Blatium sit vnguis odoratus, quòd Blattium suffitum Castoreum suboleat: quando id

quoque

quoque vngui odorato, Dioscoridis authoritate, tribuatur. Bdellium Dioscoridis odore confertur onychi, ony χ autem Castoreo. Ideo βδέλλιον ὄνυχον. Bdellium vocauit Galenus libro x. de Compositione medicamentor. κατὰ τόπους, in Malagmate Asclepiadis: βδέλλης ὄνυχος λίβρας β. Idem lib. ij. de Antidotis in Charmidis Antidoto, βδέλλης ὄνυχές τε τ' Αἰθιοπικὴς ὡς ἀραχμὰς. Malè igitur legitur hoc in loco, ὄνυχας pro ὄνυχος, vt deprauatè itidem lib. 8. de Compositione Medicamentor. κατὰ τόπους in Democratis Malagmate, βδέλλης ὄνυχὰς τε τὰς ἴσας pro ὄνυχος consimiliter. quod ibidem paulo post exponitur idem esse βδέλλιον καὶ βδέλλα cum subiicit βδέλιον οὕτω διὰ τοῦ ο ποιοῦν πλυνέα. An Arriano verò Bdellium dicitur βδέλλα: περὶ πλοῦς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, φέρεσθαι δὲ inquit ἀπὸ τῶν τόπων ναρδον, κόστον, βδέλλα, ὀνυχίνην λιβίαν, καὶ σμύρναν. Sed Plinij verba de Bdellio onychite non transmittenda Silentio: libro enim 12. Cap. 9. De Bactriano Bdellio: Bactriano nidor siccus, multisq; candidi vngues, quod de vnguibus humanis intelligi non debet: vt alibi fusius dicemus, Sed de onyche conchylij genere, de quo Dioscorides loco superius citato.

HActenus Galenus, qui libro viij. de Compositione medicamentorum κατὰ τόπους id est, per loca vbi præcipue agit de pharmacis ad hepaticos, ex Andromacho, ita breuissime hæc complexus est, in primo Antidoto, dicens: Hæc quidem est Antidoti descriptio, Appellauit autem hanc cyphoidem, hoc est, cypheoformem, ob similitudinem: nam & odore & gustu similis est cyphi ab Aegyptiis appellati, qui sane primi hoc pharmacum composuerunt, & vtuntur eo quotidie ad vaporem edendum, accenso in deorum honorem igne.

DE CROCO.

Grecè, κρόκος: Latinè, Crocus, vel Crocum: Arabicè, Zahafaran, vel Zafaran: gallicè & Germanicè, saffrem: Hispanicè, Azafran: Italicè, Zaffarano.

Enarratio xxv.

Croci descriptio.

OMnibus notissimus est Crocus, quo condimenta coquinaria, passim ornantur, cuius descriptionem sic habeto, quum eam Dioscorides silentio præterierit: Crocus

Crocus.

cus est herba folio gracili, angusto, paruo, pene in capillamenti modum dissoluta, cuius radix bulbosa, nucleis intersecta: aliis simillima est, quæ vergiliarũ occasu flore ceruleo floret, in quo capilli illi Crocus dictus, hebetes licet postea odorati nascuntur: is enim olim Cilicius nobilior habebat, nunc vero apud Italos Aquilanus palmã obtinet, qui ex Aquila Neapolim affertur: quãquam qui è Germania hodie adducitur, primas obtineat, vt Venetiis aliquado vidimus, in ea præcipuè officina cui Coralium pro symbolo est. In Hispania quoq; plurimus & optimus nascitur. At qui à Græcia vbi vberrimè crescit, aduehitur, pessimus omnium iudicatur: optimus enim vt dicatur Crocus, flauissimus sit oportet, tum odoratissimus, & longo tempore in vigore suo persistens, vt ex Galeno libro de Antidotis desumitur. Est autem Crocus medicina cordialis, quæ merito tum intus, tum extra medicamentis cordi adaptatis, misceri debet, nã cor roborat, & lætificat, & ea de causa, risum promouet, & ita promouet, vt fabulosum non sit aliquando hominem risu & cachinno, ob nimium croci esum mori. Vidimus enim nos apud Mitinam à Campo, totius Hispaniæ celeberrimum emporium, mercatorem quendam, qui cum plures Croci sarcinulas siue inuolucra emeret, vt in Lusitaniam portaret, multum ex illo in olla carnes iurulẽtas pro cœna continente iniecit: qui post earum esum, in tam intensum ac vehementem risum prorupit, vt non multum abfuerit, quin risu, & cachinno tunc è vita discederet. Tunc enim Serapionem verũ dixisse credidi, quum capite de Croco

Crocus medicina cordialis.

Crocus interficit.

ex mente Rasis dicat: Crocus pondere duarum drachmarum partum accelerat, & inebriat ebrietate forti si cum vino misceatur, & lætificat adeo, donec facit insaniam excellenti lætitia. Quum igitur Crocus summam hanc cordialem virtutem habeat, non multum mea sententia damnãdi illi sunt medici, qui Rufi pillulis, Crocum tempore præsertim pestilenti addunt. quòd vero Crocus appetitum deiiciat, recentiorum est inuentum, vt verò Galeno placet libro septimo de Facultatibus simplicium medicamentorum, Crocus secundi quidem est ordinis excalfacientium, primi vero exiccantium, proinde concoquendi quoq; vim obtinet, adiuuante etiam ad id quadam exigua astrictione: nam lib. de Antidotis, se ob Croci odorem incurrere capitis dolorem, fatetur. Proinde nõ mirandum, si agaso quidam apud Pisaurenses, super duabus Croci sarcinulis dormiens, eadem nocte obierit: vt superioribus annis accidit, vt testantur omnes Pisaurenses, ac Magnificus Ioannes Gondula, patritius Ragusinus, vir non minus doctrina quàm generis nobilitate clarus, qui eo tempore apud Pisaurenses agebat, & hoc ita esse confirmat. Ex Croco vero, cerotum oxycroceum dictum, officinæ hodie parant, membris contusis, & fractis ossibus dicatum: resoluit item durities, & multa adfert præterea commoda.

Crocus pillulis Rufi addi potest.

Crocus calidus in secundo ordine siccus verò in primo.

Oxicroceũ

DE CROCOMAGMATE.

Græcè, κροκόμαγμα: Latinè, crocomagma.

Enarratio XXVI.

CRocomagma olei crocini fex est, quam instructiores officinæ reconditam habent: eius porro vires eædem fere sunt, eum iis quas crocus habet.

Crocomagma.

DE ENVLA CAMPANA.

Græcè, ἑλένιον: Latinè, Helenium, Inula, & Enula. Hispanicè, raiz de alla: Italicè lella, enola, enoa: Gallicè, enula campana, Aulnee: Germanicè, Alant: Alantvvurtzel.

Secunda

SECVNDA ENVLA.

Aegyptia enula, Helenium Aegiptium, νυπευθὲς, Hom. tametsi alij intelligant cirsium siue Buglossum.

Enarratio XXVII.

Helenium.

Enula Cāpanica.

HElenium, nostra est inula Campanica, siue enula Cāpana, hortis fere omnibus famigeratissima herba, cuius folium latissimum est, ad symphyti folium accedens, albicans vna ex parte, ex reliqua vero lanuginosa est, nam florem luteum fert, radicem vero crassam, amaram, optimi tade credendum est, vt docte admodum Marcellus Virgilius adnotauit, Dioscoridis historiā hanc corruptam & acephalam hic, vt in multis aliis locis deprehēditur, esse: Nam quòd folia angusta verbasco similia habere tradat, id cœli causæ forsan tribuendum esset, quum in vno loco procerius herba vna quàm in altero crescat: sed quòd insignem amaritudinem in inula repertam, silentio prætermiserit, non possum non testari textū istum corruptum esse. Imò Marcellus Virgilius confirmat se sic in antiquissimo Dioscoridis codice legisse: caulem ex se mittit Helenium, crassum, hirsutum, cubitalem, & aliquando maiorem, angulosumq; : flores luteos, & in iis semen verbasco simile, tactu pruritum faciens: vnde facile credere est, vt hæc peruersa & immutata fuere, ita quoq; pars hæc ad amaritudinem attinens, quāquam eam quoq; à Plinio prætermissam animaduerto, vnde Mathiolus Senensis, hic falsò admodum Plinium adducit, libro xix.

Dioscoridis historia acephala est.

Mathiolus Senēsis falso Plinium citat.

cap.5. quia vltra quòd in eo capite, nullam penitus de helenio, siue enula mentionem faciat, libro tamen xxj. cap.10. vbi helenij meminit, non de hac loquitur, sed potius de Aegyptia, cui Dioscorides in hoc capite, ex mente Crateuæ herbarij, ramulos serpilli modo, humi sparsos tribuit, folia vero lenti similia, cui quoq; eo in loco nullam tribuit amaritudinem: Imò in describēda hac herba, Plinius à Dioscoride variat, quum Dioscorides folia lētis, & ramulos serpilli per terram sparsos Aegyptiā enulam habere tradat: ille vero non lentis folia sed serpilli potius posidere dicit. Accedunt ad hæc, quòd cap.xxj. prædicti libri, vbi medicamenta Helenij pertractat, dulcem esse asserit, non amaram, vt liquido constet Plinium de illa tantum dulci Aegyptia inula memoriam fecisse, non vero de hac à nobis amara tractata: Proinde Mathiolus si Plinij authoritatem in hac parte subticuisset, prudentius dubio procul fecisset, ac non ita duplici errore hallucinaretur, primo, quum credat Plinium de hac inula prima mentionem fecisse, quum vt diximus potius de secunda Aegyptia agat: secundo quum dicat Plinium inulæ amaritudinem tribuere, quum re vera illi dulcedinem condonet, & non amaritudinem, vt cuique legenti notum erit. Verum enulæ radix adeo lætificat, vt in omnium apothecariorum ore sit, Enula Campana reddit præcordia sana: imò hac de causa, à multis creditum est, hanc, nepenthem herbam illam ab Homero tanta laude decantatā esse, quia perpetuam pariat lætitiam, & tristitiam omnem aboleat, omnes abigendo curas, & malorum omniū obliuionem inducendo, præcipuè si eius succus vino immistus bibatur, quæ omnia vera esse crediderim, modo de Aegyptio helenio Campano dicantur, quum in nostra enula hæc prorsus non reperiantur: nec Itali illius radices quotidie coctas, & saccharo vel melle & aromatibus paratas licet esitent, talia experiantur. De illa igitur enula Aegyptia vera nepenthe sic cecinit Homerus libro iiij. Odysseæ.

Mathiolus dupliciter hic errat.

Enulæ radix cor lætificat.

Nepenthes enula Aegyptia est.

Tum Ioue nata Helena hic meditata est pharmaca potu
Ac subito iniecit medicamina rara Lyæo,
Vnde bibunt proceres Nepenthes inclyta succo
Gramina, quæ irarum, siue omnis cladis & omnis
Vsque mali herbarum ducunt obliuia potu.

Hæc

Hæc ſi mixta ſcyphis aliquis præſumpſerit, ille
Luce illa nunquam lachrymas effundet obortas,
Non ſi vel genitor materq́; Acherontis arenas
Rapta petat Stygias, non ſi natumq́; fratremq́;
Coram diſiectos ferro, atque in ſanguine mixtos
Hoſte oculis videat claris.

Cæterum helenium ab Heleno Troiano inuentum ſibi nomen vindicaſſe, non vero ab Helena vt poëtarum narrant fabulæ, crediderim: cuius naturam & vires proſequens Galenus libro ſexto de Facultatibus medicamentorum, ita inquit: Helenij herbæ radix maxime eſt vtilis, non primo ſtatim occurſu excalfaciens, ac proinde dicenda eſt non calida & ſicca exactè, ceu piper tum atrum, tum candidum, ſed cum recrementitio humore, quapropter eclegmatis, quæ faciũt ad educendos ex pectore pulmoneq; craſſos lentoſq; humores, idoneè commiſcetur, rubrificant eius quoq; vi partes frigidis ac diuturnis vexatas affectibus, cuiuſmodi ſunt nonnullæ coxarum paſſiones, iſchiadas vocant, & exiguæ aſsiduæq; articulorum quorundam præ humiditate procidentiæ ac luxationes.

Helenium vnde dictum.

Helenij tẽperatura.

Helenium pectori cõfert.

DE OLEO.

Græcè, ἔλαιον: Latinè oleum: Hiſpanicè olio, azeyte: Arabicè, Cait, vel Zait. Italicè, olio, vel oglio, Gallicè huyle, Germanicè, oel, ἔλαιον ὀμφακινον: καὶ ὠμόξυλες: Latinè oleum omphacinum, Hiſpanicè, oleo de oliuas en agraz, olio de oliuas verdes: Germanicè, Baumœl.

Enarratio XXVIII.

OLeum ex oliuis expreſſum, omnibus notũ eſt, quod hodie maturum in vſum victus, non vero omphacinum immaturum aut acerbum dictum, venit: eſt enim maturum, hoc eſt, oleum ex oliuis maturis confectum, calidum & humidum, & eo magis ſi vetuſtum eſt, vel in eo ſal iniectum fuerit, vt hodie apud Hiſpanos plerunq; fit. omphacinum vero frigidum & ſiccum eſt, & tãto magis ſi cùm exprimitur, oliuæ ſurculi vel folia quoq; ſimul

Oleum calidum et humidum eſt.

Oleum omphacinum frig. et sic.

exprimantur, vnde Galenus lib.ij. de Compositione medicamentorũ secundum genera, quum andromachi emplastrum viride examinat, inquit: olei sanè nomen vnum est, qualitas & facultas diuersa, nam omphacinum frigidius: ex maturis oleis pressum calidius est: temporis tamen processu calfaciẽdi vim auget, sic etiam quod salem habet quantũ ex illo sumpserit tanto calidius est, magisq; siccat, quàm quod ipsius expers est. Quod surculos oleæ, θαλλὸς Græci nominant, continet, valentius astringit, Hæc ille. Olim verò & si omphacinum præcipuum in sanitatis vsu habebatur, ex maturis quoque oleis, multis in locis parabatur, præcipuũ tamen Sabinum, non procul ab vrbe Roma, in Sabinorum regione prognatum, vt Galenus libro ij. de Compositione medicamentorum secundum locos ait. Hodie verò vt diximus ex maturis oleis tanquam sanitatis vsui magis seruientes paratur, omphacinum verò in officinis & rosaceum, & per se proprium, tanquam repercussorium medicamentũ seruatur. De quo Galenus lib.vj. de Facult. simpl. medic. ita pro coronide tradit: oleum quod ex oliuis exprimitur, humectatorium esse & moderatè calidum iam supra docuimus, eiusmodi est, quod dulcissimum est, fitq́ue potissimum ex oliuis quas drupas appellant. Cæterum quod omotribes & omphacinum nuncupant quale ab Hispania vehitur, id quantum in se habet astrictionis, tantum etiam illi inest frigiditatis. porrò oleum vetus, quod quidem ex dulci inueterato efficitur: & calidius est, & potentioribus ad euaporandum viribus: quod verò ex crudo, id dum reliquum quippiam seruauerit astrictionis, mistæ permanet facultatis: Vbi vero illam prorsus abiecerit reliquo euadit simile. Quinetiã quicunq; in præparando ramos iniiciunt, ij omphacino simile oleum efficiunt.

Oleum moderatè calidum est.

DE OLEO OLEASTRI.

Græcè, ἀτριέλαιον vel ἔλαιον ἐκ τῆς ἀτρίας ἐλαίας ἤγουν τῆς κοτίνου, ἢ ἀτρίππου ἢ ἀτριελαίου: Latinè oleum oleastri: Hispanicè, olio de azenbuche, olio de azambugeiro: Italicè oglio de oliuastro.

Enar

Enarratio. XXIX.

OLeum quod ex oleastri amari conficitur oleis, pro cibo non accipitur. Si quis tamen eo quotidie barbam, vel capitis capillos inunxerit, canitiem remorabitur: de quo Galenus libro vj. de Facul. simpl. medi. tradit. Quod ex agresti oliua exprimitur, extergit, simulq; astringit, squalidissimus enim id est ex omni olei genere. *Oleū oleastri canitiē remorātur.*

DE OLEO ALBO SICYONIO DICTO.

Græcè, Σικυώνιον ἔλαιον: Latinè Sicyonium oleum.

Enarratio XXX.

SIcyonium oleum, sic appellatur, quia in Sicyone ciuitate, apud Peloponnesum Moream vulgo dictam, olim perfectissimum parabatur, hodie vero vt audio, ciuitas hæc Basilica dicitur. Cæterum, priscis maxima cura erat, oleum parare albissimum, quia illo quotidie vniuersa corpora inungebant, vt agilia prompta, & expeditissima ea haberent, qua de causa frequentissime se lauabant, & tam sæpe balneis vtebantur, in quibus oleosa superfluitas illa colligebatur, de qua Dioscorides ad præsens sermonem facit, dicens: calefaciunt itidem quæ in balneis olei strigmenta colliguntur, &c. Non minus olim quoque athletæ luctatores, quum ad palæstram nudis corporibus, vt difficulter delibuti, ab aliis in lucta siue palæstra, perstringerentur, vniuersum corpus oleo illinebant, quod puluere eleuato & sudore permixtum, inde sordida pinguitudo resultabat, quam Dioscorides intelligit, quum inquit. Quæ vero ex palæstris, &c. Hæc quoque crassa sordes quum luctatores gymnasiorum parietibus & statuis adhærebant, fixa illic manebat. Quam Dioscorides quoque intelligit, quum dicit, nec minus etiam calfaciunt, & cætera. At hæc hodie vt multa alia non habentur. *Sicyonium oleum à ciuitate dictum.* *Strigmēta balneorū.*

DE ELAEOMELLE.

Græcè, ἐλαιόμελι: Latinè elæomel, oleum palmarum: Hispanicè, olio de palmeras: Italicè oglio de palmiere.

Enarratio XXXI.

QVi rerum variarum cognitionem desiderat, & earum naturas tenere, multas orbis partes perlustrare opus habet, quum sedentario studio tantum non adquirantur, cuius defectu Hermolaus Barbarus patricius Venetus, vir singularis doctrinæ & eloquentiæ, in hoc deceptus est, credens vtique elæomel, mannam qua ad ducendam aluum vtimur, esse: quum elæomeli, vt veritas ipsa testatur, & Plinius subscribit lib. xv. cap. 7. sponte nascatur in Syriæ palmyris, licet mendosè hodie maritimis, legatur. Quod ex arboribus manat pingue, crassius melle, resina tenuius, sapore dulci. In India vero & insulis Cap. viridis, palmyras hodie nasci nouimus, ex quibus non solum oleum lucernis, & cibo deseruiens extrahitur, sed etiam vinum, mel, fructus, linum pro parandis sacculis, & ligna igni deseruientia colliguntur, vt mirum planè sit, quantis dotibus natura hanc dotauerit arborem, de cuius fructu, capite de elate legere ne pigeat, quum ibidem hæc vberius tractentur.

Hermolaus Barbarus errat.

Elæomeli quid.

Ex palmyris multa colliguntur.

DE OLEO CICINO.

Græcè, κίκινον ἔλαιον: Latinè, oleum cicinum, oleum recininum, oleum de cherua, oleum de cataputia maiori, de pentadactylo: Hispanicè, olio de semente, de figueira del inferno: Italicè, oglio de mirasole, o giraſole, o fagiuolo Romano, o fagiuolo Turchesco: Germanicè, Vuunderbaum: oder Creiitzbaum.

Enarratio XXXII.

OLeum Cicinum Latini ricinium appellant, ob similitudinem, quam semen vnde oleum conficitur, cum animalculo sic dicto, habet. Est vero animalculũ hoc infestum canibus, capris, asinis, & equis, quod ricinus Latinè dicitur: Hispani verò illud sua voce, canapatum appellitant: Itali autem zeccam. Dicitur verò oleum hoc apud Arabas, oleum de cherua, siue de maiori cataputia, quod in nonnullis instructis & ornatis officinis paratum habetur,

Oleum de cherua.

tur, de quo Galenus lib. vij. de Facul. simpl. medic. ita tradit: Oleum quod ex semine ricini conficitur, tum calidius est, tum tenuiorum partium, quàm est oleum commune, ac proinde potentius quoq; digerit. nos verò Mesues consilio, eo contra colicos affectus à frigiditate ortus, tum in clysteribus tum in vnctionibus vtimur, de quare quarto libro vberius agetur.

DE OLEO AMYGDALARVM.

Græcè, ἀμηγδάλινον ἔλαιον: Latinè oleum amygdalarum. Hispanicè olio de almendras: Lusitanicè azeite de amendoas: Italicè olio di mandorle: Germanicè, Mandelœl. *Gallicè, huyle d'amandes.*

Enarratio XXXIII.

Oleũ amygdalarum amararũ describit Dioscorides tantũ.

TAntum de oleo amygdalarum amararum loquitur in præsentia Dioscorides, quòd μετώπιον appellat: proinde nos de dulci sermonem faciamus, quum eo frequẽtius vtamur, & medico vsui quotidie veniat. Parat enim oleũ amygdalarum dulcium sic: contunduntur autẽ amygdalæ, & in cacabo æneo ad ignem trahuntur, postea canabaceo panno multis obducto plicaturis excipiuntur, & in torculari exprimũtur, vnde oleum exit, sed in hoc parandi modo monẽdi sunt pharmacopolæ, quum vt optimum oleum amygdalarum dulcium fiat, opus est ex optimis amygdalis selectis paretur: quas à corticè mundare, & eas albas reddere operæ pretiũ est: nam aliter virtus olei huius lenitiua, & pectoralis amittitur, hoc magis, si rancidas & veteres amygdalas aliis mixtas acceperint. Sed hoc aliud maius malum in hoc concinnando oleo committitur, quod est, quia quum ad ignem, sic contusas & pistas in cacabo æneo admouent amygdalas, eas sic torrere permittunt, vt non multum abfuerit quin omni ex parte olei virtus deperderetur, nisi eas, pauca aqua roscidas facerẽt. Sed & cum hoc, adeo eas vrunt, vt horridæ & combustæ fœteant. Proinde deinceps monitos pharmacopolas vellem, vt quum oleum ex amygdalis dulcibus parare proposuerint, conentur amygdalas selectas & bonas habere: item quòd eas albas faciant, quũ cortex ille procul dubio

ſtypticus, ſiccus, aſper, & ſcabritie plenus ſit: Quæ omnia viribus olei huius contraria ſunt, & multo magis, ſi torrefieri, vt plerunq; fit, amygdalæ permittãtur, proinde cortices deinceps deponito, nec amygdalas ſic torrefieri ſinito. Hæc omnia Meſue pharmacopolarum princeps noſcens, ſuadet. vt amygdalæ calefiant calore quodam modico, ſuaui, & minimè acri, vt in balneo Mariæ fit, in quo vtinam pharmacopolæ deinceps, hoc oleum pararent, quum ſic paratum in eo omnes vires attributæ reperiantur, & pectoris aſperitates lenit, ac gutturis & pulmonis, velut iuncturarum quoque duritiem & ſiccitatem. Suaue eſt enim in cibis, & confert hecticis, & phthiſicis, impinguat, auget ſperma, ſedat tuſsim, & vrinæ ardorem mitigat, nam veſicæ, & renum, & vuluæ excoriationibus cum fiſtula iniectum medicatur: pondere verò quatuor vnciarum ebibitum oleum hoc aluum cõſtrictam lenem facit. Amarum verò oleum vltra tam multis à Dioſcoride illi viribus tributis, obſtructiones aperit, & ventoſitati aduerſatur.

Meſue.

Oleũ amygdalarum dulcium in balneo Mariæ fieri debet.

CONSTANTINVS.

AMygdalarum oleum μετώπιον, non vocat Dioſcorides, vt affirmat Amatus Luſitanus, non enim in re tam aperta, tam bonus author cæcutit: ſolum adiicit ita ab aliquibus vocari. eius verba ſunt: ἀμυγδάλινον ἔλαιον ὅτυνερ μετώπιον καλοῦσι. Cauit etiam omniũ optimè Plinius, ne in illam vulgi ἀκυρολογίαν incurreret, Cùm dixit libro xv. Cap. 7. Amygdalinum, quod aliqui metopium vocant, ex amaris nucibus arefactis, & in offam contuſis, aſperſis aqua & iterum tuſis exprimitur, Nimirum ſciebat vterq; aliud eſſe μετώπιον, quod & νέτωπον vocat Hippocrates libello de ſuperfœtatione. Comprimis Dioſcorides qui libro j. Cap. 72. de metopio ita prodidit Σκευάζεται δὲ καὶ ἐν αἰγύπτῳ μύρον, ἐπιχωρίως ὑπ' αὐτῶν καλούμενον μετώπιον, διὰ τὴν τῶν χαλβάνης μίξιν. τὸ γὰρ ξύλον ἐξ οὗ γεννᾶται ἡ χαλβάνη, μετώπιον καλεῖται. Plinius vero in hæc verba lib. xij. Cap. 8. Ergo Aethiopiæ ſubiecta Africa ammoniaci lachrymam ſtillat in harenis ſuis: inde & nomine etiam ab Ammonis oraculo, iuxta quod gignitur arbor quam metopion vocant: reſinæ modo aut gummi.

DE OLEO BALANINO.

Græcè, ἔλαιον βαλάνινον: Latinè, oleum balaninum, oleum

oleum de myrobalano vnguentaria, oleum de nuce siue glande vnguentaria, oleum de ben, oleum myrepsicum: Hispanicè, azeite de auelhana de la India. Italicè, olio di Ben.

DE OLEO SESAMINO.

Græcè, ἔλαιον σισάμινον: Latinè oleum sesaminum, oleum è sesamo semine: Hispanicè, olio de alegria simiente, olio de gorgilim: Italicè, oglio de sisamin, de iesamin.

DE OLEO NVCIS.

Oleum nucis iuglandis, oleum nucis basilicæ, oleum nucis: Hispanicè, olio de nuezes: Italicè, oglio di noci, Germanicè, Nussœl.

Enarratio XXXIIII.

OLeum balsaminum è fructu quodam, nucis auellanæ magnitudine, & figura conficitur, qui fructus hodie apud myropolas, & vnguentarios, ben dicitur, vnde quoque oleum de ben appellant: Græci verò quoq; fructum istum myrobalanum appellant: Romani autem vertētes, glandem vnguentariam meritò vocant: quia huius oleo vnguentarij pro cōficiendis & apparandis odoratissimis vnguentis vtuntur, præsertim in quibus moschus, ambra, & cibetum ingrediuntur, hodie verò pro chirothecis & manicis suffitu perfundendis in myrothecis reconditum ab vnguentariis habetur: sub nomine tamen olei de ben, vt quarto libro amplius videre est. Verùm oleum hoc est absterſiuum, mundificatiuū, & oppilationū aperitiuum, nam strumas quoq; resoluit, & duros minuit tumores, mirificè contra induratos splenes valet, qua de causa hodie multi in vnguentis de obstruentibus spleneticis dictis, id miscent: valet quoq; ad multas propulsandas ægritudines frigidas, præsertim conuulsionem, iuncturarum dolores, ac iis similes. Inest enim mira proprietas huic oleo, quod nunquā in longo temporis tractu senescit, aut rancidum euadit, imò si oleo amygdalarū gutta vna vel altera huius

Glans vnguentaria quid.

Oleum de ben contra splenis scirrhos valet.

de quo

de quo agimus olei adiungatur, illud à corruptione præseruatum habet. An verò oleum hoc ex fructus putamine, vel potius nucleo parari debeat, quũ in hoc authores varios esse animaduertimus quæri potest: Respondeo ex nucleo fieri debere, prout hodie quoq; fit, nã putamen ineptum admodũ, vt ex eo oleũ parari aut confici possit, est.

Sesaminũ oleum. Sesaminum verò oleum, ex sesamo semine admodum paruo conficitur, quo hodie vniuersa Græcia maxime in cibo & lucernis vtitur: post oleum autem ex oliuis confectum, sesaminũ primas obtinet, corpora enim incrassat, semen genitale multiplicat, vocẽ clarificat, pectus lenit, & scirrhosos tumores mollificat. Est enim omnino medicum hoc oleum, in multis adhibitum oleorum compositionibus. Nucum verò oleum in multis paratur regionibus, præcipuè in Longobardia, Ethruria, Germania, & aliis variis locis, oleo oliuarũ carentibus, cuius vice, illo præparando lucernarũ lumine præcipuè vtuntur: in vsum verò medicamentorum raro oleum hoc venit.

Nucũ oleum.

DE OLEO HYOSCYAMINO.

Græcè, ἔλαιον ὑοσκυάμινον: Latinè, Oleum hyoscyaminum, Oleum Apollinaris herbæ, Oleum Alterci herbæ: Hispanicè, Oleo de velenho: Lusitanicè, azeite de memendro: Italicè, Oglio di dente caballino, Oglio de hyoscyamo: Gallicè, huyle de Hannebane, ou de iusquiame: Germanicè, œl von Bulsenkraut.

Enarratio XXXV.

Oleũ hyoscyaminũ. OLeum hyoscyaminum, ex hyoscyamo Apollinari siue alterco dicta herba, raro in officinis paratur, non sine errore tamen, quum multũ podagricis, & calidis affectionibus valeat, contra Phrenesin magno iuuamento inungitur, non minus contra gonorrhœam, si renes eo illinantur, facit: aurium acutissimos dolores curat, præsertim si cum castoreo vel croco intus instilletur, item testiculorum & mammillarum dolores ac inflammationes sedat, dentium dolores ore retentum mitigat, & pilorum regenerationem prohibet, de quo plura libro 4.

DE

DE OLEO DE GRANO CNIDIO SIVE GNIDIO.

Græcè, κνιδέλαιον: Latinè Oleum de grano cnidio, Oleum de grano gnidio, Oleum de cocco gnidio, Oleum de thimeleæa: Hiſpanicè, Luſitanicè, Olio de toruiſco: Italicè, Oglio de pepe de monti.

Enarratio XXXVI.

OLeum de grano cnidio ſiue gnidio, Oleum ex ſemine thimeleæ confectum eſt, nam chamælea mezeron eſt, vt 4. libro dicemus. Cæterum hoc Oleum exoletum ab officinis eſt, nec à quoquam in vlla regione paratur, de quo plura quarto libro legito. *Granũ cnidium, gnidium thymelaeæ idẽ.*

DE OLEO CNICINO.

Græcè, κνικέλαιον, καὶ ἔλαιον κνίκινον: Latinè, Oleum cnicinum, Oleum è grano cnico. Oleum è carthamo, Oleum è croco hortulano: Hiſpanicè, Olio de Semiente de Alaçor, Olio de Semiente de papagaios: Italicè, oglio de Carthamo.

Enarratio XXXVII.

OLeum Cnicinum, è grano cnico, oleum de carthamo eſt, quod ex ſemine eius id eſt croci hortulani paratur: Concinnatur verò velut amygdalinum, eo tamen calidius eſt, nam oleum hoc apertiuum eſt, & reſolutiuum, pectoris remouet ſtricturam, facillitat anhelitum, medetur ictericiæ, ſedat ſtomachi dolorem & coli. *Granum cnicinum carthami croci hortulani, idem.*

DE OLEO RAPHANINO.

Græcè, ῥαφανέλαιον καὶ ῥαφάνινον ἔλαιον: Latinè oleum raphaninum, oleum è ſemine radiculæ, oleum è ſemine raphani: Hiſpanicè, olio de ſimiente de rauano: Italicè oglio di ſemenze de radice: Germanicẽ, Rettichœl.

Enar

Enarratio XXXVIII.

Vomitum prorritãs.

OLeum è semine raphani, plebeis septentrionalibus admodum protritum oleum est, tum in obsoniis, tum in lucernis, velut Aegyptiis hominibus olim fuit, pulchram enim oleum hoc mulierum faciem reddit, & illius à vento contractas emendat scabrities: nam & quibus à longa valetudine pediculi abundant, accommodatum est, præter cætera autem hanc obtinet excellentiam, quòd vomitum leuiter admodum prorritet.

DE OLEO E NIGELLA.

Græcè, ἔλαιον μελάνθινον ἢ μελανθέλαιον Latinè oleum de nigella, oleum melanthinum: Hispanicè, olio de Axenuz: Lusitanicè olio de Alepiure: Italicè oglio de nigella.

Enarratio. XXXIX.

Melanthiũ vera nigella est.

MElanthinum oleum, id est è grano nigella dicto, non paratur, si tamen pararetur easdem ferè vires obtineret, quas sesaminum oleum. Est enim melanthium longè aliud granum ab eo quod inter frumentum reperitur, vt suo dicemus loco.

DE OLEO SINAPINO.

Græcè, σινάπινον ἔλαιον ἢ σιναπέλαιον, Latinè Oleum Sinapinum, Oleum è sinapi: Hispanicè Olio de mostaza, de mostarda: Italicè Oglio de mostarda o verò de Senape.

Textus quadragesimi Enarratio.

OLeum Sinapinum, in vniuersa Germania in maximo habetur vsu, nec non in aliis regionibus quoque paratur. Est, enim Oleum hoc maximè ad se trahens, proinde antiquisimis medetur doloribus.

DE OLEO MYRTINO.

Græcè, ἔλαιον μυρσίνινον ἢ μυρσινέλαιον, Latinè, Oleum Myrtinum, Oleum myrteum: Hispanicè, Olio de arhaiam, Olio de mortinhos: Italicè oglio de mirto.

Enar

Enarratio XLI.

Oleum myrtinum quomodo parari debeat.

OLeum Myrtinum in omnibus officinis paratum reperitur, sed vtinam eo modo concinnatum quo Mesue suadet, cum oleo scilicet omphacino, in balneo Mariæ: vt vero optimum paretur sic componi debet: accipe Myrtilorum recentium libram vnam, succi Myrtilorum libram mediam, vini nigri styptici, id est austeri libras duas, Olei omphacini libras tres, omnia simul mixta in vas vitreum vel stanneum optime obturatum mittantur, postea vas in balneo Mariæ reponatur, & lente per triduum ad ignem ebulliat, postea verò prælo omnia exprimantur: cui expresso, fructibus siue baccis tanquàm inutilibus reiectis, nouas myrti baccas iterum optimè pistas addere est opus, & per triduum quoq;, vt primo modo diximus, in balneo Mariæ tractari debent: sic verò & tertia vice innouari debent. Sed animaduertendum est, quòd vltimo die quo hæc extrahere ab igne voles, vasis os per aliquot horas apertum permittere debes, vt vini humiditas exhalet, & Oleum purius maneat, sic enim concinnatum oleum hoc, multo perfectius quàm quod tempore Dioscoridis parabatur, deprehenditur: credereque par est, si huius balnei artificium Dioscoridi notum fuisset, in eo omnia similia olea pararet, non verò ad carbonum ignem. Est enim Oleum hoc cõstringens frigidum, proinde stomachum valde roborat, sistit vomitum, & ventris fluxum compescit, nec minus contusiones sedat.

DE OLEO LAVRINO.

Græcè, ἔλαιον δάφνινον ἢ δαφνέλαιον: Latinè Oleum Laurinum: Hispanicè, Olio de laurel: Italicè, Oglio de bachelle de lauro, Germanicè, Laurœl.

Enarratio XLII.

Oleũ myrtinum frigidum constringens est.

OLeum laurinum, ex lauri baccis paratur, officinis triuiale, quod vtinam pharmacopolæ præpararent ac non ab aliis adulterinum vt plerunq; faciunt, acciperent, hoc verò calidũ & apertiuum est, colicam affectionem, & frigidos alui dolores, & stomachi, curat: non minus capitis, epatis, splenis, renum, matricis, neruorum, iuncturarum, velut cæteros frigidos dolores mitigat, & lenit.

DE

DE OLEO LENTISCINO.

Græcè, ἔλαιον σχίνινον ἢ σχινέλαιον: Latinè, oleum lentiſcinum: Hiſpanicè, olio de lentiſco, olio de mata: Luſitanicè, olio de Arueira: Italicè, oglio del lentiſco.

DE OLEO TEREBINTHINO.

Græcè, ἔλαιον τερεβίνθινον: Latinè oleum terebinthinum: Hiſpanicè, olio del arbor de la termenthina: Italicè, oglio de bachele del terebintho.

Lentiſcus.

Terebinthus.

Enarratio XLIII.

oleum lentiſcinum viſum acuit.

OLeum lentiſcinum, ex baccis lentiſci, in multis Italiæ locis paratur præcipuè prope Senas ciuitatem, vbi ab iis qui oleum hoc componunt, creditur, viſum multum acuere. Galenus vero lib. v. de compoſitione medicamentorum

torum ſecundum locos. cap. ix. Gingiuis ex inflammatione dolentibus, optimum pharmacum (inquit) eſt oleum lentiſcinum caliditate temperatum ore retentum, modo ſit recens, nam vetuſtius tanto recẽtiore peius eſt, quanto ætate antecellit: Imponatur autem in vaſculum in quo calefit lentiſcinum, in aliud maius vas, quod aquam calidam multam complectatur, maximopere itaq; inflammationi gingiuarum hoc cõducit: nec vero minus etiam ſi iuxta quandam aliam partem, tum pelliculæ linguam ambientis tum ſuccingentis totum os aliquis dolor ob inflammationem oriatur, dolorem ſedat lentiſcinum, repellit enim citra moleſtiam, & abſq; aſperitate, quam pleraque auſterorum habent, diſcutitque citra mordacitatem, cuius rei inflammatis præcipuus vſus exiſtit. Hæc Galenus. Ex quibus, vt obiter hoc attingamus, balneum Mariæ ſatis illum cognouiſſe liquet, quum vaſculum paruum in magno aqua pleno immergendum ſuadet. Dioſcorides præterea, cap. 77. huius voluminis inquit: Fit præterea ex lentiſci ſemine, oleum, quod adſtringendo eſt, his quæ adſtringenda erunt præcipuè accõmodatum, & quo hodierni noſtri vnguentarij Hiſpaniæ maximè vtuntur pro inficiendis chirothecis ſeu manicis. Oleum terebinthinum ex baccis terebinthi arboris extrahitur, hodie voce tantum notum, poterit tamen concinnari ex terebinthi reſina, miras dotes poſsidens, quas multi opobalſamo tribuunt, inter quas præcipua habetur, contra omnes frigidas ægritudines, & maxime neruorum. Vetùm Dioſcorides in præſentiarum tradit oleum terebinthinum refrigerare: quod dubio procul abſurdum eſſe videtur, quum cap. 78. huius primi libri, terebinthi fructum calfaciendi vires habere tradat: Quamobrem crederem huic capiti, de quo agimus, verbum hoc, & refrigerat, ſuperadditum eſſe, quod animaduertens Manardus Ferrarienſis, prima epiſtola octaui libri ſuarum Epiſto. inquit: Quare magis probandus inuulgatus Græcus codex alter, in quo nulla virium mentio, ſed præparatio tantum terebenthini olei docetur.

Lentiſcinũ temperatè calidũ eſt.

Galenus balneũ mariæ optimè nouit.

Oleum terebinthinum.

Verba huic textui Dioſcorid. addita.

DE OLEO MASTICHINO.

Græcè. μαστιχέλαιον, ἢ ἔλαιον μαστίχινον: *Latinè, ma-*

ſtichinum, Oleum ex reſina lentiſci: Hiſpanicè, olio di almacigua: Italicè, Oglio di maſtice: Germanicè, Maſtixœl, *gallicè, huyle de maſtich.*

Enarratio XLIIII.

PAratur oleum maſtichinum ex reſina lentiſci, maſtiche dicta, vnde Dioſcorides capite. 77. huius libri inquit: naſcitur & ex lentiſco reſina, quæ ab arbore, lentiſcina, à quibuſdam vero maſtiche appellatur. Cæterum hoc oleum in officinis hodie communiſsimum habetur, quod vt optimum ſit, in balneo Mariæ, vt Meſue docet, parari debet. Eſt enim oleum hoc ſtypticum, proindè ſtomachum roborat, aluum retinet, & virtutem concoctricem, ac membra omnia lapſa & debilia confortat, olim vero in Chio inſula, non procul à Conſtantinopoli ciuitate perfectiſsimum hoc concinnabatur oleũ, nec mirum: quum hodie quoq; ex inſula illa tantum maſtix in omnes orbis partes diuerſatur.

Maſtix ex Chio inſula aduehitur.

DE VNGVENTORVM CONFECTIONIBVS.

Enarratio XLV.

VOcat Dioſcorides Oleum, quod per ſe ex fructu vel ſemine, nulla alia admixta re extrahitur: vnguentum verò, quod ex Oleo componitur, & in eo varia ſimplicia miſcentur. At re vera, Olea (ſi hoc nomen pluraliter flecteretur) quàm vnguenta appellari merentur. Qua de re Galenus lib. ij. de Facul. ſimpl. med. cap. 27. inquit quum de roſaceo oleo loquitur, præſtiterit fortaſsis ipſis etiam nominibus ea diſtinguere, quod veteres feciſſe conſtat, oleum etenim roſaceum nominare aſſolent, quod abſq; odoramentis præparatum eſt, cui autem & horum aliquid inditum fuerit, non id etiam oleum, ſed vnguentum cognominant. Item lib. vj. eiuſdẽ voluminis, capite de oleo, prope finem: ex dictis (inquit) cognoſcere iam liceat, & de aliis olei generibus, quæ æquiuocè ipſis dicuntur vnguentis, puta roſaceo, melino, liliaceo, & quæcunque id genus floribus, fructibus, germinibus, foliis, in oleo maceratis conficiuntur. Horum quodque vbi vnà cum

Oleum ab vnguento in quibus differat.

cum aromatibus præparantur, vnguentum efficitur, noſtra vero vnguenta, longè aliter hodie, quàm tempore Dioſcoridis parantur.

DE VNGVENTO SIVE OLEO ROSACEO.

Græcè, ῥόδινον ἔλαιον, Latinè, roſaceum, Gallicè huyle roſat: Italicè, oglio roſato.

Enarratio XLVI.

Vnguentũ roſaceum.

Siue enim hoc vnguentum roſaceum dicatur, longè tamen aliter in officinis noſtris ad Meſues mentem præparatur. Vnguentum vero roſaceum plurimum valet pro inflammationibus arcendis, repercutit enim materiam, ſedat dolores, febricitantiũ capitibus, & eorum renibus, magno iuuamento inungitur, refrigerat ardentes febres, epar, & ſtomachum. Oleum vero roſaceum, abſolutè roſaceum, ſiue completum dictum, & cum additione immaturum ſiue omphacinum paratur vbique, nec enim communem modum parandi Dioſcorides præteriuit, quum dicat: quidam ſolas roſas tantũ detractis vnguibus inſolatas pondere vnciarum ſex in olei ſextarium demergunt, demiſſaſque in eo diebus octo madere ſinunt, mox quadraginta diebus tertia roſarum adiectione inſolatas ſic reponunt, & ſeruant. De hoc vero roſaceo oleo locutus eſt Galen. ij. lib. de Facult. ſimpl. medic. cap. 27. quum dicat: oleum roſaceum eaſdem vel ſimiles vires obtinet, quas ſuccus roſarum: Omphacinum autem oleum roſaceum ex nondum completis roſis, & oleo ex oleis nondum maturis extracto conficitur, non ſolum ad Solem, ſed etiam in balneo Mariæ: Hoc enim frigidius eſt, quàm abſolutè roſaceum dictum: vulneribus enim capitis accommodatiſsimum eſt, & prohibens inflammationes.

Oleum roſaceum.

DE OLEO ELATINO.

Græcè, ἐλατῖνον ἔλαιον, Latinè, oleum elatinon: Hiſpanicè, vnguento de cortezas de palmito: Italicè, oglio de cephaglione.

Enarratio XLVII.

VNguentum elatinum olim parabatur, nunc verò omissum est, paratur verò ex recentibus palmulis quibusdam, quas Græci, ἐγκέφαλον vel μεφάλιον appellãt, nos verò palmitem vel palmitum dicimus fructum stomacho admodum gratum, multum genitalis seminis creantem, qua de causa à nobilibus, in maximo pretio habetur, de quo capite suo, hoc est, de elate multa videre est.

DE OLEO MELINO.

Græcè, μήλινον: *Latinè*, *Oleum melinum*, *Oleum ex malis cotoneis*: *Hispanicè*, *Olio de membrilhos*, *de marmelos*: *Italicè*, *Oglio de mele codogni*, *vel cotogne*, *Germanice*, quittencel.

Enarratio XLVIII.

PAratur hodie in officinis, oleum melinum, id est ex citoniis, non illa tamen arte qua prisci vsi sunt, sed hac potius sequenti. R. citoniorum incisorum cum cortice non exactè ad maturitatẽ venientiũ, succi eorum añ. libram vnam, olei omphacini libras duas, omnia in vas vitreum mittantur, & quindecim diebus soli exponantur, deinde verò in balneo Mariæ coquantur per sex horas, postea verò permutentur citonia, & coque, prout primo feciſti, bis vel ter: quousque oleum purũ maneat. Est enim oleum hoc mirum cõtra stomachi debilitatem, nam vomitum & ventris fluxum arcet, sistit sudorem, corroborat neruos, concoctricem virtutem viuificat, & appetentiam incitat.

DE OLEO OENANTHINO.

Græcè οἰνανθίνον: *Latinè oleum œnanthinum*, *Oleum ex flore labruscæ*: *Hispanicè*, *Olio de flor de vid montisina*, *azeite de flor de vuas labruscas*: *Italicè*, *oglio de i fiori de la lambrusca*.

Ampellos agria duplex,

Enarratio XLIX.

AMpelos Agria, dupliciter à Dioscoride describitur, vno modo folio hortensis solani, quarto libro, quæ

& si

& si vitis syluestris dicatur, herba tamẽ est: dicitur tamen vitis, ob fructum quem emittit racemosum. Alio vero modo lib. v. de cuius floribus oleum ad præsens paratur. Dicuntur verò flores labruscæ, ἐνάνθη, qui in officinis quotannis seruantur, & in multis adhibentur compositionibus, ex quibus oleũ hoc facile parari posset, nec alio modo quàm à Dioscoride edocto: An verò œnanthe, filipendula herba sit, vt Brunfelsius dixit, suo dicemus loco.

Flores labruscæ œnanthe est.

DE OLEO FOENIGRAECI.

Græcè, τήλινον: Latinè, telinum, oleum fœnigræci Hispanicè, Olio de alholuas, de alfornas: Italicè Oglio del fien Græco.

Enarratio I.

OLeum è fœno Græco non habetur in officinis: Author tamen maioris luminaris ex mente Rasis illud parat, in quo vncias octo elaterij miscet, quanquã in aliquibus exemplaribus non vncias sed libras falso tamen legimus.

DE OLEO SAMPSVCHINO.

Græcè, σαμψύχινον: Latinè, Oleum sampsuchinum, Oleum ex sampsucho, Oleum ex amaraco: Hispanicè, Olio de almoradux, azeite de axedrea: Lusitanicè azeite de manyarona: Italicè Oglio di persa, Oglio de maiorana.

Enarratio II.

ET si apud Theophrastũ, & Plinium, nonnullosq; alios celebres viros, sampsuchus, eadem cum amaraco siue maiorana herba sit: apud Dioscoridẽ tamen & Galenum, ac Paulum Aeginetam, multum inter se differunt; quum sampsuchus maiorana herba, hodie in fictilibus, & vasculis reposita ad fenestras, pro delitiis habita sit: Amaracus verò parthenium est, quæ an matricaria officinarum sit, tertio dicemus libro: Hanc verò animaduertens inter vtranq; differentiã Galenus ac Paulus, diuersa capita, tanquam de rebus diuersis fecerunt, videlicet, de sampsucho

Sampsuchus amaracus. Maiorana apud. Plin. idem.

& amaraco,quam prius noſcens Dioſcorides vigilantiſ-
Amaracus Galeni & Pauli. apud Dioſcoridē parthenium eſt.
ſimus,oleum ſampſuchinū, ab oleo amaracino, tanquam rem diuerſam diſtinxit:vt cap.60. videre eſt:nam amaracus Galeni & Pauli,proculdubio apud Dioſcoridem parthenium eſt,vt 3. lib.facile quis comprehendere poterit, quum ibi parthenium amaracū eſſe dicat. Qui verò amaracum Galeni & Pauli, marum Dioſcoridis eſſe opinantur,miro modo cæcutiunt,quum & ſi verū ſit,quòd Galenus & Paulus,in libris de Facultat. ſimpl.medic.de maro nullam faciant mentionem,non proinde amaracum illorum,Dioſcoridis marum,ob nominum vicinitatem eſſe, dicere debent:& eo magis,quia Galenus libris de Antidotis & amaraci, & mari, tanquam rerum diuerſarum meminit.quare Mathiolus Senenſis ſi hæc animaduertiſſet,
Mathiolus
non ſic facile ceſpitaſſet, nec hæc ſic confuſa reliquiſſet.ſi quis verò locum Galeni legere cupiuerit,legat primo lib. de Antidotis in enarratione antidoti hedychroi, quæ verba hic conſulto prætermittimus:Nam tertio libro capite de maro ea ſubſcribemus.

DE OLEO OCIMINO.

Ociminum *Græcè, ὠκίμινον: Latinè, ociminum: Hiſpanicè, Olio de aluahaqua, de alfauaqua: Italicè Olio de baſilico herba.*

Enarratio LII.

OCiminum Oleum,ab ocimo ſiue baſilico dicta herba olim conficiebatur,nunc vero in vſu non eſt.

DE ABROTONINO OLEO.

Græcè,ἀβροτόνινον Latinè,abrotoninum Oleū: Hiſpanicè,Olio de hierua lombriguera,azeite de abrotano: Italicè Oglio dell'Abrotano.

Enarratio LIII.

Abrotonitum.
ABrotoninum oleum priuatim ab aliquibus paratur contra ventris lumbricos: qua de cauſa abrotanum apud Hiſpanos herba lumbricorum appellatur.

DE

DE OLEO ANETHINO.

Græcè, ἀνήθινον: Latinè, anethinum Oleum: Hispanicè, azeite de eneldo, azeite de endros: Italicè Oglio dell' anetho, Germanicè, Dillenœl.

Enarratio LIIII.

OFficinis frequens habetur oleũ anethi, cuius vsus continuus ad sedandos dolores est: aperit namque poros, rare facit apostemata, curat tumores & scirrhos resoluit, mitigat quoque febrium rigores, & sudorẽ euocat, in clysteriis quoque contra colicas affectiones, tanquam ventositatis carminatiuum vtiliter adhibetur, est enim primo ordine calidum.

Oleum Anethinũ primo ordine calidum.

DE OLEO LILINO.

Græcè, Σόσινον, ἢ κρίνινον: Latinè, Susinum oleũ, oleum lilinum, oleum lirinum, oleum liliorum alborum: Hispanicè, olio de acucenas, olio de lirio blanquo: Italicè, oglio de giglio bianco: Germanicè, Vveiss Gilgen œl, *Gallicè, huyle de lis.*

Enarratio LV.

OLeum Lilinum, id est ex lilio albo paratum, eo quotidie vtimur præcipuè contra mulierum ægritudines, sedat enim frigidos pectoris dolores, renum & matricis, curat colicos dolores à frigiditate ortos: Maturatiuum est, & resolutiuum: ac inde calidum. Habetur verò simplex, & compositum, simplex ex Oleo & liliorum alborum floribus cõcinnatum: Compositum verò, prout Dioscorides imperat.

Oleum lilinum.

DE OLEO NARCISSINO.

Græcè, ναρκίσσινον: Latinè oleum narcissinum, oleum ex narcisso: Hispanicè olio de narcisso frol: Italicè, oglio de narcisso.

Enarratio LVI.

EX floribus narcisi Oleum narcisinum conficitur, est enim narcissus lilij quoddam genus, nonnunquam flores purpureos habens, aliquando verò virides, quandoque

Narcissus varius.

doq; verò albos, vt in Italiæ hortis frequentissime cernitur, qua de causa facillime oleum parari poterit: quanquam Plinius libro decimotertio capite primo, dicat suo tempore illius componendi vsum perditum fuisse ac omissum.

DE OLEO CROCINO.

Græcè, κρόκινον: Latinè Oleum crocinum: Hispanicè, Olio de acafran: Italicè, Oglio de Zaffarano.

Enarratio. LVII.

Oleum Crocinum, ex Croco facile parari potest.

DE OLEO LIGVSTRINO.

Græcè, κύπρινον: Latinè, Oleum Cyprinum, Oleum liguſtrinum, Oleum de alcana: Hispanicè, Olio de alhena, de alfena: Italicè, Oglio de guistrico, Oglio de oliueto, Oglio de chanbrosſene, de caprarodano.

Enarratio LVIII.

Oleum de Alkana.

OLeum Cyprinum siue liguſtrinum dictum, Mauritanorum oleum de Alkana est, quod in nonnullis Hispaniæ officinis paratum reperitur: eo verò Mauritani præcipuè pro tingendis crinibus, & caudis equorũ vtuntur.

DE OLEO IRINO.

Græcè, ἴρινον: Latinè, irinum Oleum, Oleum è radice iridis: Hispanicè, Olio de lirio cardeno, Olio de lirio de color de cielo: Italicè, Oglio de giglio celeste.

Enarratio LIX.

Oleum irinum.

QVanquam in præsenti Dioscorides subticeat, quam nam Iridis partem pro componendo oleo Irino accipere debeamus, facile tamen quis intelligere poterit, quum nouerit ille radicem huius herbæ partem præcipuam esse, vt pote odoram: flores verò vt grauiter olentes dimittendi sunt: itaq; radix tantum pro Irino hoc conficiendo oleo accipi debet: cæterum Oleum hoc in maximo medendi vsu est, quod resoluit, attenuat, maturat, facilitat sputum & anhelitum, sedat tussim, & frigidos

dolor

dolores epatis, splenis, & maximè matricis curat, resoluit dura apostemata, emollit durities, confert spasmo, iuncturarum dolori, ac aurium, & narium fœtori, vnicè autem escaras relictas à candente ferramento delet, quod vnum chirurgicis notum esse vellem. Est præterea Elis ciuitas & regio Achaiæ, vt Ptolemæo placet, non verò Arcadiæ, vt multi falso rentur.

Elis ciuitas Achaiæ

DE GLEVCINO.

Græcè, γλεύκινον: Latinè, gleucinum, mustum.

Enarratio LX.

Sic hoc modo Oleum siue vnguentum hoc confectum, simplex Dioscorides appellat, ad differentiam compositi, quod Columella capite quinquagesimo libri decimi tertij describit, in quo multa & præclara aromata, simpliciaq; odorifera sunt. Vnde illud quoq; non nisi calfaciendi vires possidere credendum est, quod propter Plinium dictum vellem, qui libr. xiij. cap. 4. aperte inquit, gleucinum infrigidandi & constringendi vires habere, vnde credendum est, vel quòd Plinius longe aliam descriptionem huius olei nouerit, ab ea quam Columella describit, & Dioscorides in præsenti docet, vel potiùs quòd in eius signanda natura omnino errauerit, quod sanè verisimilius videtur, quum capite 7. libr. xv. ferè cum Dioscoride loquitur dicens, gleucino mustum incoquitur, vapore lento, ab aliis sine igne, circundatis vinaceis diebus viginti duobus, bis singulis permixtum, quæ proculdubio eadem cum Dioscoride in præsenti videntur, vt omnino iudicare sit Plinium in describēda gleucini temperatura errasse, quum calfaciendi vires possideat, non verò (vt ille inquit) infrigidandi constringendiq;. Attamen neglectum minimeq; in vsu hoc Oleum est.

Plinius errat.

Gleucinum calfacit.

DE AMARACINO.

Græcè, ἀμαράκινον: Latinè, amaracinum oleum: Hispanicè, olio de magarca: Italicè, oglio de bruzaculo.

Enarratio LXI.

Parthenium amaracus est apud Dioscor.

AMaracinum Oleum, non quidem ex Sampsuco maiorana vt diximus cõficitur, sed ex parthenio potiùs herba. Est enim parthenium vt libro tertio videre est, non quidem matricaria: sed potius herba quædam camomillæ persimilis horridi & tetri odoris, ob quem cotulæ fœtidæ nomen meruit.

Cotula fœtida parthenium est.

DE MEGALIO.

Græcè, μεγαλεῖον: Latinè, megalinum oleum.

Enarratio. LXII.

MEgalinum Oleum exoletum nunc, sicut etiã Dioscoridis tempore est.

DE HEDYCHROO.

Græcè, ἡδύχροον: Latinè, hedychroum.

Enarratio LXIII.

Hedychroi cõpositio.

HEdychroum, vel hedychrum, à coloris hilaritate dictum, idem cum amaracino, vt testatur Hermolaus Barbarus, esse videtur, nisi quòd nomen hoc propriè habet in eo, vbi præstantissimum olim præparabatur. Galen. lib. j. de Antidotis, hedychroi compositionem vel potius pastillos describit, theriacam adornans, vnde Medicus sui temporis Romę ex illis, qui antidotum theriaces præparare non viderunt, ex scriptura confectionem eius aggredi ausus, quærebat apud vnguentarios hedychroon: putans, herbã esse, aut aliquod tale simplex medicamentum, quod hodie quoque multis simile euenire vidimus, & audimus: compositio verò hedychroi à Galeno ibidem inscripta ita habet.

Hedychroi vult magna, mari binas sibi drachmas,
Aequales & amaraci habens, asari: aspalathiq;.
Et iunci teretis, calami qui suauis odore est,
Phu ponti, ligni & succi, quem balsamon edit,
Tres sunto drachmæ: totidem costi cinnamomi,
Myrrhæ sex alias misces, soly malabathri,
Indorum nardi, stauiq; croci insuper aquas,
Quin etiam cassiæ totidem, sed pondus amomi

Sume

Sume duplum, drachmam Chiæ sed mastichæ habebit,
Hæc etenim debent conspergi cuncta salerno.

Hanc vero compositionem Arabes, andacaron corrupta voce appellant: alij vero diacoralium, cuius vt nomen, ita quoque medicamenta & eorum pondera peruertunt. Quibus de causis, ab illis theriaca falsa, & omnino corrupta parabatur.

DE METOPIO.

Græcè, μετώπιον: Latinè, metopium.

Enarratio LXIIII.

Metopium Galbani lignum est.

METopium à galbani ligno denominationem sibi vendicat, quod lignum metopium dicitur, ex eo chalbanum siue galbanum desudat, gummi hodie myropolis frequens, vnguentum vero paratum non habetur.

DE MENDESII COMPOSITIONE.

Enarratio LXV.

MEndesij compositio, ea in regione Aegypti vbi Mendes, id est caper colitur, præparatur.

DE STACTE.

Græcè, στακτὴ: Latinè, stacte, gutta, pinguissimus flos myrrhæ: Hispanicè, storaque liquida: Italicè, storace liquida.

Enarratio LXVI.

Stacte storax liquida est.

STacte pinguedo recentis myrrhæ tusæ, exiguaque aqua contusæ, & postea prælo expressa est, quæ hodie omnium votis Serapionem imitantium storax liquida est, Qua odoratissima pretiosissimaq; ad paranda pomata odorifera & suffitus, vnguentarij passim vtuntur: apud verò Psalmistam, vt multi putant, psalmo 44. gutta, siue lachrima nominatur, quum legitur: propterea vnxit te deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ cõsortibus tuis, myrrha & gutta & casia. Ac reuera textus Dauidicus non ita habet, vt Hebraica veritas indicat, quæ sic habet.

Textus Dauidicus emẽdatur.

Quæ ita ad verbum Munsterus Germanus, vir hac nostra ætate doctissimus, & linguarum multarum peritissimus vertit psalmo 45. sponsis dicato, dicens: dilexisti iustitiam & odisti impietatem, propterea vnxit te deus, deus tuus, oleo lætitiæ, præ consortibus. Myrrham, Aloen, & keiam (redolent) omnia vestimenta tua: hactenus Munsteri interpretatio. In qua mea sententia optime verbum (redolent) suplet, & ex ea satis constat, quàm inepte personatus ille & nō verè Hieronymus, quisq; ille fuerit, aut tam pro ahalod, interpretatus fuerit, quum vox ipsa clamet ahalod agallochum Græcorum esse, Romanorum verò lignum aloes: vnde Munsterus emendandus à me quoq; venit, quum verbum aholod, aloen verterit, cùm re vera lignum aloes, & non aloen dicere debuisset, nam aloe siue eius herbæ est, quem Hebræi sua voce Aloe appellant, ahaloth verò lignū Aloes est, quamobrem Munsterus rectiùs sic interpretaretur, dicēdo, Myrrham, lignum aloes, & keizam (redolent) omnia vestimenta tua: sed quid per keizam intelligere debeamus, quia Munsterus vocem istam inconuersam relinquit, dicamus, quòd multi Rabinorum locū istum enarrantium, per keziod, siue keizam, costum intelligunt, sed revera non sine ingenti, ne dicam pudendo errore, quum costus apud Hebræos kerah dicatur. Est igitur keziod, casia, quæ à cinnamomo vt diximus differt, in quam sententiam vox ipsa Hebraica legentem trahit, quum casia à caziod deriuata fuit, adeovt loco keziam, casiam interpretari liceat.

Munsterus Germanus errat.

אהלות

קדה

DE CINNAMOMINO.

Græcè, κιννα μώμινον: *Latinè*, *Oleum de cinnamomo*: *Hispanicè*, *azeite de canella*: *Italicè*, *oglio de cinnamomo.* Enarratio LXVII.

Cinnamomum vnguentum.

VNguentum Cinnamominū, olim ad prodigium vsq; in pretio habitū nunc verò optimū parari poterit, quia

quia cinnamomi veri copia nobis maximè suppetit.

DE NARDINO.

Græcè, νάρδινον, Latinè, Nardinum vel spicatum.

Enarratio LXVIII.

NArdinum siue spicatum Oleum aut vnguentum, olim fœminis Romanis, & præcipuè diuitibus familiare, nunc vero in officinis, nardinum dictum oleum paratur, an verum dubito: fieri tamen verum potest, quia spica nardi vera abundamus, vt suo proprio diximus capite.

Vera spica nardi abũ damus.

DE MALABATHRINO.

Græcè, μαλαβάθρινον, Latinè foliatum.

Enarratio LXIX.

Μαλαβάθρινον, siue foliatum oleum, sic dictum quia ex Malabathro, ceu malabethro, folio Indico, dicto, concinnetur, exoletum est: In India tamen Lusitani facillime illud conficere possent, & ad nos mittere, quia malabathro frequentissimè vtuntur, bethrum appellantes, nomine antiquissimo patrio hucusque reseruato, vt suo diximus capite. At verum malabathrum hodie nos habere, ex India delatum, verum est.

Verũ malabathrũ habemus.

DE IASMINO.

Græcè, ἰάσμινον: Latinè, Iasminum, Oleum sambacinum, cloum de zambac: Hispanicè, azeite de yasmin: Italicè, oglio de gelsomino.

Enarratio LXX.

FAma tantum & aliorum relatione iasminum cognouit Dioscorides vt quisquis mediocriter eruditus, illius verba pœnitius animaduertens, inueniet. Quum in Persida redolentes flores, Persica voce, Iasme, vel Iosme, quasi odorariam violam dicas, nominatos, reperiri dicat: ex quibus vnguentum suauissimum cõcinnabatur, Iasminum dictum, quo Persæ fœtorem animæ & corporis, multitudine ciborum & ebrietate natum, summouebant. Si enim frutex illi obuius aut cognitus fuisset, proculdubio non silentio eum præteriret, Sed vt sui est moris, deliniaret: at quum tantum aliorum relatione acceperit,

apud

apud Persas ex flore Ioſmin nominato. Vnguentum quo virus & fœtor, ob nimia & varia cibaria contractus depellitur, præparabatur, factum eſt, de eo vt per tranſennam tantum ſermonem fecerit. Eſt verò Iaſmin, frutex hortis familiariſsimus, qui non ita pridem è Perſide in Europam tranſportatus fuit. Attollitur enim procero ſambuci caudice: ſed inde viticoſos, frequentes, & prælongos emittit ramulos, topiario operi maximè deſeruientes, adeo vt hodie pro cooperiendis topiariis hortorum fornicibus, & teſtudinatis turriculis, aut concameratis ſinubus, ea maximè vtantur. Ineſt enim illi folium anguſtum, in obtuſum mucronem turbinatum, ex viridi nigricans, flos candidus maximę ſuauitatis & fragrantiæ, quamobrem & prçcipuæ commendationis, quamuis & luteus hic Ferrariæ, imò per vniuerſam Italiam hodie in hortis, pro delitiis, non minoris odoris habeatur: in Babylonico quoq; agro, & cærulei coloris, vt multi tradunt frequens reperitur. Vocant enim Mauritaniæ claſsis medici, Iaſminum Zambachum, & eius Oleum Zambachinum, quod calfaciendi reſiccandiq́ue vires habet, præcipuè quod ex albo præparatur. At Serapio capite de Zambach, ex mente Meſue calidum in principio ſecundi gradus eſſe inquit, conferreq; humiditatibus, & phlegmati ſalſo, & ſenibus, ac doloribus à pituita ortis affirmat. Si quis tamen bilioſus, calidam temperaturam habens, hos flores plus iuſtò olfecerit, verendum, ne in ſanguinis fluorem è naribus incurrat. Verùm qui Iaſminum leucanthemum eſſe contendunt miro modo cæcutiunt, veluti illi qui pelicenum apud Plinium eſſe augurabãtur. Ex dictis igitur ſatis liquet, violaceũ Oleum, longè aliud eſſe, ab hoc Iaſminino dicto, ac inde Mathiolum Senenſem perperam in hac re ſenſiſſe. Porrò Pandectarius, ne ab iſta chorea eliminetur, per Iaſeminum, roſam moſchatam Damaſcenam dictam intelligi, prope finem ſuarum pandectarum vult, cuius opinionem Ioan. Sinapius Germanus vir varia eruditione præditus, tanquam veram, quum mecum de hac re diſſereret, affirmabat.

Iaſmin quid.

Iaſmin frutex, & luteos flores producit.

Mathiolus

DE MYRRHA.

Græcè, σμύρνα: Latinè, Myrrha, Arabicè, ler, mur,

mur, & mor: gallicè, Myrrhe: Hiſpanicè, Myra: Germanicè Mirrhen.

SECVNDA MYRRHA, CAVCALIS.

Caucalis, Myrrha vulgaris, officinarum myrrha.

TERTIA MYRRHA MINEA.

Minea Myrrha, gummi mineum: Hiſpanicè, anime negro.

Enarratio LXXI.

Arbor Myrrha qualis.

DIminutam hic derelinquit hiſtoriam Dioſcorides arboris ferentis myrrham, quam Plinius capite 15. libri duodecimi compleuit, dicens: Eſt arbori, altitudo ad quinq; cubita, nec ſine ſpina, caudice duro & intorto, craſsiore quàm thuris, & ab radice etiam quàm reliqua ſui parte, Corticem leuem ſimilemq; vnedoni, ſcabrum alij ſpinoſumque dixere, folium oliuæ, verum criſpius & aculeatum, Hæc Plinius. Defluit igitur lachryma ex hac arbore inciſa, quæ myrrha dicitur. Aliquando tamen in trunco ipſius arboris, lachryma ipſa cõcreſcit. Quę omnibus præſtantior eſt troglodytica, hodie apud Luſitanos ſimul & reliquos Hiſpanos, in officinis, ſub nomine belzuini amygdalini, reperta lachryma leuis ſubnigra vndiq; ſibi concolor, fragilis, quæ confracta, album quid vngues humanos, vel amygdalas dealbatas referẽs, oſtendit: vnde Luſitani, qui ex India eam adferunt, belzuinum amygdalinum vocant, vt inter eam, & alteram nigram, proprie belzuinum bonum, ſiue vt illi dicunt, à boninas, differentiam ponant, de quo capite de laſerpitio ſermo agitur. Verùm ineſt huic de qua agimus lachryma, myrrha troglodytica dicta, quam Hiſpani belzuinum amygdalinum vt dixi vocant, ſapor amarus, odor vero bonus, ſed ita acer & vehemens ac intenſus, vt omnes aſsiſtentes, quum ex ea ſuffitiones fiunt, in ſternutamenta prorumpant, qua de cauſa, indies magis ab Hiſpanis deſpicitur, delicatioribus odoramentis abundantes. Hunc odorem conſiderans Dioſcorides grauem odorem myrrham habere dixit; Galenus verò libro primo de Antidotis,

Optima Myrrha belzuinũ amygdalinum eſt.

Belzuinũ à boninas.

tis, eam gratiſsimi odoris eſſe tradit, quem ita eſſe deprehendimus intenſiorem tamen, ſed animaduertendum, quòd Galenus ibidem à Dioſcoride diſcrepat, quia mirrham Mineam, à regione in qua naſcitur, ſic dictam, præſtantiſsimam facit, quam tamen Dioſcorides, vt improbam & cæteris myrrhæ ſpeciebus peiorē derelinquit. Hanc vero lachrymam belzuinum amygdalinū dictum, raro aut nunquam Italia vidit, qua de cauſa non mirum eſt, ſi Manardus vir diligentiſsimus lib. vj. ſuarum epiſtolarum dixerit, nō ſolum optima, ſed etiam bona myrrha caremus: ex hac vero myrrhæ ſpecie ſtacte præcipuè conficitur, deſtillatur cum colore tum odore & ſapore illi maxime conueniens. Cæterum vulgata & communis myrrha, Dioſcoridis caucalis eſt, arida, colore nigro, & velut ab igne torrida, quæ ex India quoq; præcipuè inſula Farico dicta ad nos adfertur. Hanc vero falſo nonnulli bdellium apud Dioſcoridem eſſe contendunt: Non hic tamen præteribo, quin admoneam id quod Gal. lib. j. de Antidotis ſcriptum reliquit: ſcilicet quòd ſuo tempore myrrha adulterabatur ſucco arboris calpaſi dictæ, vnde ſuccus iſte opocalpaſus dicitur, omnino venenoſus, & vitæ humanæ aduerſus, vt hac ſua hiſtoria indicat ſic dicēs; At opocalpaſon lethale eſt, multoſq; forte fortuna noſtris temporibus propter inſcitiam myrrhæ, quæ opocalpaſon habebat interiiſſe nouimus, &c. Quæ vero hæc arbor calpaſon dicta ſit, aut eius ſuccus, nō opus eſt ſcire, quum venenoſa, & humano generi inimica ſit: Plinius verò eam opocarpathum appellat. Myrrha vero Minea, vel Aminea dicta, hodie quoq; in Luſitania, & vniuerſa Hiſpania paucis mutatis literis habetur, vt capite de cancamo diximus, gummi ſcilicet aniimum appellantes, cuius duo genera habentur, album & nigrum: Nam album cancamum eſſe, ex Briſoto didicimus: nigrum vero, Minea hæc Dioſcoridis myrrha eſt, quæ ex proceris arboribus decidit, nullo cogente artifice, aut vulnere in arbore facto. An vero Minea hæc regio, Mina hodie dicta regi Luſitaniæ parens, ſit, coſmographis inquirendum relinquo. Scio enim in hac regione aniimum optimum quoq; reperiri, à qua quotannis Luſitani noſtri, in Portugalliam adferunt. Galenus vero, Minæam vt diximus myrrham,

Cōciliatio inter Galenū et Dioſcoridem.

Myrrham verā Italia rarò vidit.

Communis myrrha caucalis Dioſcoridis eſt.

Opocalpaſon Plinius opocarpathū appellat.

Aniimum duplex, album & nigrum.

inte

inter cæteras ſpecies præcipuam collocauit, qua de cauſa, in illo textu libri de Antidotis, aut in hoc Dioſcoridis mendam eſſe ſuſpicor quum Dioſcoridi ex diametro contradicat, calidum enim hoc gummi eſt, odoriferum, ſuffitionibus adaptatum: quo capitis præcipuè dolores frigidi propulſantur.

Bœotica vero myrrha, voce tantum nobis nota eſt: ne tandem ordinem prętermittamus Gal. de myrrhę viribus & dotibus, ita proſequitur, lib. 8. de Fac. ſimpl. medicam. dicens: ſmyrna ſecundi eſt ordinis calfacientium & exiccantium, vnde capitis vulnera glutinat, ineſt illi amaritudo non exigua, qua fœtum & lumbricos enecat, eiicitq;: Habet etiam & abſtergendi vim moderatam, quare ocularibus miſcetur medicamentis, & iis quę ad veterem tuſſim atque anhelationem adminiſtrantur, myrrha verò Bœotica, vim habet calfaciendi, fundendi, & emolliendi.

Bœotica myrrha.

Myrrha calida & ſicca eſt in ſecundo ordine.

DE STYRACE.

Græcè, Στύραξ: Latinè, ſtyrax, ſtorax calamita: Hiſpanicè, ſtoraque: Italicè, ſtorace, ſtorace calamita. Arabicè, Miha, Meha, Mehaha, et Aſtarach.

Enarratio LXXII.

STyrax, communiter in officinis ſtorax calamita dicitur, cui calamitę inditum cognomen eſt, ex Galeno libro de Antidotis, vbi examinans ille ſimplicia theriacam adornantia, ſtyracem è Pamphilia in calamis aduectum, tanquam meliorem laudat, vnde calamita dictus eſt, quo fit vt medici noſtri temporis, quum Styracem bonum in compoſitionibus iniiciendum cupiunt, ſtyracem calamitam deſcribant, nec ſane immerito, quum eo loco Galenus, ſtyracem iſtum calamitam, cæteros ſtyraces ita ſuperare viribus tradat, ac vinum optimum falernum cætera vilia vina in tabernis proſtantia ſuperat: ita enim Galenus, ne eius deſideres verba, inquit: ſtyracem conſtat iniiciendum eſſe, qui in arundinibus ex Pamphilia affertur, quique pauciſsimis gignitur, & tanto diſcrimine, à copioſo hoc ſtyrace euariat, quāto falernum vinum ab eo quod in tabernis venundatur: attamen ex ipſius genere capere oportet, pallidiſsimum: conſtat autem & odore hunc eſſe

Styrax unde calamita dictus.

Stirax calamita optimus eſt.

valentissimum, & gustu nihilo minus. hactenus Galeni verba: ob quæ Manardus Ferrariensis credidit textum istum Dioscoridis, mutilum esse, & vice catabalites, legendum esse, calamites: qui mea sententia, fallitur, quum Gabalites vt Marcellus optimè interpretatus est, ad Plinij mentem legi debeat, non vero catabalites, vel calamites: sic enim Plinius lib. 12. cap. 25. inquit: Proxima Iudææ, Syria supra Phœnicem styracem gignit, circa Gabala, & Maratuca, & Casium Seleucium montem, verbum enim illud gabala nobis annotandum venit, vnde Gabalites merito apud Dioscoridem legitur, in quam quoq; lectionem eunt viri multiplici eruditione præditi, Hermolaus Barbarus, & Ruellius Gallus. At Plinius, eodem quoque loco præter styracem ante laudatum, illum quoque optimum facit, qui ex Pisidia, Sidone & Cypro affertur: nam Cretésem vt improbum dimittit, Imò rationem reddit, cur styrax fere continuo purulentus reperiatur: quia (vt ait) in eo pennati vermiculi circa Canis ortum aduolant, & illum rodentes, in scobem vertunt. adulteratur verò styrax, cedri resina, gummi Arabico, melle & amygdalis amaris: at nostris temporibus, syncerus, purus, ex Zana apud Indos insula, styrax portatur, qui inter suauissima ac pretiosissima odoramenta habetur.

Manardus Ferrariensis fallitur.

Stirax cur purulétus reperiatur

Stirax optimus ex Zana Indiæ insula portatur.

DE BDELLIO.

Græcè, βδέλλιον: Latinè, bdellium: Arabicè, Molochil, Molochal, Mochol, & Mochel.

Enarratio LXIII.

BDellium gummi officinis triuiale est, quo maxime pro laxandis atque emolliendis tumoribus vtimur, rarò tamen bonum & sincerum quale à Dioscoride describitur, habetur: scilicet, pingue, amarum, translucidum, taurino glutini simile, & nescio quid album, vngui humano persimile habens, quod quum incenditur odorem ex se mittit, falso enim opinantur, qui vulgatam myrrham, Dioscoridis bdellium esse dixerunt, quum multum inter se dubio procul differant, si quis vero bono caruerit bdellio, Galeni cõsilio in suis Succedaneis, eius loco arborum muscho vtatur. Cæterum, bdellium hodie nõ Scythicum, aut

Bdellium optimum.

Myrrha vulgaris nõ est bdellium.

Muschus arborũ pro bdellio.

aut Arabicum myropolæ appellant, sed Iudaicum potius, sub cuius nomine Serapio libro suorū simplicium, de eo mentionem facit, eadem illi tribuendo, quæ Dioscorides huic suo tribuit, vnde bdellium Iudaicū Serapionis idem cum bdellio Dioscoridis esse, certum est. Aliud vero bdellium Serapio describit, quod ex Mecha bdellium appellat, nasciq; in quibusdam cubitalibus palmis, ciphilionibus dictis, tradit, quas Hispani pro victus vsu habēt, easq; sua voce palmites, siue palmitos, vocant. De quibus capite de palmis multa dicemus. Galenus vero bdellij facultates describens, ita inquit, lib. 6. de Facult. simpl. medic. bdellium quod Scythicū nominant, estq; aerius & resinosius, emollientis admodum & efficacis virtutis est. Arabicum autem quod splendidius est, magis quam emollientia exiccat, videturq; in potu sumptum calculos renum frangere, tum vrinas ciere, & crudorum flatuum discursus, præterea laterum dolores, rupturasque sanare.

Bdellium. Iudaicū verum bdellium est.

Bdellium exciphilionibus.

Bdellij tēperatura.

DE THVRE.

Græcè, λίβανος: Latinè, Thus: Arabicè, Ronder, Conder, vel Cateth: Hispanicè, enciēso: Gallicè, encens, Italicè, incenso, Teuthonicè, Vveirauch.

Enarratio LXXIIII.

THus officinis notissimum, cuius duo præcipua genera nominantur, masculum & fœmina: est enim masculum quod sic à specie testium vocant, mammosum cum hærente lachryma priore consequuta. Deprehenditur autem verum thus, quia facile accenditur ad ignem, nec ex eo cinis relinquitur aliquis: olim ex Arabia præcipue aduehebatur, nunc vero ex regione Seyr apud Indos cognominata ad nos portatur. Est verò maximus eius vsus in lustrandis mortuorum cadaueribus, & mirum dictu, vt hic mos per omnes ætates, inter omnes ferè gentes & religiones inoleuerit. Sed magna inter authores disputatio est, qualis thurifera hæc arbor sit, nec adhuc, quod scio inter illos est decisum, quare hac in parte lectorem ad Theophrastum amandabimus, & eius interpretem Plinium, illum cap. 4. lib. ix. hunc vero cap. 13.

Thus duo genera.

Thuris vsus.

lib. xij. in quo, vt obiter hoc admoneamus, legi debet CCC. non vero. MMM. De thuris vero viribus, ex Galeno, sequenti capite legito.

DE THVRIS CORTICE.

Græcè, φλοιὸς λιβάνε: Latinè, cortex thuris.

Enarratio LXXV.

COrtex thuris, siue corticosum thus, lachryma thuris crustæ coniuncta dicitur, quæ constringendi ac exiccandi vires potentiores, quàm thus habet, vnde Marcellum Virgilium in hac re non rectè sensisse dicendum est, quum dicat, quod in cortice thuris laudatur, thus est. De thure verò, ac eius cortice, ita Galenus libro septimo huic negocio dicato, tradit, dicens: libanotus, excalfacit secundo ordine, deficcat primo, habet quoque astrictionem pusillam, cortex eius euidenter astringit, desiccatq; in secundo ordine, est autem crassiorum partium quàm thus, & minimum acrimoniæ possidet, quare in hæmoptoicis, stomachicis, cœliacis, & dysentericis eo vtimur: Ramus eius, siccioris & calidioris est facultatis quàm ipsum thus, adeo vt ad tertium vsque excessum perueniat: habet vero etiam & absterforium quiddam, vnde expurgare & implere oculorum vlcera potest.

Thus calfacit secundo ordine, desiccat primo.

DE MANNA THVRIS.

Græcè, μάννα λιβάνε: Latinè, Manna thuris, offic. olibanum.

Enarratio LXXVI.

MAnna thuris, officinarum olibanum est, non verò Arabum manna. Quum huic laxandi, atque subducendi aluum vis inhæreat: illi vero adstringendi potius: Vnde Serapio hæc non animaduertens, vtranque ineptè admodum confundit. De hac verò Græcorum manna, Galenus libro tertiodecimo Methodi medendi ita disserit: Manna (inquiens) est purgamentum thuris, leui astrictione prædita, atque hoc etiam nomine thure ipso ad nonulla vtilior. Thus enim puris tantum mouendi facultatem obtinet vtpote nullã astringendi vim habens, magisque

Olibanum officinarũ est Græcorum manna.

Serapio cõfundit græcorũ mannã cũ manna Arabũ.

COIMBRA

gisque id facit, quod pinguius ex eo est, & magis albicans, sicuti etiam quod flauum ex eo magis est validius siccat: Mannæ verò etiam corticis thuris paululum est admixtum, vnde scilicet adstringendi vim habet, ipse verò cortex thuris, tum adstringit, tum exiccat insigniter: Itaque ad moderatiores sanguinis profusiones eo vtimur solo, sicut etiam ad validiores solo vsto, sed tunc cribrato, & in molliſsimum puluerem redacto. Item lib. v. eiusdem voluminis, inquit, est autē manna medicamentum quod magis quàm thus astringit. Qua de causa non immerito Galenus per totam eius doctrinā, eo præcipuè in libro, cui titulum de compositio. medicament. κατὰ γένη esse voluit, ab initio libri, vsque ad calcem tanquam constringente medicamento, in omnibus suis adstrictoriis medicamentis & compositionibus vtitur, velut cæteri Græci, & Latiniores homines, inter quos Paulum est videre, Aëtium, Oribasium, Alexandrum Trallianum, & ante hos, magnum illum & admirādum Hippocratem: ex Romanis vero, Cornelium Celsum, Quintum Serenum, vtrunq; Plinium, quibus & Scribonium Largum adiungere est. Ex iis enim Plinius vir grauiſsimus cap. 14. lib. xij. quo de thuris generibus agit, inquit. Micas concussu elisas mannam vocamus. Quibus omnibus satis manifestum est, mannam hanc Græcorum, prout Dioscorides in præsenti loco testatur, adstringēdi vires habere, non verò laxandi: At quum in hac re perplexior est controuersia, quàm quæ paucis explicari queat, non absurdum mihi fore videtur, Si Manardi Crinitique verba de hac re hic subscripsero, vt studioſi iuuenes legendo veritatem comprehendant. Hi vero, Manardus atque Petrus Crinitus, quanta olim inter se necessitudine fuerint cōiuncti ipsius Criniti verba testātur. libro de Honesta disciplina. xviij. capite 4. Qui quum Varronis locum fœdiſsimè depraua-tum, ad vxorem Fundaniam scriptum, in priſtinum nitorem reddidisset, nullum alium præter Manardum sibi iudicem requirit, tantum illius hominis eruditioni videlicet tribuens. Antea tamen quàm ad ea subscribenda deueniemus, pauliſper, de Arabum Manna cōsonum erit disserere: Est igitur manna, ros melleus, condensatus, descendens in quibusdam locis, super arbores, vnde

Manardi & Criniti amicitia.

Mānā Arabum quid.

colligitur, pro emolliendis diuitum ventribus accomodatus, ex præcipuis autem vnde cadit locis, Calabria est: vbi præcipue singulis æstatibus descendit, & ab omnibus passim colligitur, trium videlicet generum, vnum suprà folia, quod perfectissimum est, à vulgo dictum manna de folio: Alterum super ramos & caudices arborum cadit, primo deterius, sed crassius & corpulentius: Tertiũ verò super terram, cæteris deterius. Quæ verò manna, super lapides cadit, mea sententia cæteris generibus nobilior censenda est, Dicitur verò Calabrensis manna hæc, mastichina, quæ tanquam præcipua celebratur, & in pretio hodie habetur. Est præterea, alia orientalis, quæ ex monte Libano, & aliis locis Venetias portatur, aliquando granulosa, nonnunquam verò liquida mel referens portatur: primam Arabes mannam absolutè appellant. Secundam verò tertiam dabim. An verò manna hæc priscis nota fuerit, vel de ea sermonem aliquem fecerint, in dubium hodie multi vertunt: cui quæsito facilè respondemus, quòd Galenus libro tertio de Facult. Alimentorum, capite de melle, huius mannæ mentionem fecit, in æstate dicens, super arborum herbarumque folia, mellis quam plurimum repertum fuisse, vt gaudio exultantes rustici cantauerint, Iupiter mel pluit, apud suos rarò id accidere affirmans, secus autem in monte Libano, vbi singulis annis, expansis super terram velleribus, mel à concussis arboribus decidens excipientes, ollas, ac fictilia plena referant, vocantq; illud roscidum mel, vel mel aërium. Sic enim Galenus, vt omnes noscant, loco citato, id est capite 39. inquit: Memini aliquando, quum æstate super arborum ac fruticum herbarumque folia, mel quam plurimum fuisset repertum, agricolas velut ludentes cecinisse, Iupiter melle pluit, & subdit huius rationem reddens, præcesserat autẽ nox, vt per æstatem bene frigida, nam tum tempus anni æstiuum erat, pridieque calida & sicca fuerat aëris temperies, peritis quidem naturæ interpretibus videbatur halitus è terra & aquis, à Solis calore sublatos, ac inde exactè tenuatos ac coctos, à frigore secutæ noctis concretos coaluisse: apud nos verò rarò id accidit: In monte autem Libano quotannis persæpe, itaque coria super terram extendentes, & arbores excutientes, quod ab eis defluit excip

Mãna tria genera.

Manna super lapides cadens melior est.

Gal. mannã nouit.

excipiunt, & ollas ac fictilia melle implent, vocantque id mel roscidum & aërium. Hæc Galenus, in quibus mannam descripsisse satis constat, quam quoque Suidas vir Græcus & doctus syluestre mel è cœlo cadens appellitat. Plinius quoque illius mentionem fecit libro vndecimo, capite duodecimo, dicens: venit hoc ex aëre, & maximè siderum ortu, præcipueque in ipso Syrio splendente fit, nec omnino prius Vergiliarum exortu sublucanis temporibus, itaque cum prima aurora folia arborum melle roscida inueniuntur, at si qui matutino sub diuo fuere, vnctas liquore vestes, capillumq; concretum sentiunt siue ille est cœli sudor, siue quædam syderum saliua, siue purgantis se aëris succus, & cætera. Non minus Pomponius Mela hanc mannam attigisse videtur, in sua Cosmographia, præcipuè in Indiæ descriptione, quum dicat, India tam pinguis alicubi, & tam feracis soli, vt in ea mella frondibus defluant: Nec enim augurari est per hæc mella, aliud intellexisse Pomponium, quàm mannam, mel aërium dictam. Quæ quoque multis in locis hodie super arboribus cadit, vt apud Rhagusium, vnde quoque colligitur, & Venetias & Anconam affertur. Manuel Cirnius vir nobilis & magnificus, qui apud Belgas Lusitanorum regi à negotiis erat, frequenter mihi dicere solebat, Portugallenses rusticos, erat enim ille ex Portu ciuitate oriundus, inuenire solitos super arborum foliis rorem melleum, qui mox in speciem saccari condensaretur: qui quidem ros, quoties (non enim quotannis defluebat) è cœlo descenderet, fertilitatem illius anni insignem prædicebat. Fuit igitur, vt receptui canamus, manna antiquis satis cognita, quam in vsum medicum non traxerunt, quum illius facultates penitus ignoratas habebant: quas Arabes dignoscendas in praxim aduocarunt: & ea de causa Auerrois Cordubensis, videns post Galeni tempora, mannæ in re medica vsum, dixit eam post Galenum inuentam esse. Cæterum manna, vt placet Auicennæ & Mesue, temperata existit, ad caliditatem aliquantulum vergens, Auerrois verò eam calidam & humidam constituit, quæ aluum cit, debiliter tamen per se sola: qua de causa syrupum rosaceum solutiuum, aut tamar Indorum decoctum, cassiamue fistularem, aut rhabar

Suidas.

Plini. mannæ mentionem fecit.

Pomponius Mela.

Manna apud Ragusium inuenitur.

Græci mãnæ vires ignoratas habebant.

Arabes mãnã in vsum traxerunt.

Manna tẽperatura.

Actuarius.

rhabarbarum illi adiungimus. De ea vero & cassia fistulari Actuarius, vir Græcus, inter recentiores connumerandus, ita loquitur. Hæc perquàm moderate purgant, nimirum casia nigra & manna, casia quidem tribus aut quatuor drachmis sumpta, vix moueret aluum: Manna vero etiam maiore modo quàm casia sumenda est, & flauam bilem simplici ratione pellit: Casia vero ipsa flauam bilem, sed magis retorridam, & quæ iam in atram degenerauit, extrahit, quinetiam pituitam educit mediocrem: cæterum præbemus vtranq; quibus potentius medicamen aliud dari non potest, nimirum pueris & fœminis vtero gerentibus, commoditate quadam, & necessitate vrgente repræsentamus, ex iis quibus exuperans febris reliquorum medicaminum vsus respuit. Manardi autem ac Petri Criniti verba consultò prætermittimus, quum ea suis locis lector percurrere poterit: est enim locus apud Petrũ Crinitum, lib. xxv. de Honesta disciplina capite 7. apud Manardum vero, epistola quarta sui voluminis, eidem Crinito dicata.

DE THVRIS FVLIGINE.

Enarratio LXXVII.

Ἀιθάλη λιβάνου, Thuris fuligo est, quæ thure cremato fit, & in officinis non præparatur.

DE PICEA ARBORE.

Græcè πεύκη: *Latinè, picea arbor: Hispanicè, Pino negro arbor: Italicè, pezo: Germanicè,* Fiechten, forhnen. *Arabicè, Artz, vel ars: Germanicè,* Rot. Dannenbaum.

PINVS.

Græcè, πίτυς: *Latinè, Pinus, Pinus hortensis Pinus vrbana, Pinus domestica: Hispanicè, Pino aluar arbor: Italicè Pino, Germanicè,* Zirbelbaum. *Arabicè, Sonobar: Germanicè,* Hartz baum. *Gallicè, Pin.*

Pinaster.

PINASTER.

Pinaſter, Pinus ſylueſtris: Hiſpanicè pino, Pinheiro brauo: Italicè, Pino ſylueſtre: Germanicè, Vvilder zirbelbaum.

Enarratio LXXVIII.

LOngum profecto nec minus difficile eſſet, omnes Pini ſpecies percurrere: illius tamen (Theophraſto authore lib. iij. de Hiſtoria plantarum, cap. 10.) duæ ſunt ſpecies, altera vrbana, altera verò ſylueſtris. Sylueſtris verò in Idæam & maritimam partitur, nam Idæa id eſt, montana, rectior, celſior, materieq; craſsior eſt: Sed maritima folio ornatur tenuiori, imbecilliori, & cortice leuiori, ad coriaq; vtili, in qua nux conſpicitur, rotunda breuiq; dehiſcens, in Idæa verò, tanquam nux ſylueſtrior, oblongior eſt, viridis, minusque hiſcens. Hæc ad Theophraſti mentem, quæ vera eſſe, nullus hucusque in dubium traxit, præter vnum Mathiolum Senenſem, qui omnino hæc ſuo iudicio tantum fultus euertere conatur, dicens ſe in ſylueſtri maritima pinu obſeruaſſe, nuces nõ quidem rotundas, ſed oblongas potiùs, ſolidas difficulter dehiſcentes: in montana vero non oblongas, ſed breues & ad aperiendum faciles. At nos revera Theophraſtũ verum vniuerſaliter dixiſſe hucusq; obſeruauimus, ac Mathiolum aut non rectè apprehendiſſe, aut potiùs vt noui aliquid aliis dixiſſe videretur, in medium hæc adferre voluiſſe. Verùm vltra ſylueſtris pini iam enumeratas ſpecies, aliæ plures reperiuntur, quæ quum ad rem medicam parum faciant, eas nunc curioſiùs non conſectabimur: ex quibus velut cæteris, reſina alba vſui medico colligitur, non minus quàm operi fabrili deſeruientes tabulæ, quæ proculdubio nõ meliores ſunt, (vt autumat Plinius) quàm cæteræ quæ ex aliis arboribus reſinam ſtillantibus, parantur: quum quæ ex larice fiunt ſcandulæ, primatum obtineant, cum firmitate: tum temporum diuturnitate. Sic enim Plinius libro decimoſexto, capite decimo de ſcandulis, id eſt ligneis tegulis, prodit: Scandulæ è robore aptiſsimæ, mox è glandiferis aliis, fagoq;, facillimè

Mathiolus ineptè Theophraſtum reprehendit.

ex omnibus quæ resinã ferunt sed minimè durant, præter quam è Pino. Iis enim videtis Plinii pini tabellas magis laudare, quàm quæ ex cæteris arboribus resinam ferentibus, fiunt, quum tamen hoc falsum sit: scimus enim nos ex omnibus Pini generibus, Laricis materiam, duriorem, firmiorem, & temporis iniuriis magis resistentem esse: proinde in isto Plinianoloco, mendam subesse, non tamen Plinium errasse omnino dicendum est. Theophrastus autem loco citato, morbum pinis euenientem describit, dicens, quum Pinus in tedam vertitur, strangulatur ac emoritur: quæ verba Plinius libro allegato omnino corrumpit, quum quæ de pino Theophrastus inquit, Plinius larici tribuat, inquiens: laricis morbus est, vt teda fiat. Ruellius verò hæc animaduertens, Plinium defendere, ac eum ab errore vindicare conatur, proponens, non mirum esse, si multa quæ Theophrastus Pino tribuit, Plinius larici adscribat, quum larix pino facie, situ, & perpetua fronde similis sit: in quibus satis constat Ruellium nunquam laricem vidisse, quum laricem perpetua coma describat: quod falsum esse, certiùs est, quàm vt à nobis probari oporteat, quum larici folia hyemis tempore decidant, nec cum pino similitudinem aliquam dictu dignam contrahat, quum Larix arbor sit ingentis proceritatis, cortice crassissimo, & illo quidem crebris rimis interciso, in quibus rufus color quidam apparet: nam rami in hac arbore gradatim circumdites truncum incedunt, qui in summo arboris, inter se multi nectuntur complicanturq; ad luteum vergentes colorem & optimum ex se spirantes odorem, folia porrò densissima sunt, oblonga, tenella, & strictiora quàm quæ pini, non tamen cuspide acuminata, quæ autummi tempore ex viridibus pallida facta, facile decidunt, adeo vt per totam hyemem hæc arbos ex omnibus resinam ferẽtibus, sola frondibus, denudata maneat, interdum enim larix iuuenescit: cupresso in totum persimilis est, minimè verò pino, vt Ruellius credidit. Producit præterea arbor hæc flores incunte vere purpureos, grati odoris vsui admodum gratos, deinde vero fructum nuci cupressi persimilẽ iucundi quoq; odoris: In quo Plinius taxãdus quoq; à nobis venit, quum crediderit ipse laricem sterilem esse. Cæterum laricis lignum,

Laricis materia cæteris pini speciebus firmior est.

Plinius errat.

Ruellius errat.

Larix arbor qualis.

Plinius taxatur.

lignum, vt diximus durissimum est, ac firmissimum, qua de causa fabricæ maxime expetitur, igni quoq; aptissimum est, vt experientia comprobatum habet Mathiolus Senensis, qui apud Tridentum, igne non nisi ex ligno laricis constructo, ferri venam percolari tradit, vt hinc facile est iudicare, quanto errore deprehensi sint, Plinius, Vitruuius, & alij plures, qui contendebant laricis lignum in igne non vri, quum re vera apud Brixienses laricis carbones in maximo sint vsu, & vt experiętia nos quoq; compertum habemus, ligna sicca laricis, maximo impetu ob nimiã vnctuositatẽ vruntur, ex quibus carbones optimi quoq; parãtur. In larice agaricus non nisi generosus & optimus nascitur, vt suo dicemus loco. Ex larice quoque in officinis præclaram & multis encomiis dignam illam resinam liquidam habemus, quam loco terebinthinæ veræ arboris terebinthi, terebenthinam vocamus, & eam in actum practicum trahimus, quæ non nisi caudice arboris perforato ab artifice in æstate destillat, & eam vasculis ex cortice piceæ colligunt, candidior autem terebinthina ea est, quæ ex iunioribus arboribus exit, turbulentior verò, quæ ex vetustioribus. Reperitur quoque in caudice laricis, non nisi vetustissimi, medullæ vice, album quoddam corio persimile, quod pro constringendis, & agglutinandis vulneribus, ac cõpescendo sanguine vndecunque fluxerit, multi vsurpant. Sunt præterea arbores quoque ex quibus resina deitillat, multum inter se similes, adeo vt nisi quis multum in eis exercitus fuerit, discrimen ponere nesciat, ex quibus picea & abies præcipuè sunt, vtraq; enim in longitudine, crassitie figura & frondibus, idem habet, nam rami tanquã brachia, à duobus lateribus in trunco oriuntur, vt in crucẽ nasci merito quis dixerit, ita quoq; & folia in ramusculis ad illum modum enascuntur, oblonga, & dura, sed in hoc inter se differunt, quòd folia piceæ obscuriora multo sunt quàm quæ abietis, item cortex piceæ ad nigredinem quoque vergit, qui tanquam corrigia facilè complicatur: Abietis vero cortex potiùs albicat, quum complicatur, illico disrumpitur: iis addamus, quòd rami piceæ terram versus curuantur, id quod abietis ramis non accidit, imò & lignum piceæ pulchrius est, & vtilius, venas directiores habens, & nod

Therebinthina vulgaris, laricis est.

Abies & picea arbor similis.

& nodos pauciores, ſola fœmina picea fructum parit: & quãquàm Plinius tradat abietem maſculum & fœminam quoque fructum producere, in multis tamen regionibus, ſterilem vtranque conſpicimus, velut apud Tridentinos, & nemora Rauennæ. Verùm, gignit picea plerunque reſinam ſuam obduram, denſam, inter corticem & trũcum concretam, quanquàm aliquando, ſed rarò liquidam quoque emittat, & illam quidem laricæ ſimilem. Ex abiete quoque oleum abietis ſiue abiegnum dictum extrahitur, quod non ſolum ex caudice, ſed ramis, veſicis affectis, intra quas reſina ipſa ſiue oleum abiegnum contentum eſt, diuellitur, de quo plura legito cap. 82. huius præſentis lib.

Picea arbor.

oleum abietis.

DE STROBILIS.

Græcè, στρόβιλοι, πίτυίδες: Latinè, ſtrobili, nuclei pinei: Hiſpanicè, pinhones mundados, Gallicè, Pignons, Germanicè, Zirbelnuſſ, pineen.

Enarratio LXXIX.

Loch de pino.

PItyides nuclei ſunt pinei, in conis id eſt nucibus pineis arboris incluſi, quibus hodie in officinis ad Hippocratis veſtigia, eclegma, id eſt loch, ſiue lambetiuum dictum, à pino nominatum præparatur, pectoris non niſi, & pulmonis vitiis accommodatum, is enim fructus vires reficit, & vt de eo refert Galenus libro ſecundo de Facul. ſimplic. medic. boni ac craſsi eſt ſucci, multumque nutrit: non tamen facilè coquitur: Appellant autem nunc Græci ipſum non conon, ſed στρόβιλον.

Pinei nuclei.

DE LENTISCO.

Græcè, σχῖνος, Latinè, lentiſcus: Hiſpanicè, lentiſco arbor, mata, arueira: Italicè lentiſco, Arabicè, daru: Gallicè lentiſque.

Enarratio LXXX.

Lentiſcus.

NAſcitur lentiſcus in vniuerſa fere Hiſpania, & Italia aliquando arboreſcens, quandoque vero ex trunco, multos & ſubtiles emittens ramulos, quibus folia perpetuo viridantia qualia in arboribus piſtatiorum videmus, inſunt, ſunt enim illa vt noſcas, oliuæ foliorum figuram imitantia nunquam vt diximus, ab arbore decidentia, ob

quæ

quæ Cicero de lentiſco ita cecinit, libro de diuinatione, vt poſtea Plinius libro 18.capite 25.ſubſcripſit: ad hunc modum. *Cicero de lentiſco.*

Iam verò ſemper viridis ſemperque grauata
Lentiſcus, triplici ſolita eſt grandeſcere fœtu,
Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.

Eſt verò fructus, quo arbore iſta ornatur, figura, magnitudine, & colore baccarum ſambuci, ex quo oleum confici diximus, ab Hiſpanis in maximo vſu habitum, præſertim pro inficiendis chirothecis, quod ſua voce à mata appellitant, deſudat enim arbor hæc reſinam, quam maſtichem vocant, non ſolum in Chio inſula, ſed etiam vt Auicenna rectè dixit, & nos ipſi experientia compertum habemus, in Hiſpania, & Italia. Theophraſtus verò maſtichem ex India aduehi, & ex frutice quodam ſpinoſo colligi, ac ixine appellari tradit. Verùm Galenus de Lentiſco libro octauo de Facultatibus ſimplicium medicamentorum ita inquit. Ex aquea eſſentia leuiter calida, & terrena frigida non pauca, lentiſcus conſtat, deſiccat itaque ſecundo ordine completo, aut tertio incipiente, in caloris frigoriſque medio conſiſtens quodammodo, aſtringit autem ex æquo moderateque omnibus partibus ſuis, ſuccus bibitur & per ſe, & cum aliis medicamentis, quæ dyſenterias & alui affectus ſanant: Quin & ad ſanguinis expuitiones, fluores muliebres, necnon ſedis vuluæque procidentias idoneus eſt, vtpote ad hypociſtida nonnihil accedens propè. Non præteribo in præſentia quin reuocem in memoriam, quòd hodie velut Dioſcoridis tempore, ex lentiſco dentifricia pro purgandis dentibus apud Hiſpanos parantur, ita enim Dioſcorides in præſentia (inquit) viridibus ex lentiſco dentifriciis, pro arũdinacea acie frictione dentes vtilius exteruntur. *Maſtik.* *Lentiſci tẽperatura.*

DE MASTICHE.

Græcè, μαςίχη, Latinè, maſtix, reſina lentiſcina: Hiſpanicè, almaſtigua: Italicè maſtiche, Arabicè, maſtech, maſteche, vel maſtiche: Germanicè, Maſtix.

Enarra

Enarratio LXXXI.

Maſtix.

MAſtix, lentiſci reſina eſt, quę & ſi in Hiſpania & Italia proueniat, adeo tamen in parua quantitate reperitur, vt de ea colligenda homines nullam habeant curam: in Chio verò inſula ita feliciter naſcitur, vt non mediocre vectigal quotannis ex ea ciues habeant, ex qua maſtichinum oleum in officinis paratum reperies, vt ſuo diximus loco, quo frequentiſsimè vtimur, præcipuè pro roborando ventriculo, & vt tradit Galenus de maſtiche lib. vij. de Facultatibus ſimplicium medicamentorum candida quidem & Chia, aſtringit ſimul emollitq;: proinde ſtomachi, ventris, inteſtinorum iecoriſq; inflammationibus competit, vtputa ſecundo ordine excalfaciens & ſiccans: nigra verò quæ Aegyptia dicitur, magis deſiccat, minúſque aſtringit, quamobrem aptior eſt ad ea quæ validiorem digeſtionem per halitum poſtulant, porro oleum quod præcipuè ex Chia conficitur, ſimilis eſt cum maſtiche facultatis. Cæterum, quum camphora ſiue caphura, maſtiche alba adulteretur, non alienũ erit ſi in præſenti de ea verba fecerimus. Eſt igitur camphora arboris gummi, quod præcipui Luſitani noſtri ex inſula Burneo apud Indos adferunt, quanquam tamen è regno Fanſur aduehatur, quod regnum Serapio ex ſententia Iſaac Faſellum nuncupat: Hæc enim & præparata, hoc eſt alba, & non præparata, id eſt cruda, ad nigredinem tendens, ad nos portatur, quam non minus ac infimum zuccarum, ad ſuppremam albedinem redactum, in quaſdam formulas redigunt, quæ Arabum conſenſu, frigiditatis & ſiccitatis tertium occupat gradum: quamobrem & capitis dolores, qui à caliditate eueniunt, mulcet: inflammationes reſtinguit, renes refrigerat, & ſemen genitale abſumit, non minus ſanguinis fluxum cohibet, præſertim narium, modò cum ſucco vuæ acerbæ imponatur, crebro vſu aſſumpta canitiem accelerat, & ſtomachum debilitat: hęc ſomnum conciliat, modo eius nimius uſus non ſit: qui ſi fuerit, proculdubio inſomniũ adfert, huius enim granum vnum aut alterũ in aqua nymphęæ, aut portulacæ lactucæve, ardentiſsimis febribus laborantibus bibendum non ſine magno iuuamento propinamus. ſomnum enim conciliat, & capitis dolorem ſummouet, & febrilem æſtum ardoremúe remittit. Qui vero

Olei lentiſcini facultas.

Camphora quid.

Camphora frigida & ſicca eſt in tertio ordine.

verò hanc calidam esse opinantur, penitus non sunt audiendi: quum non omne odoratum calidum esse naturalis philosophiæ dogmata doceant, & Galenus libris de Facultatibus simplicium medicamentorum non siluit, quin potius monitos nos reddit, dicendo: quòd nec à calore nec ab odore, de facultatibus simplicium medicamentorum iudicare debeamus. Deprehenditur autem syncera & vera camphora à falsa, si pani calido è furno extracto inclusa humescat: si vera sicca maneat, falsa & adultera iudicatur. Cæterum operæpretium est audire qua innocentia Burnei homines, camphoram Lusitanicis mercibus permutent, vt enim Lusitanica nauis in ea littora applicuit, mercatores non procul à littore, nec enim longius procedere audent, humi merces reponunt, quas quidem camphora permutatas volunt, quo facto è vestigio se ad naues recipiunt. Accedit Burneus & mercibus inspectis, nec iniquè æstimatis, parem pretio camphoram iuxta apponit, quo denuo recedente, adest rursus Lusitanus, & si par permutatio videtur, propriis relictis mercibus, camphoram secum aufert, fiuntque plerunque frequentes accessus illi recessusque disceptantibus de permutatione, donec tandem conueniant, quod potissimum in causa esse arbitror, vt camphoram ferentis arboris species, nostris hominibus minus sit cognita: Alteram verò camphoram albissimam, è cœlo cadentem nonnulli qui ex India redeunt, se vidisse contendunt: vocant enim Hispani camphoram adiecto articulo Arabico, vt plerunq; faciunt al, alcamphor, nam alcohol, longè apud illos alia res est, vtpote Dioscoridis stibium, antimonium dictum, vt suo vberius dicemus loco.

Camphora non est calida.

Camphora quomodo emitur.

Alcohol stibium est.

DE THEREBINTHO.

Græcè, τέρμινθος: Latinè, terebinthus: vulgo terebintho, Arabicè, Baton, Boton, Botin, vel Albotin.

Enarratio LXXXII.

TErebinthus arbor, nostro orbi ignota est, ex qua vera terebinthina desudat, cuius Theophrastus meminit lib. iij. de Plantarum historia, ca. 15. & illius verba Plinius ita ad verbum vt plerunq; solet reddit, libro 13. capite 6. dicens:

Terebinthus.

dicens: Syria & terebinthum habet, ex iis mascula est sine fructu, fœminarum duo genera, alteri fructus rubet lentis magnitudine: alteri, pallidus, cum vua matureſcit, non grandior faba, odore iucundior, tactu reſinoſus, circa Idam Troadis: Sed in Macedonia breuis arbor hæc atq; fruticoſa, in Damaſco Syriæ magna materies ei admodum lenta, ac fidelis ad vetuſtatem, eximij ac nigri ſplendoris, flos racemoſus oliuæ modo, ſed ruber, folia denſa, fert & folliculos emittentes quædam animalia, ceu culices, lentoremq; reſinoſum, qui ex cortice erumpit. Hæc ille ex Theophraſto. Hodie vero in Italia naſci terebinthum non procul ab Vrbe audio, cui folia lentiſci paulo maiora inſunt. Venetiis quoq; arborem iſtam in hortis excultam, nonnulli contendebant: mea tamen ſententia falluntur, quum folium à vero terebintho multum diſtet, illius præcipue arboris, quam terebinthum eſſe credebant. Cæterum ex terebintho, vt diximus, reſina deſudat, quam trebinthinam veram appellamus, vt capite ſequenti videre eſt, porrò terebinthi facultates viresúe, Galenus lib. viij. de Facul. ſimpl. med. ita attingit dicens: cortex, folia, & fructus eius adſtringunt, & ſecundo ordine excalfaciunt, valde etiam quod ſiccet, liquet, porrò fructus aridus propinquus eſt tertio ordini deſiccantium: calfacitque valenter, quare & vrinam prouocat, & lienibus auxiliatur.

Terebinthi natura.

DE ALIIS RESINAE GENERIBVS.

Græcè, ῥητίνη, *Latinè, reſina*: *Arabicè, Ratin, vel Natis*: *gallicè, reſine*: *Italicè, ragia*: *Germanicè*, Hartz.

Enarratio LXXXIII. Naſcitur & liquida, &c.

Reſina laricea, vulgaris terebinthina eſt.

NAſcitur vera therebinthina, vt diximus ex terebintho arbore dicta, cuius penuria, quum rarò in Italiam, & Hiſpaniam adferatur, reſina ex larice illius loco vtimur: quam falſo terebinthinã officinæ vocant, quanquam in hoc magnus non cõmittatur error, quum vtraq; eaſdem

Larix.

easdem ferè vires ac facultates obtineat, vt testatur Galenus, cui postea subscripserũt Paulus Aegineta, & Aëtius: Satius tamen esset vera vti terebinthina. At dum ea caremus, laricea vti rectè mea sententia possumus. Cæterũ antiqui medici, terebinthina pro subducenda aluo olim vtebantur, vt apud Aeginetam legere quiuis poterit, libro primo suę medicinę, capite 23. in quo senibus victus rationẽ debitam describit, ita enim eo loco Paulus Aegineta inquit: Quòd si venter magis astrictus nihil deiecerit, & Mercurialis herba, & cnicum abunde sunt, benè facit etiam resina terebinthina, interim vnius auellanæ, interim duarũ triúmue magnitudine sumpta: capite vero 43. in quo quæ sanis aluum subducant, & quæ vrinam moueant, recitat, tradit: Aluum iuuabit terebinthina, ex qua oliuæ magnitudinẽ dormituris offerebant, at quum acrius subducere eam cogitamus rheu momentum admiscebimus: nos vero hodie non tantum ventris soluendi gratia, quantum renum expurgandi causa, ieiuno stomacho pondere vnius vnciæ cum zuccaro, propinamus, cuius accipientis lotium moschi odorem refert. Habetur quoq; liquida resina vt Dioscoridi placet, ex piceis, pineis siue tedis arboribus, quod ita esse scimus, quanquam ab istis arboribus resina absolutè dicta sicca, concreta siue dura colligatur, potissimum tamen à pinastro, tametsi si nonnulli hanc strobilinam appellent: qua de causa Plinius libr. xiiij. capite 20. resinam siccam colligi à piceis & pineis arboribus tradit, non negat tamen Plinius, & liquidam arbores istas destillare resinam, quia

Terebinthina aluũ subducit.

Rheu pro subducenda aluo vtebatur Paulus.

tamen paucam: ſiccam vero ſiue concretam copioſam, ea de cauſa liquidam ſubticuit: Hæc vero reſina ſicca coquitur, & hodie pix Græca, ſiue Hiſpana pix dicitur, quam officinæ Colophoniã quoq; appellant, quia in Colophone vrbe Ioniæ regionis clariſsima paratur: Secundum enim reſinę colorem,& ipſius maiorem minorémue cocturam,alius & alius ei ineſt color:Semper tamẽ tranſlucida manet, quam coctam quoq; in præſenti loco Dioſcorides nominat. Verum, ab abiete liquida reſina,quam ſeplaſiarij oleum abietis,ſiue oleum abiegnum appellant, emanat: quam Dioſcorides cæteriq́ue poſt eum authores cognouerunt,quum in abiete ſicca reſina raro reperiatur, imò abietes ſiccam reſinam ex ſe emittentes, vt refert Plinius, morbidæ ſunt, & ſiccá reſina in eis, pro morbo habetur. Proinde credere fas eſt, Dioſcoridẽ lachrimam iſtam abiegnam nouiſſe: quanquam de huius arboris ſicca reſina tantum mentionem fecerit. Afferuntur autem, vt teſtatur Dioſcorides,optimæ reſinæ,ex Pityuſa inſula, quæ ad Hiſpaniam eſt, & vt hodie nouimus, non procul à Balearibus inſulis. Sunt igitur, vt breuibus abſoluam, reſinæ liquidæ, terebinthina, laricea, & abiegna, quanquam & hæc ſicca quoq; reperiatur:Siccæ vero ſunt,abſolute reſina dicta, ex piceis & pineis arboribus collecta, tametſi liquida quoq; vt Dioſcoridi placet reperiatur. Lentiſcina, quæ cæteris ſiccior & durior eſt, prætereunda non eſt, quam Plinius inaduertenter inter liquidas computat, cæteras vero reſinas ſuis locis enucleabimus, nunc vero Galenum audiamus libr.2. de Compoſitione medic.per genera, in emplaſtri viridis Andromachi confectura, qui dilucide admodum de reſinis ibidem ſermonem fecit,dicens: primum reſinæ ſtrobilinæ in eo meminit,quæ vt in Commentariis de Simplicium medicamentorum facultatibus aſſerui: reſinarum longe calidiſsima eſt, ſicut terebinthina ambabus qualitatibus omniũ moderatiſsima, omnes ſiquidem calefaciunt & exiccant,ſed hæ magis, illæ minus. Validiſsima igitur eſt ſtrobilina, moderatiſsima vt dixi terebinthina, quinetiam ſiccat celerrimè ſtrobilina, & quæ priuatim pityinon phyſema dicitur reſina quidem & genere ipſa ſiccans,& calfaciens, ſiccando autem à ſtrobilina non ſuperatur, calfaciendo

Pix Græca.

Oleum Abietis.

Reſina liquida.

Reſina ſicca.

Strobilina reſina.

pluri

plurimum. Hæ ergo exiccatæ pinguis expertes ſunt, ideoq; emplaſtra bene adhærentia conficere non debent, vt viſcoſæ & liquidæ, inter pityinon phyſema, id eſt piceam & ſtrobilinam, media calore abietina eſt, liquida tamen diutius perdurat, ſicut etiam Colophonia thus redolens, quæ nonnullis ſola vocatur Colophonia, odoratu ſuauitatem quandam referens, vt abietina, & calore ſicut illa mediocri prædita, naſcitur admodum modica, atq; ob id pretioſa eſt: Humidiſsima tamen omnium altera laricis appellatæ differentia, nam hæc quoq; duplex eſt, vna quidem omnino ſimilis terebinthinæ, altera hac acrior, calidior, magis liquida & odoratu grauior, tum guſtu amarior, ſed & vaſis fictilibus piceam reſinam continentibus quæ ſubſidet liquida reſina, conſiſtentia & colore terebinthinæ ad amuſsim ſimilis eſt, odore & guſtu diuerſa, ingratior quidem olfactu, ſicut & acrior & guſtu mordacior. Quare ſatius eſt terebinthinam omnibus medicamentis quæ vlcera rectè curabunt, admiſcere. Quoniam primus præcipuusque in eis ſcopus eſt, vt id quod offertur non mordeat. Hactenus Galeni verba: quibus ſuffragantur ea quoq; quæ libro iij. eiuſdem voluminis, ad iſtum modum ſcripta ſunt: Omnium vero reſinarum ſicciſsima eſt, quam nonnulli frictam, alij Collophoniam appellant: huic ſuccedit, quæ ex figulinis impura, nec frixa ſumitur, quam ſi purges in frictam mutabitur: His ambabus ſiccior eſt quę dicitur pityinon phyſema, ac ſi dicas picea germinatio, hanc ſane ceu ſqualidam, in præſentis emplaſtri compoſitionem non eſſe idoneam ratus, abieci: vſus autem ſum fricta & liquidis. Iam vero ex iis nonnullæ diutius liquidæ permanent, quemadmodum terebinthina: aliæ cito inareſcunt, ſicut ſtrobilina, media vtriuſq; eſt abietina, quinetiam facultate calidior eſt quidem ſtrobilina, mox vero abietina, deinde terebinthina, cupreſsi reſinam miſcere non auſus ſum, vt quæ non nihil aſtringeret, putabit forſan aliquis nobiſcum diſſentire Dioſcoridem Anazarbeum in ſermone de reſinis, hunc in modum ſcribentem, primo de medica materia commentario, ex omnibus reſinis principatus terebinthinæ datur, poſt eam lentiſcinæ, tum ei quæ de picea raditur, & abiete: vltimum locum pinea

Dioſcorides à Galeno nõ diſſentit.

ſtrobilinaq; obtinet, in his enim Dioſcorides tanquam de infima ſtrobilina, optima vero terebinthina ſentire videtur: Verum ego ex iis tribus reſinis, ſtrobilina, abietina, terebinthina, principem certè ſtrobilinam calore, ſecundam abietinam, poſtremam terebinthinam eſſe dixerim. Quemadmodum igitur, qui inter Italiæ vina auſtera optimum ponit vinum Italicum, alius ad qualitatem vnam ſermonem referens, alius abſolute de tota ipſius ſubſtantia, pronuntians, verus deprehenditur: eadem ratione etiam inter reſinas optimam, tanquam medicamẽtum in multiplices vſus accommodatum, meritò terebinthinam affirmaueris, nõ tamen caliditate primas obtinere. His addenda ſunt, quæ libro octauo de Facul. ſimpl. medi. ipſe tradit, quæ quiſq; per otium videre illic poterit. Porro ad memoriam hic reuocandum eſt, quòd ex fuligine reſinarum hodie atramentum componitur, quo typographi ſæpe vtuntur, adiecto aceto, & gummi Arabico, quo tenacius craſsiusque fiat, velut quoq; Dioſcoridis tempore, pro pingendis characteribus parabatur.

Atramentum ſcriptorium.

DE PICE LIQVIDA.

Græcè, πίσσα ὑγρὰ: Latinè, pix liquida, Hiſpanicè, alquitran: Arabicè, Eerf, Ceſt, Zeft, Kir, Gallicè, Poix fondue, Bray, Germanicè, Schiffbech, Bech.

Enarratio LXXXIIII.

Alkitran. HAec hodie ex Dania affertur, qua nauium ornamenta illinuntur, & eam omnes Hiſpania alkitran appellitant.

DE OLEO PICINO.

Græcè, πισσέλαιον: Latinè, oleum picinum: Hiſpanicè, azeite depez: Italicè, oglio di pegola, Arabicè, Kepſen, Kapſen, Kapſe.

Enarratio LXXXV.

HOc non præparatur, nec à recentioribus commendatur.

DE

DE PICIS FVLIGINE.

Græcè, λιγνὺς ὑγρᾶς πίσσης: Latinè, picis fuligo, Hiſpanicè, fulugen de pez: Italicè, fuligine di pegola.

Enarratio LXXXVI.

CRemata pice, ipſius fuligo fit, quæ non minus ac reſinarum fuligines, pro conficiendo atramento typographico præſtat, proſtant autem venales fuligines iſtæ reſinarum, vbi libri excuduntur, velut quoq; apud pictorum officinas. *Picis facultas.*

DE SICCA PICE.

Græcè, πίσσα ξηρὰ: Latinè, ſicca pix, ſpiſſa pix, pix naualis, pix nigra: Hiſpanicè, pex negra: Italicè, pece, pegola: Gallicè, poix, Germanicè, Schvvartz hartz.

Enarratio LXXXVII.

PLinius qui centeſimo vigeſimo quinto anno poſt Dioſcoridem vixit, quandoq; Dioſcoridem ipſum imitatur, quandoq; verò vt breuiloquum dilatat, vt in hoc factum videmus capite: qui libro xvj. cap. II. ita inquit: Pix liquida in Europa è teda coquitur, naualibus muniendis, multoſq; ad alios vſus: lignum eius conciſum, furnis vndique igni extra circumdato, feruet, primus ſudor aquæ modo fluit canali: hoc in Syria cedrium vocatur, cui tanta vis eſt, vt in Aegypto corpora hominum defunctorum eo perfuſa ſeruentur. Sequens liquor, craſſior iam picem fundit: hæc rurſus in cortinas æreas coniecta, aceto ſpiſſatur, & coagulata brutiæ cognomen accepit, doliis duntaxat vaſiſq; cæteris vtilis, lentore ab alia pice differens: item colore rutilante, & quòd pinguior eſt. Hęc ille. Cæterum pix ad eum hodie modũ paratur, quo item carbones cõficiuntur: conciſis enim vetuſtiſsimis pineis tabellis, & quadrato ordine in area diſpoſitis, poſtea quàm & arena, & earundem arborum ramis probè obturatæ ſunt, ignis ſupponitur, quo deſudantes tedæ picem emittunt, quam per canales fluentẽ, æreæ excipiunt cortinæ: Huius enim *Plinius poſt Dioſcoridem 125 anno vixit.* *Cedrium.* *Pix quomodo paratur.*

enim in re medica varius vsus est, de qua Galenus lib. viij. de Facultatibus simpliciorũ medicamentorum ita disserit: Pix sicca quidem desiccat, & calfacit secundo ordine, at plus siccare valet quàm calfacere, humida verò contrà plus calfacit quàm siccat, habetque partium tenuitatem nonnullam, qua asthmaticos & purulentos adiuuat: satis est autem cyathi linxisse mensuram melli mistæ: abstergendi etiam, cõcoquendi, digerendiq; quandam vim habet, veluti in gustu leuem amarorem & acrimoniam, sic leprosos vngues eximunt mistæ cum cera, lichenasq; detergunt: coquunt item duros & crudos tumores. Cataplasmatis inditæ, atque ad ea omnia, humida valentior est: arida verò glutinandis vulneribus aptior.

Picis facul.

DE ZOPISSA.

Græcè, ζώπισσα, ἀπόχυμα & ὑπόχυμα: Latinè zopissa, nauium pix: Hispanicè, breu: Italicè, pegola de le naui.

Enarratio LXXXVIII.

OLim naues picabantur pice, cera adiecta, quã compositionem, zopissam aut hypochyma Græci appellant, & eam à nauibus derasam, variis medicis accommodabant remediis: Hodie vero ex pice cum oleo liquida naues picatæ videntur: cæterum, ex pice, & cera pauco adiecto oleo, massa quędam componitur, qua mercatores suos sigillant pannos, non minus quoque ex resina & cera alia paratur compositio, cancellariis, pro obsignandis literis frequẽs, nam ea massa qua cerdones pro illinendis filis vtuntur, ex pice cera & sepo concinnatur, reduuiis admodum vtilis.

Massa pro sigillis.

DE BITVMINE.

Græcè, ἄσφαλτος: Latinè, asphaltus, bitumen, bitumen Iudaicum: vulgo bitume de Iudæa, Arabicè, Hafral Ieudi, Chefer Alihend, Italicè, Bitume: Germanicè, Iuden Leim.

Enarratio LXXXIX.

BItumen, nomen equiuocum est, omnem massam è terra, vel mari, aut fluuio scaturientem comprehendens,

dens, siue illa dura, aut mollis, solida vel liquida sit: proprie tamen & absoluta voce, de Iudaico intelligitur bitumine, cuius loco, hucusq; artificiali seplasiarij vsi sunt, composito ex pice & variis, quæ subticere satius est. Nunc vero ex Iudæa verũ & sincerum asportari cœptum est: nascitur autem vt à Iudæis accepimus, qui è Iudæa frequenter Venetias veniunt, & Broccardus in terræ Sanctæ accuratissima descriptione confirmat, in lacu quodam mare Mortuo siue mare Salis dicto, in quod Iordanis fluuius euoluitur, quinq; millib. passuũ à Iericho vrbe. Cæterum est bitumen hoc, massa quædam pinguis in lacu illo fluitans, quæ ab vndis & vento agitata, ad littus emittitur vbi densa & tenax fit, non adeo tamen tantæ duriciei vt pro sui eliquatione sanguine menstruo opus habeat, vt multi inepte admodum putarunt. Est vero bituminosum hoc stagnum, vt refert Galenus lib. iiij. de Facult. simpl. med. cap. 19. cui nullum nec animal nec plãta inesse conspicitur, imo quum duo in eum confluant fluuij, piscium copia scatentes, quorum vnus Iordanis est, nullus tamen piscium, fluuiorum ostia excedit, quod si stagnum aliquem aggredi contingat, illico emoritur, adeo est omnibus animantibus, & plantis inimicũ & infestum stagnum hoc, de quo quoq; fertur, quòd corpora quantumcunq; grauia si in eum iniiciãtur, non subsidunt, aut fundum petunt, sed potius enatant, quia vt Aristoteli placet, aqua illa crassa & grauis est, vnde factum est, quòd naues onera in mari plura, quàm in fluuiis citra submersionem portare valent: quia marina aqua fluuiatili crassior est, & melius attollit eleuátq; pondera. Hoc enim stagnũ est, quod Sodomeum, siue Sodomenum appellatur, vbi olim Sodoma & Gomorra, cum suis circumuicinis ciuitatibus à Deo ob peccatum nefandissimum submersæ sunt, vt Sacræ testantur literæ. Ita vero appellari stagnum istud, confirmat Galenus, loco citato, quum inquit: Vocant autem eum Sodomenum à circumiacentibus stagnum montibus quos Sodoma appellitant. Habet enim stagnum hoc, siue mare Mortuum, vt refert Broccardus monachus, latitudinem quinq; leucarum, longitudinem vero, quinquaginta, & vt idem eodẽ loco tradit, Patriarcha Hierosolymitanus, qui sæpe locum istum inuisit, scribit, mare illud

Bitumen Iudaicum

Broccardus.

Bituminosum Stagnum.

Sodoma et Gomorra.

Vallis illustris.

illud semper Fumum reddere & nebulam, in modum camini infernalis, vnde tota illa vallis quæ aliquando ob sui fœcunditatem & amœnitatem illustris dicta fuit, ad spacium itineris dimidiæ diei sterilis & inutilis reddita est, ita vt nec vllum germen proferat, fere per spatium quinq; leucarum, nisi iuxta ciuitatem Iericho, vbi horti irrigantur à fonte Elisæi: Hæc verba patriarchæ Hierosolymitani faciunt, vt multi hodie cum philosophis credant ciuitates illas, ob terræ motum, ab accenso in bitumine igne ortum, subuersas fuisse, sed de iis satis. Olim igitur Syriaci homines, velut Aegyptij, & infimæ plebis Iudæi, bitumine isto, pro seruandis cadaueribus loco pretiosorum medicamentorum, videlicet balsamo, myrrha, aloe, & croco, quibus carebant, vtebantur: vt ex Strabone libro xvj. facile percipitur. Qua etiam de causa recentiorum nonnulli, bitumen hoc Arabum mumiam esse autumarunt: mea tamen sententia Mauritanorũ mumia Dioscoridis non est asphaltos, sed potius pissasphaltos, vt capiti sequenti monstramus, habet enim bitumen hoc Iudaicum picis odorem, vt Auicenna scriptum reliquit, & experientia ipsa attestatur: de quo Galenus libro xj. de Facul. simpl. medic. ita dixit: Optimum vero bitumen in mari, quod Mortuum vocant, prouenit: cuius medicaminis vis est tum resiccatoria tum excalfactoria in secundo excessu, meritò itaq; vtuntur eo ad cruentorum vulnerum glutinationem, & ad alia omnia quæ exiccari debent, ceu modica excalfactione.

Mumia Arabũ apud Dioſc. piſſaſphaltos eſt.

CONSTANTINVS.

* *Amatus praclarè in Bituminis historia, rerum gestarum pronunciatori syncero, & grandi Iosepho, refragatur: qui περὶ ἁλώσεως. id est, de captiuitate l. 4. oculata fide asserit, quod aurita tantum, hic noster negat. Certissimum experientia Bitumen nulla re melius separari, quàm filo tincto menstruo sanguine.*

DE PISSASPHALTO.

Græcè, πισσάσφαλτος: Latinè, pissasphaltus, bitumen Apolloniæ, Arabicè, Mumie, Mumiay, Mumia, Gallicè, Mommie, Italicè, Mumia, Arab

Arabum mumia: Hiſpanicè, pex bitume mineral, cera da minera: Italicè, pece bitumine da minera, Germanicè, Dinſen Bluot.

Enarratio XC.

QVòd vero Arabum mumia Dioſcoridis ſit piſſaſphaltos, Serapio Dioſcoridis fidelis ſectator indicat, quanquam interpres ineptè admodum vertat, quum dicit capite de mumia, ex Dioſcoridis mente, eſt in terris quæ dicuntur acoloniæ, deſcendit nanque ex montibus qui dicuntur fulmina, cum aqua, & eiecit eam aqua fluminis in ripis, & eſt coagulata, & fit ſicut cera, & habet odorem picis mixtæ cum aſphalto, eũ alico fœtore, & virtus eius eſt, ſicut virtus picis & aſphalti mixtorum. Hactenus Serapio. Cuius verba licet mutila & mendoſa legantur, id vitio interpretis vt diximus tribuendum eſt, non verò Serapionis errori, qui vt noſtis, per mumiam piſſaſphaltum intelligit, tam naturalem quàm artificialem: nouerat enim Serapio, non vt Strabo dixit, & nonnulli crediderunt Mauritanos, mortuos condire aſphalto, id eſt bitumine Iudaico tantum, ſed potius, aſphalto adiecta pice, potiſsimum quando naturali piſſaſphalto id eſt mumia eorum carebant, velut nobilior mumia illa mortuorum conditura, quæ ex pretioſiſsimis medicamentis apparabatur, vt balſamo, aloe, myrrha, & croco. At quum hanc difficulter habere poterant, quum ea balſamati ſiue conditi diuites & nobiles erant, & clauſis locis repoſiti, ceperunt Mauritanorũ familiæ medici eius loco in vſum medicum trahere mumiam hanc, piſſaſphaltum dictam, quia facillime eam ex cadaueribus infimæ plebis hominum habebant. At poſtea officinarũ mangones auariſsimi, & lucri cupidi, non mortuorum cõditura tantum contenti, ipſorum pulpamenta, pernas, brachia, capita, imo integra corpora, in officinas abſq; vllo pudore traxerunt. Plectendi igitur ſunt, & dira pœna cõdemnandi, tanquam malefactores & veri dei contemptores, qui deinceps corpora mortuorũ in tabernis tanquam hominũ ſaluti conuenientia, habuerint, curabũt tamen condita illa aromata ex mortuis corporibus tempore longo in pheretris repoſitis habere, quũ præcipuè hæc ſit mumia. Si tamen eam

Piſſaſphaltos mumiæ eſt.

Corpora mortuorũ pro mumia vſurpata.

Hominũ auaritiæ quò impudẽtiæ peruenerit.

habere non liceat, saltem pissasphaltum verum & naturalem, vel ex cadaueribus extractum, vt habeant solliciti sint, quum multum rei medicæ deseruiat. Nascitur enim pissasphaltos hæc, vt tradit Ioannes Agricola Ammonius Germanus vir medicus doctus, nō procul à valle Oeni fluminis, ad montes Seefeld, quod post immodicos imbres colligitur, appellantq; ibi eum Germani *durfenbluot*, id est gigantum sanguinem, ex eo quoq; ibidem funalia, & cerei parantur, tetri tamen & pessimi odoris, præcipuè ex eo quod ex Transsyluania Pannoniæ superioris parte affertur, non minus quoq; ex Aulone antiquo Græciæ oppido affertur, durum, solidum, illic in montibus nascens, quod in Italiam affertur, & magna ex parte pro pice venditur. Cæterum mumia vt Gulielmo Placentino placet, & Serapio prius docuit, vires asphalti & picis habet, quæ calida in 2. ordine est, styptica, & resolutiua, confert abscessibus ex pituita obortis: Opitulatur fracturis, ruptu-ris, plagis, atq; ex alto lapsibus factis: Valida est, in epilepsia, & vertigine, semidrachmæ pondere cum vino epota pulchræ euocat menses, resistit omni corruptioni, & putrefactioni, in tēpore præcipue pestifero: Cōducibilis admodū est vlceribus, obstructionibusq; quibusuis, &, venenis aduersatur: totius corporis lapsum frigidū & humidū remouet, cuius vsus per se expetitur absq; cōiuge medicina, aut copula: ipsa sulphuri viuo, aut mastichi, & cū aqua vitæ cochleari vulgato exorbetur, medetur eadem febri quartanę si ante paroxismi accessionē ī potu exhibeatur.

Vera mumia quæ sit.

Pissasphaltus vbi nascatur.

Ioannes Agricola.

Ammonius.

Mumiæ vires.

DE NAPHTA.

Græcè, νάφθα: Latinè, naphta, oleum petroleum, oleum saxi: oleum Medeæ, Hispanicè, azeite de penha: Italicè, oglio de sasso, oglio petroleo: Germanicè, Steinœl.

Enarratio XCI.

Oleum petroleum.

NAptha, oleum quod ex petra vel terra erumpit est, variis in locis repertum, nonnunquā album, quandoque verò nigrum, imò aliquando subrufum. Nascitur enim (vt Babylonicū præteream) sub dominio illustrissimi Ducis Ferrariæ in Mutinēsi agro, præsertim in monte Zilio dicto, nō minus in Liguria, & Sicilia, Neapoliq;, sed

sed & in Hispania quoq; non deest, fœtet enim vnum alio magis, quod sæpenumero ex medio saxi erumpit, scaturitve, tantæ vis ad se trahendi ignes, vt ex interuallo (vt recte Dioscorides aduotat) etiam ad se trahat, vt circumforanei nugas vendentes, ex pulpitis tanquam rem monstruosam plebeis quotidie indicant. Calidum enim prope tertium gradum oleum hoc est, ad multa valens, quę Dioscorides in præsenti citat. Fit præterea oleum artificiale ex Lateribus luteis, vt Albucasi placet, nouis, vel vt Mesue & Arnoldo, veteribus, quod & petroleũ appellant oleum tãtæ dignitatis, aut magisterij, vt philosophorũ nõ solum nomine dignetur, sed etiã à pleriſq; sapiẽtiæ oleum & benedictum, imò diuinum & sanctũ dicatur: eo tamen non indigemus, quum naturali & vero abundemus.

Oleum petroleum calidum in tertio.

DE CVPRESSO.

Græcè, κυπάρισσος: Latinè, cypariſſus, cupreſſus: Hiſpanicè, cypreſte arbor, cypreſteiro: Italicè, cypreſſo: Gallicè, cypres: Germanicè, Cypreſſ.

Cupreſſus.

Chamæcypariſſus.

Enarratio XCII.

Cupressus arbor.

CVpressus arbor ex iis est, quæ in altum, procereque excrescunt, folio pini, carnosiore tamen & illo quidem perpetuo, odore vehementi, cui galbuli siue pilulæ, nucesue, aut poma, ita enim fructus appellari potest, insunt, magnitudine oui vitelli, quæ interim dum virent argentei sunt coloris, siccæ verò, aliquantulum rubent: ter in anno arbor hæc fructum emittit, qui, & Ianuario & Maio & Septembri colligitur. Nam intra fructum semen occluditur minutissimum: quod formicæ maximè appetunt, & sui causa rarò cupressi absq; formicarum examine comperiuntur. Naturalis Certæ insulæ cupressus est, & vt tradunt, inde in alias orbis regiones transportata, mascula & fœmina, fœmina in altum cuspidata crescit, & vt Theophrastus credit sterillis: mascula verò fœcunda ex se ramos expergit, vtraq; enim resinam fundit, sapore acerrimam, Quare verumiculos & terenides necat, qua res vnctæ, à carie vindicantur: item si lentes, fabæ, phaseoli, & vniuersa alia legumina, tusis cupressi foliis, vel ipsius scobe, simul asseruentur, vermiculis obnoxia nunquã erunt.

Chamæcyparissus herba.

Cæterum, chamæcyparissus herba, id est humilis cupressus, cuius Plinius meminit lib. xxiiij. capite 15. an fœmina abrotanum sit, de qua Plinius mentionem fecit libro xxj. eiusdem numeri capite, suo dicemus loco. Nuces porro cupressi in officinis ad multos medicinæ vsus seruantur. De quibus & arbore Galenus lib. vij. de Facultate simpl. medic. ita disserit: Cupressi folia, germina, pilulę recentes & molles, magna vlcera glutinant in duris corporibus, quare resiccandi vim habent absq; insigni acrimonia aut calore, tanta enim ei acrimonia inest, caliditasq;, quanta satis sit deducendæ in altum acerbitati, proinde in alto latentes in flaccidis putrescentibusq; affectibus humiditates, innoxie depascit & populatur. Sic enterocœlicos iuuat, exiccans, roburque addens corporis partibus præ humiditate laxatis. Quidã ea vtuntur ad carbunculos, herpetesq;, polentæ miscẽtes: Sunt qui ad erysipelata vtantur.

Cupressitẽperatura.

DE IVNIPERO.

Græcè, ἀρκευθὶς: Latinè, iuniperus: Hispanicè, enebro,

bro, Italicè, ginepro: Gallicè, du geneure: Arabicè, Arconas, vel Archencas, Germanicè, Geneuer, Vvecholter, krametbeer.

DE GVMMI.

Græcè, κόμμι ἀρκευθίδος, Latinè, gummi iuniperi: Arabicè, Sandarax: Gallicè, & Hiſpa. vernix: Germanicè, verns.

Enarratio XCIII.

Iuniperus.

Iuniperi duo genera.

IVniperi duo & illa quidem vulgata habentur genera, alterum maius: alterum verò minus. Quibus coma perpetua ineſt, quæ ſpina verius quam folium eſt, vnde topiario operi ac pergulis non immerito inſeritur arbor: cuius lignum nunquam cariosam ſentit ſenectam, vt ex trabibus tẽpli Dianæ Plinius lib. xvj. cap. 40. approbat. Fert arbor hæc baccas myrti magnitudine, primo viridis, poſtea nigricantes, cũ pauco cyaneo colore perfuſas, quibus pauperes pro cubiculorũ ſuffitibus vtuntur. Differunt enim iuniperi duo hæc dicta genera inter ſe, arboris tantum & ſeminis magnitudine. Verũ ex iunipero gummi extrahitur, quod Arabes ineptè admodũ ſandaracham appellant, quod quum recens eſt, album, lucidum, & tranſparens conſpicitur: quum verò veteraſcit, ad rubedinem declinat: multum enim, ſandaracha hæc Arabum, à Græcorum ſandaracha differt, quum Arabum vt diximus ſandaracha

Sandaracha Arabũ gummi iuniperi eſt.

daracha iuniperi gummi: Græcorum verò ſandaracha auripigmenti ſpecies quædam ſit, vt lib. v. quoq; dicitur, quę proculdubio corroſiua & venenoſa eſt. Quum igitur candidati iuuenes, apud Arabas ſandaracham legerint, intelligant velim, gummi hoc iuniperi, non verò pernecantem & corroſiuam Græcorum: Secus verò ſi apud Græcos ſandaracham lectitauerint & ea opus habuerint, non illam Arabum, ſed potius hanc corroſiuam rubri auripigmenti ſpeciem accipere debent, quæ an per os tuto dari poſsit, alibi quum de ea ſermonem fecerimus, aperiemus. Nunc verò ſat ſit dixiſſe, quòd Gal. & Paulus Aegineta eam in compoſitionibus & ſuffumigiis, quę per os ſumuntur immiſcent, vt apud ipſum Paulum legere eſt, lib. iij. ſuæ medicinæ capite 28. in paſtilli cuiuſdam compoſitione. capniſti dicti, & libro v. capite 13. quum antidota contra viperarum morſus, ad mentem Oribaſij deſcribit, à quibus nec Dioſcorides diſſentit, vt capite 76. quinti libri legere eſt, vbi hæc ad amuſsim & ex profeſſo tractamus. Ad noſtrum igitur gummi reuertentes, dicamus, quòd Plinius quanquam lib. xiij. cap. 11. vbi gummi multas ſpecies tractat, dicat iuniperi gummi ad nihil vtile eſſe, contrarium tamen hoc noſtro tempore percipimus, quũ ad multa nedũm vtile, ſed perquam neceſſarium facilè dixerim, fit: fit enim ex eo & oleo ſeminis lini, Vernix liquida, qua pictores pro luſtrandis picturis & imaginibus vtũtur, non minus ea quoq; enſes, ficæq;, & cultri, velut alia ferrea ornamenta, decoris gratia oblinuntur. Valet prętera ad igniũ combuſtiones, non minus quoq; excellens eſt contra tumores hæmorrhoidarũ & ipſarum dolores. eſt verò gummi aridum hoc iuniperi, calidum & ſiccum in primo ordine: quod vt Serapioni placet, ex Iſaac Eben ambrá, ſanguinem ex naribus profluentem ſiſtit, præſertim ſi oui albumini immixtum fronti & temporibus applicetur, fluxum menſium retinet, non minus vomitionem cum polline thuris & oui albumine exceptum, ſupprimit, firmatq; profluentem aluum, tineas & cæteras lumbricorum ſpecies necat, fiſtularũ ſinus reſiccat, manuũ & pedum hiantibus rimis illitu ſuccurrit, & vt ſummatim dicam, ſuccini, charabe dicti, vires obtinet. Paratur verò ex iuniperi ligno per deſcenſorium aut alambicum vitreum, oleum,

Sandaracha græcorum corrodens eſt.

Sandaracha græcorũ an tuto per os dari poteſt.

Vernix quomodo paratur.

Gummi iuniperi, calidum & ſiccum primo ordine.

non

non nisi ad multa vtilissimum, præsertim ad paralysim, spasinum,& iuncturarum dolores à frigiditate ortos. Lignum verò iuniperi,vt testatur Galenus lib.vj.de Facult. simpl.medic.calidum & siccum.3.ordine est,fructus verò similiter calidus, sed siccus primo tantũ. Nec prætereundum tamen est hoc loco, id quod chimistæ aiunt, scilicet, si ex iuniperi ligno carbones accensi,cum eiusdem cinere cooperti manserint,quòd per integrum annum sic perdurabunt accensi. Non minus hic taxandi à me Hispani veniunt, oleum sua voce (meram) dictum, quo ouium scabiem depellunt,iuniperi esse credentes,quum reuera,non iuniperi sed cedri potius oleũ sit: causa tamen erroris est, quia cedri arbores adeo iuniperis similes sunt,vt nõ facilè sit alias ab aliis discernere,vt capite de cedro dicemus.

Mera oleũ apud Hispanos.

DE SABINA.

Græcè,βράθυ ἡ βράθυς,τὸ βόρβορον Diodoro. quod alij βάρβορον ἢ βάρυρ ἡ βάραθρον: Latinè,sabina, Hispanicè, Italicè, sabina: Arabicè, Abel, Abhel, Alharar: Gallicè,Sauinier,Germ. Sauenbaum.

Sabina.

Enarratio XCIIII.

Sabina.

SAbina officinis sauina dicit,cuius duo genera vulgatissima sunt: alterum cupressi folio, alterum vero tamarici simile : perpetua enim hæc coma viresc unt, proinde topiariis non immerito quoque reponuntur. Nõnulli autem crassa ignorantia obcæcati, loco sabinæ,quandam accipiunt herbam in montibus nascentem, cuius folia sabinæ simillima sunt, sed odore & sapore longe differẽtia; quam Plinius (mea sententia lib.xxiiij.) cap.11.

Selago herba.

selaginem appellat, quum dicat: similis herbæ huic Sabinæ est selago appellata. Legitur sine ferro dextra manu per tunicam, qua siniſtra exuitur velut à furante, candida veste vestito, pureq; lotis nudis pedibus, sacro facto prius quàm legatur, pane vinoque: fertur in mappa noua. Hanc contra omnem perniciem habendam prodidere Druidæ Gallorum, & contra omnia oculorum vitia fumum eius prodesse. Hæc Plinius. De sabinæ viribus ita refert Galenus. 6. de Facult. simpl. medic. libro, Sauina quantum in acrimonia cupressum vincit, tantum ab eo superatur in astrictione: quare illo & calidior est, & potentius digerit: quin & similiter cupresso putredinibus accommodari potest, maxime vbi rebelliores fuerint, & diuturniores: Carbunculos item soluit, mensesque, vt si quid aliud, essentiæ tenuitate prouocat, & sanguinem per vrinas mouet, fœtum etiam viuentem interficit, & mortuum adducit. Est autem hoc medicamen tertij ordinis tum excalfacientium tum exiccantium, ex numero eorum quę maxime tenuium sunt partium.

Sauina calida & ſicca in 3. ordine.

DE CEDRO.

Græcè, κέδρος: Latinè, Cedrus, Arabicè, Serbin, Gallicè, Cedre, cuius resina κεδρία, Cedria, Arabicè, Kitran, & Alkitran, Germ. Ceder.

Enarratio XCV.

Cedri duæ ſpecies.

CEdri duæ sunt species, altera procera, reliqua verò humilis, quæ à iunipero difficulter discernitur, imò præterquam fructu inter se non differunt, quum iuniperi niger cyaneo colore perfusus sit, cedri verò fructus ad ruborem quendam declinans conspicitur, qui cedris dictus, boni est odoris, & antequam ad integram perueniat maturitatem, alter nascitur nouus, adeo vt in eadem arbore, & vetus & nouus semper reperiatur fructus: is enim in cibo sumptus vt testatur Galenus secundo de Alimentorum facult. libro, nullum corpori alimentū præbet. Insunt enim cedro, folia aculeata, nec vnquam quoq; cadentia. Lignum porro huius arboris, durissimū solidissimumq; est, adeo vt eo antiquitas tanquam corruptionem nunquam sentiente, in templis, instar lapidum vteretur. Crescunt

scunt enim cedri, in insula Maderiæ, tanta proceritate, vt cæteras illic superare dixeris arbores, non minus quoque in insula Cypri atq; in Syria felicissimè crescunt, ex quibus liquor quidam fluit, & ex eo oleum paratur coloris subrufi, quo hodie pastores ad antiquorum imitationem pro ouium sanandis vlcerationibus à tonsura derelictis, veluti scabie, vtuntur. Hoc verò Hispani sua voce (merã) vocant, & iuniperi oleum appellant, non sine errore tamen, quum arbores illę ex quibus meram colligunt, cedri sint, non verò iuniperi, iuniperi tamen illas esse credunt, non minus ac Istriæ incolæ, apud quos cedri in maxima proueniunt copia, qui & Iuniperos, non verò cedros, eas appellant. Pix quoq; ex cedro paratur, cedria dicta: de qua & cedri viribus, Galenum audiamus lib. vij. de Facultatibus simplicium medicamentorum, vbi Dioscoridem mea sententia interpretatur, præsertim in iis quæ ad cedri liquorem faciunt, sic enim Galeni veluti pro coronide habentur verba, vt in Epitome per doctissimum Andream Lacunam legitur: cedrus specie est duplex, altera fruticosa iunipero assimilis: altera arbor non exigua, vtraque est calidæ siccæque temperaturæ tertij quodam modo ordinis, secundum vtrunq;. Cæterum cedria (vocatur ita cedri oleum) quartum etiam ordinem attigisse videtur, admodum calida & tenuium partium, quare mollem viuentium carnem prompte, citraq; dolorem putrefacit: Nam mortuorum corpora exiccat, simulq; à corruptione tuetur, vtpote humiditates eorum depascens, at solida haud quaquam attingens corpora. Nec mirum videri debet, si cùm tanta vi polleat, lendes, pediculos, tineas, auriumque vermes interficere valeat, tum fœtum viuentem quidem interimat, extinctum autem eiiciat, quemadmodum & ipsum semen, si coeundi tempore, pudenda eo circumlinantur. Proinde partui aduersum est medicamen: quod etiam dentium foraminibus instillatum, eos & confringit, & à dolore liberat: extenuat quoq; oculorum cicatrices, & visus hebitudini ab humorũ crassitudine ortæ medetur, vtuntur autem ea plebeij, quum ad vulnera ouibus inter tondendum à forfice illata, tum etiam contra ipsarum scabiem & ricinos, quos κρότωνας vocant: at fructus moderatiores existunt, adeo vt comedi possint, quaquam

Mera oleũ cedri.

Pix cedri cedria dicitur.

si iis liberalius vtare, capiti dolorem inferent, ardoremq; ac morsum in ventre percipies, hactenus Galenus. Non libet ab hoc loco prius discedere, quàm resinarum, & gummi amicitias odiaq; recensеam, sunt enim nonnullæ quæ aquam, spreto oleo velint: sunt quæ oleũ contrà aqua reiecta: sunt quæ neutrum, quæ igitur oleum amant, & cum eo amicitiam habent hæc sunt.

OLEVM AMANTIA.

Mastix.
Thus.
Sandaracha iuniperi.
Euforbium.
Styrax calamita.
Colophonia.
Benzuinum.
Resina Pini.
Terebinthi resina.
Camphora.
Gummi elemi.
Oppoponax.
Sagapenum.
Chalbanum.
Assa fœtida.
Ladanum.
Pix naualis.

AQVAM ET NON OLEVM.

Gummi Arabicum.
Lacca.
Drachantum.
Sanguis Draconis.

NEC OLEVM NEC AQVAM.

Ammoniacum.
Bdellium.
Myrrha.

DE LAVRO ARBORE.

Græcè, δάφνη: Latinè, laurus: Hispanicè, laurel, loureiro: Italicè, lauro: Gallicè, laurier: Arabicè, haur, & har, Germanicè, Corberbaum.

Enarratio XCVI.

LAurus arbor illa quondã Apollini dicata, qua triumphantes in coronis vtebantur omnibus nota est. Cuius duo genera habentur, domesticum & sylvestre, parum inter se differentia, vt Dioscorides in præsenti innuere videtur: baccæ verò lauri in officinis adseruantur, ex quibus

Laurus.

quibus & oleum vt diximus & electuarium ab illis denominationem trahens concinnatur, non nisi morbis frigidis conueniens: vnde Galenus libro sexto simplic. ita de lauri viribus tradit: huius folia calfaciunt & siccant vehementer, at fructus adhuc vehementius: radicis cortex minus quidem acris est, & calidus, verum magis amarus, habetque etiam astrictionis nonnihil: quamobrem & calculos confringit, & iecori prodest. Bibitur ex vino fragrante trium obolorum pondere.

DE PLATANO.

Græcè, πλάτανος: Latinè, platanus: Italicè, platano, Arabicè, Dulb, Gallicè, Plane, Germanicè, Bei denteutschen vnbekannt.

Enarratio XCVII.

PLatanus rarò hodie conspicitur, nec mirum quum olim exquisitis illecebris nutrita, in solo Italo dedignaretur, vteumque tamen, Ferrariæ duæ visuntur arbores, folio vitis, ampliore ac multifido, apud Neapolitanos verò frequèter crescere audio, de qua Plinius abūde lib. xij. cap. 1. ita inquit: sed quis non iure miretur, arborem vmbræ gratia tantum, ex alieno petitam orbe? Platanus ea est, hæc per mare Ionium in Diomedis insulam, eiusdem tumuli gratia primum inuecta, inde in Siciliam transgressa, atque inter primas donata Italiæ, & iam ad

Morinos vsq; peruecta, &c. Hæc vero Arbor, adeo vinum amat, vt eo irrigata enutriatur, prosperéque crescat, vt citato loco Plinius quoq; meminit, quem legere ne pigeat, quum varia ex Licinio Mutiano consule in Lyciæ prouincia legato non nisi lectu iucundissima referat. Galenus vero platani vires attingit, libro viij. de Facul. simpl. medic. sub iis verbis: Humidioris frigidiorisque essentiæ est, non ita multo quàm symmetra: proinde folia viridia trita & illita, non obscure nascentes phlegmonas adiuuant: cortex & pilulæ magis deficcantem vim obtinent, vt ille quidem in aceto coctus ad dentium adhibeatur dolores, pilulæ vero cum adipe, ad vlcera ambusta. Vitandus est puluis foliis arboris insidens: alioqui si attrahatur spiritu, arteriam offendit, valenter siccans, exasperansq; nec non vocem lædit, sicuti & auditum & visum, si in oculos aut aures inciderit.

Platani vires.

DE FRAXINO.

Græcè, μελία: Latinè, fraxinus: Hispanicè, freſno, frexo: Italicè, fraſſino, Gallicè, fraiſne: Germanicè, æsch, oder æschbaum, steynerschern:

Enarratio XCVIII.

FRaxinus, vbiq; nota arbor est, non nisi serpentibus infestissima: vnde Plinius libro suę naturalis historię, fœdissime proculdubio hallucinatur, quum quæ Theophrastus, mylaci, id est Taxo arbori venenosæ tribuit, ille nominis vicinitate deceptus, non mylaci, sed potius meliæ, id est fraxino, tribuit, vt apud illum est legere libro xvj. capite 13. vbi fraxini folia iumentis mortifera, & lethalia esse tradit, quum tamen non meliæ, id est fraxini folia Theophrastus venenosa esse scripsit, sed mylacos, id est taxi. Nam tantum abest, vt fraxini folia venenosa & mortifera sint, vt ea potius præsentaneum antidotum contra veneni omne genus reputentur, vt ibidem quoq; ille non negat, & nos centuria prima Curationum nostrarum abũde indicauimus, præcipuè vbi curationem demorsæ puellæ à vipera describimus. Cæterum, in fraxinorum summitatibus folia quædam crassa amygdalarum magnitudine reperiuntur, intra quæ semen reconditur,

Plinius errat.

Fraxini folia aduersantur veneno.

ditur, seminis melonis magnitudine, aromatici quid habens, quod officinæ, linguam passerinam, siue linguam auis appellant, ad irritandam Venerem accommodatissimum: De quo Plinius cap.8.lib.xxiiij.memoriam facit, dicens: fraxinus, quam vim aduersus serpentes haberet, indicauimus, Semen foliis eius ineſt, quæ medentur iocineris & lateris doloribus in vino, aquam quæ subit cutem extrahunt, corpus obesum leuant onere sensim ad maciem reducentes, hæc Plinius: ex quibus Manardum perperam dixisse comprehendimus, quum ab antiquis de hoc semine nullam fieri mentionem, lib. xj. suarum epistolarum, epistola secunda tradat: fateri tamen est, quòd huius seminis vis, ad venerem faciens, incognita priscis fuerit, quod Arabes, Serapio præcipuè linguam auis nominat, quia cum auicularum lingulis quandam cõtrahat similitudinem, vel potius, lingua auis semen hoc dicitur, ad imitationem linguæ anserinæ, quæ vt multi credunt venerem stimulat. Cæterum, est semen hoc calidum in secundo gradu, cum quadam humiditate, vt Serapioni placet, qua mediante venerem irritat.

Lingua passerina.

Manardus errat.

Lingua passerina siue lingua auis calida in secundo ordine.

CONSTANTINVS.

CArpitur Plinius à Mathiolo Senensi medico ad Galenum, & ad Dioscoridem herbario (cuius etiam assecla in hac parte Amatus Lusitanus, & in multis imitator atque reprehensor) quòd lib.xiij.cap.16.dixerit fraxinea folia iumentis mortifera, cæteris ruminantibus innocua, ex Græcorum authoritate: quum hoc ipsum Theophrastus Taxo ascripserit. Sed profecto ab hac calumnia exonerandus est Plinius noster: Primùm quòd hoc pro vero non astruat, imò liquidò testetur, id non verum in Italia deprehendi. Secundo loco, quòd absurdum non sit, eandem facultatem differentibus plantis genere, à diuersis authoribus attributam, & tantum à Plinio recitatam. Neuterq; mihi probat, Plinium qui omnium optimè luculenter Græcè sciret, tam facilè vicinitate nominum aberrasse, vt ipsi causantur, aut potius criminantur. Et si quæso, quæ nominum affinitas in his vocibus Græcis σμίλαξ & μελία? id est. Taxus & Fraxinus, de quibus, vicinis Capitibus egit ipse Plinius nominatimq; perscripsit libr. xvj. cap.10. Taxum ipsam à Sestio smylacem appellatam esse. Sed ambo dum ambitiosè græcari studeni & videri vo-

lunt in his doctrinæ literis tantum profecisse, vt vtriusque linguæ peritissimum Plinium, inscitiæ coarguant, profecto vel in grammaticis, suam produnt imperitiam, quòd vtriusque causa doleo. Siquidem μίλαξ per iota & σμίλαξ Græcè dicitur. Sed pro hederæ specie & frutice quē describit Dioscorides. lib.ij.cap.176. qui & νικοφόρος cognominatus est, cuius duo genera ponit Plinius lib.xxij.cap.10.& lib.xxj.cap.9.recenset inter Coronarias, de hac planta intelligendum apud Platonem ij. de Rep. illud, κατακλινέντες ἐπὶ στιβάδαν ἐστρωμένον σμίλακίτε καὶ μυρκρίναις discumbentes in toris & smilace & myrto adornatis. Et apud Aristophanem in Nebulis, μίλακος ὄζων smilacem olens. Quinetiam ea scriptura smilax legitur apud Plinium lib.xvj. cap.6. pro Ilicis specie & aquifoliæ. σμύλαξ verò per ypsilon est arbor quæ θύμαλος ἢ θύμιον & à Romanis taxus dicta est teste Dioscoride lib.iiij. cap.8.& lib.vj. cap.12.& Plinio lib.xvj. cap.10. non autem μύλαξ, vt legit Amatus Lusitanus apud Theophrastum: μύλαξ enim ea scriptura idem est quod μυλία, siue μυλίας λίθος, lapis molaris. Atque ita semper distinctum inuenies in omnibus emendatis codicibus, Verùm isti, vt adnotauimus de Baccaris, & Baccharis, de Caßiæ & Casiæ (ita enim Cneoron vocauit Hyginus apud Plin.lib.xij.cap.19.) differētia, scripturæ cōfusione se se implicant & alios credulos pertrahunt in errorem.

DE POPVLO ALBA.

Græcè, λεύκη: *Latinè, populus alba: Arabicè, Haur: Hispanicè, alamo blanco: Italicè, albero, pioppo bianco: Gallicè, Tremble: Germanicè*, Meisser Alberbaum, oder vveiss popel vveiden.

POPVLVS NIGRA.

Græcè, αἴγειρος: *Latinè, nigra populus: Hispanicè, Alamo nigrilho: Italicè, oppo pioppo nero: Gallicè, tremble, peuplier: Arabicè*, Haur Romi.

Enarratio centesima.

NOn solum ad ripas fluuiorū regis Eridani seu Padi Ferrariam perlabentis, populi arbores nascuntur, de quibus poëtarum extant fabulæ: sed variis aliis in locis prospere

prosperè crescunt, ex quibus, tenellos cauliculos, pro cõficiendo myracopo, id est, vnguẽto populeo, officinarum magistri colligunt: quo medici pro extinguendo capitis & renum ardore, frequentissime, illitis fronte & temporibus, renibusque ipsis, ardentissimis in febribus vtuntur: an verò bene, in dubium vertamus, quum vetus Galeni translatio, ἀίγειρον calidam in tertio gradu esse constituat, cui opinioni Serapio & Auicenna cap. 344. fauent, eam in tertio caloris gradu collocantes: à quibus nec Oribasius dissentit lib. ij. ad Eunapium, & lib. xv. ad Iulianũ Cæsarem, quum eam inter calida tertij ordinis medicamenta adnumeret: quæ si vera sunt, proculdubio vnguentum populeum potius calidũ quàm frigidum censendum est. At revera, res ipsa non ita se habet, quum vnguentum populeum prope tertium gradũ frigiditatis, à doctissimis indicetur, & quotidiana experientia ita esse attestetur. Proinde populum frigidam esse, vel saltem non calidam necessarium est, id quod castigatissima emendatissimaque Galeni versio Venetiis excusa ita esse ostendit, quũ lib. vj. Simplicium, ægirum non calidam tertio recessu legitur esse, sed potius primo, vt Paulus Aegineta, verborũ Galeni verus interpres, in sua medicina quoque scripsit, eam scilicet calidã in primo ordine collocans. Quibus Constantinus monachus author non vsque quaq; aspernabilis consentit, imò natura ipsa arboris, & proprietates, satis indicant calidam nõ esse, quibus magis credere debemus, quàm omnibus hucusq; de ea scribẽtibus. Nam arbor ipsa parum est odorata, nec eximio aliquo sapore prędita dum gustatur, quæ qualitas errare nunquam permittit, imò ea mediante, medicamentorum temperaméta indaganda præcipuè sunt. Primo nanque modice astringit, obscuram quandam amaritudinem post se relinquens, quæ omnia exiguam caliditatem, vt nostis, arguunt. Itaque populum ad frigiditatem potius quàm caliditatem inclinare in confesso est. De alba vero populo, quòd frigida sit temperamento, non est dubium, vt testatur Galenus, lib. viij. dicti voluminis, sub iis verbis: Leuce, ex aqua tepida, & terrena extenuata essentia cõflatur, quamobrem & abstergentis facultatis est particeps. Hæc Galenus. Cæterum multi innixi iis verbis Dioscoridis (scilicet

Populus arbor frigida est.

Electrum. licet fertur vtriusque populi lachryma circa Eridanum fluuium, in distillando densari, fierique quod electrum Græci, Romani succinum vocant) crediderunt electrum siue succinum, quod carabe Arabes appellant, & vulgus alambrum, populi gummi esse, non animaduertentes Dioscoridem aliorum opinione, verba illa retulisse, & falsa reliquisse minimeque approbasse, quum re vera, vt Plinius aperuit, non populi gummi aut ipsius lachryma electrum siue carabe est, sed potius vt libro trigesimo septimo, capite tertio legitur, Arboris cuiusdam pineæ similis, sic enim post multas & varias de illo citatas opiniones, quas explosas & extirpatas relinquit, veram ad istum modum prosecutus est, dicens: Certum est gigni in insulis Septentrionalis Oceani, & à Germanis appellari glessum, itaque & à nostris vnam insularum ob id Glessariam appellatam, Germanico Cæsare ibi classibus rem gerente, Austrauiam à barbaris dictam. Nascitur autem, defluente medulla pinei generis arboribus, vt gummi in cerasis, resina pineis, erumpit humoris abundantia, densatur rigore, vel tepore autumnali, quum intumescens æstus rapuit ex insulis certè in littora expellitur, ita volubile, vt pendere videatur, atque considere in vado, quod arboris succum esse prisci nostri credidere, ob id succinum appellantes: hactenus Plinius. Cuius verba vera esse hodie cognoscimus, quum in mare Germanico Baltheo dicto, electrum siue succinum ex quo preculæ siue coronę fiunt colligatur & nusquam alibi: quòd vero gummi arboris pineæ simile sit, ipsius in attritu pineus odor attestatur, imò qui è Dantisco vrbe libera apud Germanos, nobiscum versati sunt, tanquam de re conspecta iudicium suum ferebant, nec in re aliqua à Plinio dissidebant. Nascitur enim electrum, liquidum tanquam pini resina, quod quum musteũ fluit, formicas, muscas, paleas, & alia rapit, quæ omnia postea in eo densato, videntur, vt Martialis hoc disticho complexus est.

Quum Phaëthontea formica vagatur in vmbra,
Implicuit tenuem succina gutta feram.

Vario porrò colore electrum reperitur, quod ad se festucas & paleas trahit velut magnes ferrum. Ex hoc enim electro pastilli olim pro sistẽda sanguinis fluxione Græci parabant,

parabant, quos Arabes quoq; sub nomine caraber pro eodem effectu construunt, & in officinis hodiernis repositi habentur. Valet autem flauum electrum ad multa, nam pueris pro amuleto cõtra fascinationes appenditur, Contra dysuriam quoq; bibitur. Album vero cũ aqua stillata è raphano nephritim curat ebibitum, nec minus cordis tremori, & orthopnœæ prodest: nam insperſum rhagadibus, dolorem & pruritum præsenti auxilio mitigare traditur. Cæterũ lapis lyncis officinis hodie sic nominatus, electri species quędã est, quam lyncuriũ, siue pterygophorum, id est plumas trahentẽ, Græci appellant: nõ verò vrina lyncis est, velut pharmacopolæ dicunt lupi ceruarij concreta, vt recte admodum Dioscorides lib. ij. cap. de vrina aperuit.

Lapis lyncis.

DE MACERE.

Græcè, μάκης & μάκις: Latinè, macer, macis, cortex nucis moschatæ: Hispanicè, macias, macas: Italicè, macis: Gallicè, Macis: Arabicè, Thaliffar, bisbese, Germanicè, Macis, oder Muscatblueet.

Enarratio c 1.

NOn approbo illorũ iudicium, qui macerem à mace officinarum diuersum esse statuunt, quum revera, antiquorum macer, macis nostra sit: cortex scilicet subrufus, crassus, & in gustu astringens, qui ex India ad nos adfertur, quem Galenus intelligens, clarius de eo lib. vj. Simplicium, ita prodidit, dicens: macer cortex est, qui ex India aduehitur, gustu multum acerbo cum leuicula quadam acrimonia odorata, constat autem ex mista essentia pleraq; terrena frigida, paucula vero calida, & tenuiũ partium, itaq; valenter desiccat, astringitq; ob idq; cœliacis & dysentericis medicamentis miscetur, in tertio exiccantium consistens ordine: in caloris frigorisq; discrimine, neutrum insigniter præstans. Iis enim Galeni verbis facile quis nisi contumax sit, dicet, Galenum, nostrum macem descripsisse, quum corticem esse dicat, ex India aduectum, & inter aromata habitum, quæ omnia huic respondent. At hodie multi rerum nouitate gaudentes, omnia in dubium trahunt, affirmantes, omnia fere

Macer & macis idẽ.

officinarum medicamenta, antiquis incognita fuisse, id quod olim Lud. Viues Valentinus vir sanè doctus, mecum querebatur, quum tamen pauciſsima hodie habeantur, de quibus priſci mentionem non fecerint: fatendum tamen est, quòd antiqui de macere tanquam de re obſcura, & non satis illis cognita locuti sunt, quod mea sententia, magis temporum anguſtiis, quàm illorum ignorationi tribuendum reor, quo factum est, vt Plinius libro vigesimosecundo, capite octauo, tanquam de re sibi incomperta, vt ipse quoq; fatetur, dicat: Macerem corticem rubentem magnæ radicis, nomine arboris suæ esse, qui ex India aduehebatur. Nouerunt enim omnes macerem, sed vnde colligebatur, aut ex qua re extrahebatur ignorarunt, imò non diu est exactè huius rei vera habita cognitio, quum ante repertum pomum, & vt ita dicam excorticatum, ex quo maces extrahuntur, multa & falsa de mace circumferebantur. Qui igitur deinceps veram macis hiſtoriam tenere deſiderat, aures præſtet, quum de re nobis millies conſpecta sententiam feramus. Est enim pomum, quod non diu ex India ad nos saccaro confectum deferri cœpit, magnitudine qua pomum Perſicum, rotundum, obſcuris quibuſdam lineis interſectum, nam color illi Perſici quoq; ineſse videtur. Huius autem pomi caro suauiſsima ac guſtui gratiſsima est, & cordialis: & ea de cauſa, eius libra quatuor venditur aureis ducatis, poſt excorticatum autem pomum, prope centrum, cortex quidam cancellatus rufus apparet, os non exacte tegens, qui cortex, macis siue Græcorum macer est, craſſus, adſtringens, suauis, ſtomacho & cerebro conducibilis, qui non exacte calidus, inter nobilia aromata connumeratur. Nam os ſubtus corticem iſtum apparens, nucleum intus habet, qui moſchata nux dicitur, tabernis, & pigmentariis familiariſsima admodum aromatica, quæ & ipſa, capiti vtilis & ſtomachalis est, matrici amica: quã Hermolaus Barbarus & poſt eum Manardus, aliique viri doctiſſimi, nucem myriſticam appellari contendebant, quàm vero bene, iudicent lectores, quum nomen hoc glandi vnguentariæ ex directo reſpondeat, quam Græci βάλανον μυριστικὴν ſua voce appellant, vt lib. iiij. videre licebit.

Macis quid ſit.

Nux moſcata.

DE

DE VLMO.

Græcè, πτελέα: *Latinè*, *vlmus*: *Hiſpanicè*, *vlmo*: *Italicè*, *olmo*: *Gallicè*, *orme*: *Arabicè*, *Didar*, *Dirdar*, & *Luzach*, *Germanicè*, Rueſtholtz, Vlmerbaum, Lindbaſt, & yffenholts, & ylmen.

Enarratio CII.

VLmus hæc illa arbor eſt, quæ viridis facile ceditur, ſicca verò valde difficulter: Cuius Plinius quatuor enumerat genera, libro decimoſexto capite decimoſeptimo, Columella duo tantum, quæ Italiæ familiariſsima ſunt, & vitibus ſuſtentandis accõmodatiſsima. Inueniuntur enim in vlmo veſiculæ quædam in quibus gummi, ceu lentus ac glutinoſus humor quidam reperitur, ex quo culices, proprie cnipedes dicti, generantur. Valet enim gummi vlmi, ac præſentiſsimum remedium eſt puerorum rupturis, modo ſub brachiali, ligatura dicta, vt decet, apponatur. De vlmi vero viribus, ita Galenus, libro octauo de Facult. ſimpl. medic. inquit. Vlmi foliis quandoq; recens vulnus conglutinauimus, confidentes aſtringentem ſimul & abſtergẽtem ineſſe eis facultatem. Cæterum cortex magis amarus eſt, aſtrictoriuſq; magis: itaq; cum aceto & lepras ſanat, quod ſi viridis circum ligetur vulneribus, ea glutinare poteſt. Radices etiam eandem vim obtinent, quarum decocto, ſunt qui perfundant fracturas, quæ callo obduci deſyderant. *Cnipes in vlmo.*

DE LIGNORVM CARIE.

Græcè, σαπρότης ξύλων: *Latinè*, *lignorum caries*: *Hiſpanicè*, *carcoma demadera*, *caruncho de legno*: *Italicè*, *tarlatura di legno*: *Germ.* Vurmmel.

Enarratio CIII.

HOdie quoq; ad ea quæ Dioſcorides commendat. lignorum carie medici vtuntur, præſertim pro vlceribus abſtergendis. Conſonum tamen eſſet, ſi Guaiaci ligni cariem haberemus, ea in purgandis morbi Gallici

vlcer

vlceribus vti: vnde Galenus hæc animaduertens, inquit libro octauo simpl. caries lignorum, & maxime quæ particeps est astrictionis, velut vlmus, expurgat, impletq; vlcera humida.

DE HARVNDINE.

Græcè, κάλαμος: Latinè, calamus, harundo: Hispanicè, canhas: Italicè, canna: Gallicè, canne: Germanicè, Ror.

Enaratio. CIIII.

Harundinis omne genus circa radicem efficacius est Mathiolus in calamo aromatico errat.

HArundinis, quinq; tantum genera, vt communiora, & vsui hominum magis euenientia, Dioscorides in præsenti enumerat, quanquam Plinius libr. xvij cap. 36. & li. xxiiij. cap. 11. illius viginti nouē potius assignet, vbi vt capite de calamo aromatico adnotauimus, Plinius inquit, harundinis omne genus, circa radicem efficacius esse, quod dictum ad memoriam reuocatum velim, propter illos, qui contumaciter admodum contendunt, quòd calamus aromaticus, non radix, sed harundo esse debet, ex quibus, vnus mihi nominandus venit, Mathiolus Senensis in suo Dioscoride Hetruscè loquente. Primum itaq; genus à Dioscoride descriptum, nastos dicitur: harundo scilicet enodis, solida, concreta, & leuis, ex qua Syriaci & multi alij sagittas parant. Nascitur enim vt testatur Plinius, & nos ipsi propriis vidimus oculis, in rheno flumine Bononiensi. Secundum verò genus, comparatione ad primum fœmina dicitur, pro tibiis parandis commodatissima. Tertium autem fistulare dicitur, harundo scilicet, ex qua optimi parantur calami, de characteribus pingendis seruientes, quibus hodie viri literati vtuntur. Reperitur enim variis in locis tum apud Hispanos, tum etiam apud Italos, præcipuè apud Fauentinos, circa eam vallem quam Ammonis appellant. Quartum quoq; genus nō minus notum est, quod Cyprium, vel harundo Cypria dicitur. Quintum vallaris harundo est, communis: quæ ideo vallaris vel spicularis nominatur, quia vallis sepibusq; vtilis est, quin etiam, ex ea pedamenta pro erigendis à terra vitibus, multis in locis parantur, hanc Theophrastus cap. 12. libri quarti de Historia plantarum, crassam & validam, vt pote

vallat

vallatoriã desiderat: Dioscorides verò in præsenti potius gracilem commendat, vnde hic apud Dioscoridé mendam subesse crediderim, quum revera pro texendis sepibus erigendisq; pergolis, ac apparandis baculis, crassior & validior, melior est. Harundo omnium consensu, inimica filici est, & contrà: At asparagis omnino amica, adeo vt perbelle asparagi ad radices harundinum sati, crescant. Plinius inter harundinis genera, adarcham etiam connumerat, quum tamen re vera, adarcha harundo non sit, sed potius gelata quædam salsugo harundinibus adhærens, vt ex ipso Plinio cap. 10. comprehendi potest, & Dioscorides li. v. cap. 91. prius docuit, proinde Plinium hac in re errasse, notum est, quocirca consultius mea sententia Colenucius feciſſet, si hunc Plinij errorem admisisset, quàm dum illum defendere cupit, in tam fœdum errorem incidere, vt belle in illum, vulgatum illud carmen possit quadrare, Incidit in Scyllam: nam & duas esse adarchas negatur, quarum â Dioscoride aut Galeno, diligentissimis alioquin harum rerum scrutatoribus, mentionem factam nunquam legimus, sed nos Colenucium virum alioqui insigni eruditione præstantem ad suos iurisconsultos relegamus. Sed iam harundinis generibus Zuccarum ferentem harundinem addamus, aspectu vallari simílem, sed solidam, concretam, succosam, & minime fistularem. Non minus quoq; harundinibus adiungendæ sunt radices hodie è Cinnarum regione ab Indis aduectæ, quas contra morbum Gallicum valere, omnes dicunt, & illis cõtra podagram Carolus Quintus Imperator, authoritatem dedit, de quarũ viribus prostat libellus vbiq; venalis, per doctissimum Andream Vesalium Bruxellensem conscriptus: tibi vero lector caput de ebeno legere ne pigeat. At de harundinum facultatibus ita tradit Gal. libro septimo de Facul. simpl. medic. Calami phragmitis radix, cum bulbis, aculeos, sagittasq; infixas extrahere ex alto traditur: etenim abstergentem minimeq; acrem facultatem sortitur, quemadmodum & ipsa folia, cortex vero combustus, admodum tenuium partium, & digerentis facultatis efficitur cum nonnulla absterſione, vt exiccet, & calfaciat, tertio quodammodo ordine, cæterum eius flos est vitandus: nam si in aures incidat,

Textus Dioscoridis corruptus.

Adarcha. Plinius erat.

Radix cinnarum.

adeo

adeo tenaciter hærens affigitur, vt auelli non possit, auditumq; vitiet.

DE PAPYRO.

Græcè, πάπυρος: Latinè, Papyrus: Vulgo, papiro.

Enarratio CV.

Papyrus. PApyrus, Alexandri Magni victoria, vt Plinius refert libro decimotertio capite vndecimo, ex Varronis mente, ad chartarum vsum inuenta fuit, quum antea palmarum foliis, atq; arborum libris vterentur, cui studia bonarum artium multum debent, atq; magis quum chartæ vsu, maxime humanitas vitæ constet, & memoria. Præsens tamen papyrus, in Aegypti paludibus nascitur præcipuè illis, quibus aqua duos cubitos non excedit, crassitudine brachiali, & illa quidem triangulari, altitudine vero decem cubitorum, cuius interna pars pro parandis chartis olim seruiebat, non minus quàm hodie vetusti disruptiq; panni linei, ex quibus quoq; paratæ chartæ ad prioris imitationem papyrus nominatur.

Iuncus papyrigenus. Huius porro Aegyptiæ papyri genus, iuncus quidam est, qui ex India, senum & debilium hominum sustinendi gratia adfertur. Papyri vires prosequitur Galenus libro octauo de Facultatibus simplicium medicamentorum: Papyrus, oxycrato vinóve macerata, recentia vlcera glutinat, maxime in circulum circumposita, vt macerata sanantia medicamina excipiens: at vbi vsta fuerit, medicamen exiccatorium existit, vt chartæ combustæ cinis, hoc tamen cinis papyri est infirmior.

DE TAMARICE.

Græcè, μυρίκη Latinè, Myrice, tamarix, tamariscus: Hispanicè, eltarai, tamargueira, thamariz: Italicè, tamarigio: Gallicè, tamaric: Germanicè, Tamariſchken.

Enarratio CVI.

MYrica à Græcis quondam in maximo habita honore, arbor à nobis tamarix, seu tamariscus, dicta est, vt Plinius quoque fatetur libro xiij. capite 21. sub iis verbis: myricen

Myrica.

Myricen, & Italia fert, quam alij tamaricem vocant. Hæc vero rei rusticæ vulgo nota arbor est, folio cupressi, fructu vero gallæ, quanquam alicubi sterilis proueniat, quæ præcipuè apud auriferum fluuium, quem nos Tagũ appellamus, nascitur, licet quoque multis aliis in locis humidis prospere proueniat, coma perpetua, non minus quàm aliis variis euenit arboribus, vt abieti, pinastro, iunipero, cedro, terebintho, buxo, ilici, aquifolio, suberi, taxo, vnedoni, oleæ, & aliis. Ex huius vero arboris ligno, lienosis calices fiunt potorij, quos vniuersus medicorum chorus maxime laudat, tum Dioscorides, Plinius, Columella, Auicenna, & alij sexcenti. Est enim tamarix, medicina lienosis dicata, præcipuè radix & ipsius coma, nam ligni cinis, vt Serapio testatur mirifice omnia exiccat vlcera, quin etiam ea quę ab ignis vstione proueniunt prospere sanat. Qua de causa linimentis contra morbum Gallicum paratis, optimo consilio miscetur. Imò vt inquit Alkanzi duæ mulieres, lepra affectæ id est Græcorum elephantiasi, ad sanitatem restitutæ fuerunt, assiduo potu decoctionis tamaricis cum vua passa apparatæ, vnde mihi in animum subit credere, quòd omnes effectus, quos Guaiacum lignum efficit, tamarix efficere poterit, præsertim si eo victus ordine & successu, quo Guaiacum præbetur, concedatur: de cuius viribus Galenus lib. vij. de Facul. simpl. medic. inquit: Tamarix abstergit & incidentis est facultatis, absque perspicua desiccatione, habet vero etiam astrictionem nonnullam, igitur cum aceto decocta prodest lieni indurato,

Arbores perpetuæ coma uigẽtes.

Tamaricis vires.

sanat

ſanat etiam dentium dolores, fructus & cortex non paucam poſsident aſtrictionem, ac cinis myricæ, admodum deſiccatoriæ facultatis eſt, plurimam habens abſtergendi vim, aſtringendi pauxillam.

DE ERICA.

Græcè, ἔρεικη: Latinè erice, erica: Hiſpanicè, Luſitanicè, queiro: Gallicè, bruyere: Theutonicè, Heyd.

Enarratio CVII.

Erica.

IN inuenienda erica, multi decipiũtur, credentes vtique fruticem vbique obuium, ericem eſſe, ex quo ſcopas, pro verrendis areis frumenti, & vuarum, rura parant, eſt enim frutex iſte bicubitali altitudine naſcens, ab vna radice multas virgas, & illas quidem digitalis craſsitudinis mittens: qua de cauſa, ex illis inſtrumenta aucupandis auiculis vbique parantur, nam folium roris marini, in acutum tendens illi eſt, flores vero ex albo rufeſcentes. Porrò, radix magna, prædura, fortis, conſpicitur, carbonibus aptiſsima materia. Vocant enim Hiſpani, ex iſta radice paratos carbones, carbones à breſo. Naſcitur enim frutex hic in vniuerſa Hiſpania, quem Luſitani noſtri, vrgueiram appellant, nõ minus quoq; variis aliis in locis naſcitur, præcipuè in Italia apud Hetruſcos, Patauinos, Fauentinos, Bononienſes, ac Anconitanos, quem Hermolaus Barbarus, Marcellus Virgilius, ac alij plures

plures, ericem esse autumarunt, sed revera nō sine errore, quum erica bis in anno floreat, frutex vero hic semel tantum. Est igitur erica planta fruticosa, tamaricis effigiem referens, vt tradit Plinius lib. xxiiij. cap. 9. dicens, ericem Græci vocant fruticem non multū à myrice differentem, colore roris marini & pene folio, & vt refert Theophrastus bis in anno floret, cuius floribus apes maxime oblectantur, & inde mel ericeum dictum, non adeo tamen bonum cōficiunt. Reperitur autē planta hæc frequens apud Hispanos, quam Lusitani nostri sua voce queirum vocāt: in Italia vero eam nasci dubito, quū hucusq; nullus illam mihi monstrare valuit. Scholiastes quidam Nicandri interpres hallucinatus est, quum ericē, hederæ folia habere tradat. Ne tamen ordinem prætermittamus, Galenum de erice audiamus. qui lib. vj. de Facult. simpli. medi. ita scribit: erice digerendi per halitum facultatem obtinet, flore eius potissimum ac foliis vtendum.

* *Nicandri interpres errat.*

CONSTANTINVS.

INterpres Nicandri est Diphilus, *quem etiam citat Scholiastes Theocriti in Eid. I. Eius autem hæc verba,* ἐρείκη ἢ ἄλθ βοτάνη φύλλα ἔχει τῷ πίσῳ παραπλήσια, μακρότερα ἢ περὶ Φαγώτερα: *Cùm exponit hos versus Nicandri in Ther.* λάζεο δ' αἰνὴν πίσσαν ταινιφύλλου ἐρείκης, ἧς τε μελισσαῖ πεφρίσσεται εὐλαμὸς ἔρπων.

DE ACACALI.

Græcè, ἀκακαλὶς: *Latinè, acacalis: Lusitanicè, camarinhas.*

Enarratio CVIII.

ACacalis, ab Acacali Minois regis filia est dicta, quæ ab Apolline viciata fuit, vt de ea Apollonius poëta in Argonauticis cecinit. Est verò acacalis planta, fructum ferens, album, rotundum, paruis margaritis persimilem, quem Lusitani nostri, sua voce camaruiham appellitant: nec enim crederem fructum istum, in Europa vniuersa, præter quàm apud Olysipponā crescere. Est enim planta hæc, vbi prædictus fructus nascitur, media inter myri-

cem & ericem; qua de causa Dioscorides prudentissime, quum de myrice & erice sermonem fecisset, de hac illico caput sequens constituit. Est porrò fructus iste, vt obiter hoc attingamus, esui gratus, quo mulieres & effrenati pueri in cibo frequenter vtuntur. In Aegypto verò nasci prospere Dioscorides testatur. At vbi Galenus de acacali locutus fuerit, aut sub quo nomine ignoramus: Paulus tamen sub propria dictione de acacali sic inquit: Acacalis fruticis in Aegypto nascentis fructus est, cuius dilutum collyriis claritati oculorum efficacibus miscetur: Verum Cacalia herba longe alia est, quanquam Plinius illi quoque fructum margaritis simillimum inesse dicat, vt quarto libro videre est.

Gal. acacalie non meminit.

Cacalia herba.

DE RHAMNO.

Graecè, ῥάμνος: Latinè rhamnus, vua crispa: Arabicè, Nausig. Hispanicè, Lusitanicè, scambrones: Italicè, marrucha: Germanicè, Stechdorn: Greussel beerbaum: oder grosselberbaum. *Gallicè, Bourg' espine, aliis groiselier.*

Enarratio CIX.

Rhamnus albus & niger.

RHamnum tam album, quàm nigrum, & in Hispania & Italia prospere crescere animaduerto, qui sepium ornamentum sunt, præsertim albus, cuius spinæ oxyacanthæ sunt similes, folia vero crassa, pinguia, oblonga, oliuæ magnitudine. Nam niger, vt testatur Dioscorides ramos cubitorum fere quinque in longitudine emittit, quibus spinæ insunt quoq;: sed infirmiores prioribus, porro fructus follicularis est, tenuis, candidus, rotundus, similis verticillo, in cuius medio nescio quid nigri conspicitur, vt Pisauri prope mare adnotauimus. Cæterũ errant Dioscoridis interpretes, qui huic textui addunt, rhamnum appellari leucacantham, id est, albam, spinã, vel spinam cerualem, quum proculdubio additicia verba, minime verò germana illa sunt, quibus instructus Ruellius Gallus hallucinatus proculdubio est, quum spinam cerualem, quam Hispani aluarem: Itali verò merlam, vel ceruinam, Galli autem burgam vel neprum appellant, rhamnum esse putauerit;

Dioscoridis interpretes errant.

Ruellius erat.

Rhamnus.

tauerit: quum re vera, cerualis hæc spina, nulli rhamni generi respondeat, nam folia lata fere piri habet, fructum verò nigrum, liguſtri baccæ effigie, quo pictores pro conficiendo perfectiſsimo viridi quodam colore vtuntur, vt libere fateri eſt, Ruellium hac in parte hallucinatum eſſe. Non minus profecto inaduertéter Ruellius hac in parte Theophraſtum adducit, quũ quæ Theophraſtus paliuri ſemini tribuit, ille ad rhamni ſemen refert, ſed in hoc lapſus facilis deprehenditur, quia poſtquam Theophraſtus de rhamno verba feciſſet, de paliuro loqui cœpit, & quæ paliuro cõueniebant, Ruellius non paliuro ſed rhamno potius conuenire putauit, quanta vero negligentia aut errore, quicunque Theophraſtum legerit facile deprehendet. Plinius vero ne illum prætereamus, lib. xxiiij. cap. 14. Rhamnum inter rubi genera collocat, vt ſtudioſo notum erit. At Galenus libro viij. de Faculti. ſimplic. medic. de Rhamno ita tradit: Rhamnus deſiccat & digerit exceſſu ſecundo, refrigerat in primo completo aut ſecundo incipiente: proinde herpetes ſanat, & eryſipelata non magnopere calida. Cæterum ad hæc teneris vtendum eſt foliis.

Ruellius taxatur.

DE HALIMO.

Græcè, ἅλιμος: Latinè, halimus: Hiſpanicè: Luſitanicè, ſalguadeiras: Gallicè blanceputain: Arabicè, Molochia.

Enarratio CX.

Halimus apud Salmanticenſes.

HAlimus frutex Rhamno ſimilis eſt, abſque tamen ſpinis, cuius folia oliuæ ſunt, molliora tamen, & candidiora, qui in ſepibus, & potiſsimum maritimis locis creſcens, ex ſe cauliculos profert, in cibo inſtar oleris laudatos. Naſcitur enim Salamancæ prope ædem diuæ Mariæ à Veiga, in cuius tutela Portugalenſes ſcholaſtici ſunt: ſed caueant ipſi, ne Rhamnum illic naſcentem, & hortos circumuallantem, me intellexiſſe putent. Hanc Mauri ſua voce, apud Chairum Aegypti vrbem opulentiſsimam, vendentes, clamant, molochia. Molochia, vt Serapio quoque nouit, raro tamen apud noſtrates in cibi vſum venit, quum variis & melioribus abundemus oleribus, apte tamen à ſapore ſuo ſalſo Luſitani, halimum ſalgadeiras appellitant, velut Aëtius halmyrum ob eandem ſcilicet ſalſuginem. Admonendus porro lector in preſenti à me eſt, ne verbis Dioſcoridis ductus, in errorem incidat, credens Albucum, halimum eſſe: quum re vera, Albucus aſphodelus ſit haſtula regia dicta. De halimo vero apud Galenum, abſque aſpiratione, lib. vj. de Facult. ſimpl. medic. ita legitur: Semen, & lac ſimul hæc planta gignit: eſtque guſtus acris & ſubſtringentis, ex quibus conſtat ipſam eſſe diſsimilarem: maior tamen pars eius temperate eſt calida, cum humiditate inconfecta, & leuiter flatuoſa.

DE PALIVRO.

Græcè, παλίουρος: Latinè, paliurus, agrifolium: Hiſpanicè, azebo: Luſitanicè, aziuinho: Germanicè, Melbeer.

Enarratio CXI.

NVllum in medicina eſt periculum maius, quàm grauiſsimorum authorum diſſenſiones, quorum præſertim authoritatibus fidem habemus, quum ex eis nonniſi queſtiones, altercationes, atque inde errores oriantur, quo malo nullum maius in hac arte excogitari poteſt: quod Plinius noſcés, libro 29. capite primo, dixit: Quum ſit periculum in nullo mendacio maius. Nec enim hæc abſque ratione in medium attulimus, quũ Agathocles paliurum in Ale

De paliuro varia ſententia.

in Alexandria nasci tradat, vlmi atque pinus amplitudine, folio viridi, rotundo, molli, ramis frequentibus, prælongis, in quibus fructus oliuis persimilis, bis in anno cõspicitur, qui & crudus & viridis manditur, quum verò exiccatur ex eo farina paratur, quę sic in puluere, nec aqua vel alia re subacta, comeditur. Theophrastus verò, vt nostis, grauissimus author, paliurum fruticem describit in siliquis semen ferentem vt apud illum quiuis videre potest libro iij. de Historia plantarum cap. 17. Plinius quoque non minus aliter paliurum depingit, libro 13. capite 19. dicens: Cyrenaica regio loton suæ postponit paliuro, fruticosior hæc fructuque magis rubens, cuius nucleus non simul manditur, iucundus per se, atque suauior è vino, quin & vina succo suo commendans. Hæc ille: quæ vt percipitis ab aliis multũ absunt. Dioscorides porro, vt de re passim obuia, eius exactam prætermisit historiam, vt tamen coniecturis assequi possumus, hic idem paliurus Dioscoridis, cum eo à Plinio descripto est, quem Theophrastus lib. 4. de Historia plãtarum eiusdem numeri capite, prius descripsit, & eum Afrum paliurum vocant. Trahunt autem in hanc me sententiam Plinij verba, libri vigesimi quarti capite 13. vbi paliuri vires prosequitur: quæ fere cũ Dioscoride ita habent: Paliurus quoque spinæ genus est, semen eius Afri zuram vocant, contra scorpiones efficacissimum remedium, item calculosis, & tussi, folia astrictoriam vim habent, radix discutit panos, collectiones, vomicas, vrinas trahit pota. Decoctum eius potum in vino aluum sistit: serpentibus aduersatur. Radix præcipue datur in vino, & cætera. Quæ omnia cum iis quæ Dioscorides suo tribuit paliuro conueniunt, Sed qualis hodie paliurus frutex sit, aut sub quo nomine in officinis habeatur, ne quis de nostra queratur diligentia, dicamus. Est igitur paliurus frutex, folia habẽs lauri, latiora tamen, crassa crispa, & per circuitum, spinis armata, cuius rami facile plicantur, colore viridi; is enim fructum fert rubrum colore, magnitudine, qua cedri fructus conspicitur, vocant verò fruticem istum rei rusticæ scriptores agrifolium, non verò aquifoliũ, nam agrifolium de quo à nobis mentio fit, frutici coccum id est granum ferẽti, simile est, quo Anthuerpiẽses monachi sectæ Franciscanæ hortum suum

Dioscoridis & Plinij paliurus idem.

quem habent excultiſsimum ſepiunt, & illius radicibus viſcum pro irretiendis auiculis paratur. De quo Galenus libro octauo de Facul. ſimpl. medic. ita tradit: paliuri folia & radix adeo perſpicue aſtringunt, vt fluxum ventris cohibeant, adeoque digerũt, vt mitiora phymata curent. At fructus tantam incidendi vim poſsidet, vt calculos veſicæ comminuat, & pectoris pulmoniſque excretionibus auxilietur.

DE OXYACANTHA.

Græcè, ὀξυάκανθα: Latinè, oxyacantha, acuta ſpina: Hiſpanicè: Luſitanicè, pirlitero piliriteros: Italicè, bagaia, amperlo, pane de orſo, barazzo bianco. Arabicè, Amirberis, & Amyrbaris: Gallicè, eſpine vinette: Offic. Berberis.

Enarratio CXII.

Oxyacantha.

Acuta ſpina.

QVi de oxyacantha hucuſq; ſermonem fecere, omnes vno ore fruticem berberos ferẽtem eſſe crediderunt, ſed mea ſententia non ſine ingenti ne dicam pudẽdo errore, Quum oxyacantha vt teſtatur Dioſcorides, arbor agreſti pyro ſimilis ſit, minor tamen, ac magis ſpinoſa, quæ fructum myrti baccis æqualẽ fert, confertum, rubẽtem, fragilem, nucleum intus habentem, quin & radices in profundum deſcẽdentes, & illas quidem multifidas, quę omnia, ſiquis animaduerterit, inueniet oxyacantham tantum abeſſe à berberos ferente fruticem,

ticem, quantum ficus à pinu, hoc magis, si folia à Dioscoride prætermissa, quæ oxyacanthæ insunt descripserimus. Nam primo oxyacantha, id est acuta spina, arbor pyro agresti similis est: berberorum verò frutex raro vel nunquã in arborem ascendit: Item pyrus agrestis à radicibus multifidis in trunco quodam crasso & alto crescit, adeo vt in arborem iustæ magnitudinis deueniat, frutex tamen berberorum, cuius infinita prope dixerim copia passim videtur, nullum notatu dignum à radicibus emittit truncũ, sed potius virgas spinosas ad summum policaris crassitudinis, quæ nec altitudine humanam excedunt staturam. Quibus addimus, quòd cortex pyri agrestis cum quadam subrufedine nigricat, inæqualis, crassa, & squãmosa: Quæ verò berberorum frutici hæret, inter spinas suas, lucida, & subtilis albicat, si tamen parum excoriari contingat, luteum colorem, qualẽ inesse arbori mali granati videmus, repræsentat: non minus quoque in spinis magna interest differentia, quum in pyro agresti spinæ, vt in pruno conspiciuntur, in berberorum verò frutice, trinæ enascuntur, duæ à latere, vna verò in medio. Iis adiungendum, quòd fructus acutæ spinæ, magnitudine myrti est, rubens, intus nucleum habens, qui veluti ceratum pendet: fruticis verò berberorum fructus, grani tritici figuram imitatur, parũ tamen maior, rubens, mali punici granum referens, in ramis ordinatim pendens, velut vua in botris. Sed hæc omnia clariora reddentur, si modo folia quæ oxyacanthæ insunt ex Dioscoride & Theophrasto patefecerimus. Sunt ergo vt paucis dicam, folia acutæ spinę, apij foliis similia, quæ ita esse, ex Dioscoride elicitur, capite de mespilo, dicente: Arbor mespilus est, aroniam aliqui appellant, aculeatam oxyacanthæ foliis: legitur enim in nõnullis exemplaribus sed falso, pixacanthæ, id est buxeæ spinæ foliis, vt ex Theophrasto facile deprehenditur, qui duodecimo capite libri tertij de Plãtarum historia, mespili arborem folia, vt apij diuisa habere tradit, quæ hodie ita esse deprehendimus, non quidem in vulgari arbore, mespila vulgaria & communia hodie ferente, sed in ea potissimum, de qua Dioscorides in eo capite primo differit, cuius fructũ antiqui aroniam appellabant, & hodie pisaurẽses & Neapolitani apud quos procere crescit, ad antiqui nominis

Azarolus fructus.

imitationem, azarolum vocant, pomũ, scilicet paruum, rubrum, quanquam & album à nobis visum sit, ossicula tria intra se habens, vnde tricoccum, quasi trium granorum, dictum est: Sapore suaue, ad acidum tendente, ob quem à multis maximè expetitur, ex iis igitur deprehendens, oxyacantham apij folia habere debere, quum eadem cum mespilo similia habeat, vnde manifeste cognoscitur, quòd frutex berberorum non est oxyacantha, quum non apij sed potius mali punici fere folia habeat. Sed quum hucusque quid non sit oxyacantha diximus, deinceps consonum erit disserere, quid sit. Est igitur, vt breuiter dicamus oxyacantha, arbor quam vniuersa Hispania sua voce piltriterium appellitat, Ethrusci vero begaiam, alij autem amperlum, vel vrsi panẽ nominant, arbor pyro agresti figura cũ trunco tum ramis & floribus persimilis; nam flores albi sunt, folia vero, vt diximus apij, fructum porrò quem arbor hæc emittit, rubrum conspicimus, intra se nucleũ piperis grani magnitudine habentem, qui fructus maturus quum est, & tangi contingat facile excoriatur, & à pueris auidissime comeditur, & in nonnullis regionibus perpetuus arbori tenaciter hæret, vt in Lusitania plerunque obseruaui, & Hebræi huius mentionem reddunt: quia hæc ipsa arbor, ab illis rubus creditur ille, quem viderat Moyses in flammam conuersum & sine noxa obumbrantem, ex quo Deus illi locutus, & calopodia vt exueret iussit, quia in terra sancta erat. Dicunt igitur illi, ob illam dignitatem, perpetuum arbori huic fructũ esse. Est igitur vt paucis rem perstringamus, oxyacantha, acuta spina dicta, non vero acida, arbor hæc pyro agresti similis, quam nonnulli inter rubi genera collocant, de qua Galenus libro octauo de Facul. simplic. medic. ita loquitur: vt specie, sic facultate hæc arbor pyro syluestri est similis: cæterum pyri syluestris fructus prorsus acerbus est: oxyacanthes vero, & tenuium est partium, & nonnihil incisorium sortitur, estque rubens & rarus, qui quidem affectus omnes fluxionum cohibet. Cæterum acutæ spinæ frutex humilis quidam folio & spinis reperitur similis, qui in vniuersa Hispania, quod sciam, fructum non emittit, secus vero in Germania, Gallia, & vniuersa Italia: quum fructum ferat vuis immatu

Oxyacantha quid.

immaturis ſimilem, & illum quidem acerbum culinæ, agreſtæ vice communiſsimum, veris præcipuè & æſtatis temporibus, in quibus iurulentæ carnes piſcésve eo condiuntur, & à prægnantibus quoque maxime appetitur, quem alij vuam criſpinam, alij vuam ſpinam, alij vero vuam marinam appellitant, ardentiſsimis autem febribus laborantibus magno datur iuuamento, quem priſci prætermiſere, nec de illo verbum aliquod fecere. Iam vero quia de berberos ferente frutice locuti ſumus, illamque non oxyacantham id eſt acutam ſpinam eſſe probauimus, non ab re erit, vt de illa verba faciamus, quum & ab antiquis fructus iſte prætermiſſus quoque fuerit. Eſt igitur berberorum frutex planta tricubitali ad ſummum altitudine creſcens, multas à radice virgas producens, digitalis craſsitudinis, in quibus ſpinæ multæ videntur, & illæ quidem trino ordine conſitæ, duę à latere, vna vero in medio: nam huius radices luteæ ſunt, nec minus quàm ipſius flores racemoſi, qui Maij tempore odorati erumpunt, porrò folia veluti mali punici conſpiciuntur, fert igitur frutex hic, fructum rubrum, grano tritici maiorem, intra ſe oblonga duo granula, plana mutuo nexu coniuncta, continentem: ex quo fructu, ſuccus extrahitur, quem officinæ berberorum vinum appellant, vino malorum punicorum acidorum acerbius, qua de cauſa ardentiſsimis in febribus contra ſitim, cum iulepo roſaceo, aut violaceo potiſsimum propinatur, non minus bilioſum vomitū coërcet, & ſtomachicum fluxum reſtringit, frigidis vero ſtomachis nocet, & pectoris anguſtiis inimicum eſt. Proximum quoq; erit citare hic, fruticem illum, ribes ferentem, quum de illo quoq; antiqui nullam fecerint mentionem: antiquos quum dico, velim intelligatis Hippocratem. Theophraſtū, Dioſcoridē, Galenum, Oribaſium, Paulum, Aëtium, Catonem, Varronem, Plinium, Palladium, & Columellam. Eſt igitur ribes ferens frutex folia vitis habens, ſepibus intertexendis accōmodatiſsimus, qui fructum rubrum acidum & acerbum parit, ex quo vinum quoq; extrahitur, febribus, & calidis ægritudinibus, non minus ac citri aut limonum ſuccus. Conueniens, & ex eo ſirupus in officinis, contra capitis deſtillationes calidas paratus publice habetur, ineſt enim huic

Vua criſpina.

Berberorū frutex.

Ribes.

Medici antiqui.

fructui sapor acidus, cum quadam permixtus dulcedine, vnde firmiter crederem, hunc ipsum fructum, quem nos ribes appellamus, eundem apud Serapionem, ribes esse, quum eundem saporem Serapio suo tribuit, quem in hoc officinarum gustamus, nec enim in cæteris notis Serapio ab hoc cõmuni quicquam deuiat, proinde nostros ribes, Serapionis quoque esse crediderim.

DE CYNOS BATO.

Græcè, κυνόβατος: Latinè, sentis canis, rubus canis, canirubus: Hispanicè, carca rosal, carca peruna: Lusitanicè, sylua macha: Gallicè, esglantier: Germanicè, Feldrosen. *Italicè, rouo canino: Arabicè, Sent.*

Enarratio. CXIII.

CYnos batus Græcis, sentis canis Columellæ est, aliis vero rubus canis, Theodoro Gazæ canirubus, vastissima autem spina hæc est, maximos & oblongos ramos ferens, quam inter vepres & senticeta sæpe arborescere videmus, folio rosæ, nam flos, rosæ moschatæ similatur, eũ colore ipso albo, tum foliis rarioribus, qui quum decidunt, fructus pullulat rubens, oblongus, oliuæ similis, intra quem lanuginosa quædam semina clauduntur, qualia in rosarum fructibus videmus, hunc fructum pueri & mulieres auidissime comedunt, eius lanuginem abiicientes, ex quo seplasiarij Hispaniæ conditum pro sistendo vndecunque profluente sanguine parant. At Theophrastus lib. iij. de Plantarum historia, cap. xviij. longe aliter cynosbatum describit, vtpote, magnitudine inter fruticem, & arborem granatum, fructu malo punico simili, & subrutilo. Cæterum, quidam cynosbatum, cynorrhodum id est, caninam rosam esse putant, inter quos nominare est Marcellum, Virgilium, & Monachos Mesues Antidotarij interpretes, qui vel ex Plinio tantum errare deprehenduntur, lib. viij. cap. 41. vbi cynorrhodi radicem ad canis rabidi morsum, tanquam ex oraculo acceptam maxime laudat: libro vero xxiiij. cap. 14. cynosbati duas describit species, in vniuersum à cynorrhodo differentes,

adeo

adeo vt manifestum sit cynosrhodum, aliam rem à cynosbato esse, mea tamen sententia, in hac re paruus est lapsus, quum cynosbatos à cynosrhodo, in hac tantum differat, quòd cynosbatos nullas habet spongiolas, cynosrhodos vero habet, imò vt tradit Plinius lib. xxv. cap. 2. cynosrhodus apud antiquos, spongiolæ in ipsius fruticis spinis repertæ dicebantur, vt merito concludere possimus, quòd cynosbatos id est canis rubus, idem cum cynorrhodo, id est canina rosa sit, nec in alio quam spongiolis dictis, differant: quæ in cynorrhodo dubio procul reperiuntur: secus autem in cynosbato, de quo Galenus lib. vij. de Facult. simpl. medic. ita disserit: Huius fruticis fructus non segniter astrictorius est, folia vero mediocriter, lanugo fructus arteriam vitiat.

DE LIGVSTRO.

Ligustrum.

Græcè, κύπρος: Latinè, cyprus, ligustrum: Hispanicè, alfena alhena: Arabicè, Kenne, hẽne, Hanue, & alkana: Italicè, oliuella, guistrico, oliueta, chãbrossene, caparrodano: Gallicè, dutroesne: Germa. Beinhœltzlin, mundoltz, Geyssholtz, Rheinueyden.

Enarratio CXIIII.

QVi Ligustrum, volubilis specié quandam esse crediderũt, eam præcipuè quam passim obuiam videmus aliis circumligatam herbis, flore albo, campanæ effigie, toto, vt dicitur, aberrant cœlo: quum inter se tantum differant, quantum

tum cancer ab anguilla. Est igitur liguſtrū, arbor parua,
Liguſtrum quid. foliis oliuæ ſimilibus, floribus minutis, candidis, odoratis, racematim conſtitutis, qui Maij menſe apparent, poſtea vero ipſis decidentibus baccæ oriuntur primo virides, in proceſſu vero nigræ fiunt, vuarum modo congeſtæ, quæ in ruderibus, & ſepibus potiſsimum naſcitur naſsis & teſſeris aptiſsima: hanc Patauini conaſtellum, quaſi oleaſtellum dixerint, appellant: quum illi & folio, & fructu ſimilis ſit. Nec enim ambigendum eſt, cyprum, liguſtrum eſſe, quum Plinius li. xij. cap. 24. dicat, cyprum arborem Aegypto familiarē, in Italia liguſtrum vocari.
Maſſarius errat. Proinde Franciſcus Maſſarius Venetus omnino fallitur, quum annotationibus ſuis, ſuper nonum librum Plinij, cyprum aliam arborem à liguſtro eſſe contendit. De liguſtri vero floribus & ipſius baccis ſiue vacciniis, cecinit Maro in Bucolico, dicens.

Virgil. in Bucolicis

Nonne ſuit ſatus triſtes Amaryllidis iras.
Atq; ſuperba pati faſtidia, nonne Menalcam,
Quamuis ille niger, quamuis tu candidus eſſes,
O formoſe puer nimium ne crede colori,
Alba liguſtra cadunt, vacinia nigra leguntur.

Nec iis Vergilianis verbis, Columella contraria ſcribit, quum lib. de Re ruſtica 10. liguſtrum non album vt Virgilius, ſed nigrum potius appellat, dicens, & nigro permixta liguſtro baſſama, quia Virgilius ad flores, Columella vero ad maturas eius baccas reſpexit, quas vacinia Virgilius vocat, quum puerum admoneat, ne ſuæ pulchritudini atq; colori, quamuis candido, nimium confidat, quia cum ætate illum candidum colorem amiſſurus eſt, futurus deformis, rugoſus, veluti liguſtro euenit, quod flores quum habeat pulchros, candidos, & odoratos, cito tamen eos perdit, & ſolum vacinia permanent, quæ poſtea nigra & aſpectu, non vt flores, grata, ſed tetra potius pro aucupiis, & inducendis coloribus colligun-tur, vt olim apud Gallos fieri ſolebat, & hodie apud Italos pro conficiendo atramento ſcriptorio vſurpatur.
Vacinia hyacinthi. Her. Bar. errat. Nec ſilere in præſentia debeo multorum errorem, qui additiciis Dioſcoridis verbis ſeducti vacinia hyacinthos eſſe interpretantur, inter quos mihi nominandus venit Hermolaus Barbarus patritius Venetus, vir alioqui do-

ctiſsimus, ſunt enim verba adiecta Dioſcoridi, apud quartum librum, capite 61. vbi de hyacintho agit, quæ ita habent: hyacinthon Romani vacinium dicunt: quæ verba in melioribus exemplaribus non reperiuntur, imò omnia fere nomina in vno quoq; capite comperta non Dioſcoridis eſſe, ſed alicuius qui Dioſcoridi gratum facere arbitrabatur pro re firma & vera mihi perſuaſum habeo: argumentum enim vt cæteros præteream locos, ex capite de ſampſucho deſumi poteſt, hanc noſtram coniecturam cõfirmans, in quo maioranam verbum nouum, & à Plinio non vſitatum legimus, velut in leucoio, violam matronalem, vt ſexcenta alia præteream capita, in quibus huiuſcemodi nomina reperiuntur. Seruius quoq; grammaticus nõ minus hanc in rem impegit, quũ per vacinia, violas interpretetur, ſed Seruio notiſsimũ hoc eſſe debuerat, quia Virgili⁹ eodẽ carmine, & violas & vacinia, nominet, ait enim: & nigræ violæ ſunt, & vacinia nigra. Verum de cypro id eſt liguſtro, ita tradit Galenus libro ſeptimo de Facultatibus ſimplicium medicamentorum. Huius arboris folia ſummaque germina habent in ſe quiddam digerens cum aquea ſubſtantia modice calida, habentq; & aſtrictionem quandam ex terrena ſubſtantia frigida: itaq; eorum decocto quidam ambuſta fouẽt, nec non igneos phlegmonas carbunculoſq; : nam abſq; moleſtia ſiccant, ſed ſponte ortis in ore vlceribus, commanſa folia commodiſsima ſunt. Hæc Galenus. Liguſtri vero radicibus, hodie Mauri ſuos inficiũt capillos, velut equorum quoq; crines, quod olim quoq; fieri Dioſco. tradit, non vt Marc. interpretatur, aut Ruellius, cum ſucco lanariæ herbæ, ſed potius cum ſucco ſtruthei mali, nam pro ſtrutheo, id eſt malo cotoneo, ſtruthion, id eſt herbam lanariam intellexerunt.

Seruius Grammaticus errat.

Liguſtrite peratura.

Marcellus et Ruellius errant.

CONSTANTINVS.

QVid ſit Liguſtrum ſiue Cypros, profecto ignotum eſt his noſtris temporibus. Plinius quidem Cypron Liguſtrum dictam ſcribit lib. xxiiij. cap. 10. & lib. xij cap. 24. ſed Dioſcoridis Cypros, folia habet oleæ, Liguſtrum Plinij xxiphi, & ſemen coriandri, Dioſcoridis ſambuci: in flore etiam vix conueniunt cum Dioſcoridi muſcoſus ſit, Plinio tantùm albus & odoratus. in hoc ſolum

solum hi duo authores consentiunt, quòd vterque dicat esse arborem, qua vel sola nota excluditur vulgaris illa planta ab huius consortio, quam nobis pro liguſtro & Cypro ostendunt herbarij, quæ fortasse est liguſtrum Virgilij, non autem Cypros Dioscoridis, aut Plinij liguſtrum, imò nec Columellæ, qui libro decimo dixit & nigro permista liguſtro Balsama. hic enim frutex in sepibus maxime communis vix vnquam visus est arboreſcere: nos Galli vocamus du Troesne. Sed Cyprus siue liguſtrum, id est arabū alcanna, arbor rara est & inter pretiosa simplicia semper adnumerata. testis mihi Ioſephus historicus lib. xij. περὶ Ἁλώσεως, cuius verba cùm de hierichuntina loquitur: φέρει δὲ καὶ βάλσαμον ὃ δὴ τιμιώτατόν ἐστιν τῶν τῇ δὲ χώρᾳ, κύπρον τε, καὶ μυροβάλανον: & subiungit εἶναι, σπανιώτατα δὲ ἀμφότερα. Et Beatus Hieronymus in Cantic. Cyprus, inquit, cum nardo, nardus & Crocus, fiſtula & Cinnamomum cum vniuersis lignis libani. Meritò reprehendit Amatus Marcellum & Ruellium: sed ipse omisit locum apud Plinium lib. xxiij. Cap. 4. de Cypro, qui illorum errorem detegit: Decoctum, inquit, foliorum ambustis & luxatis prodest: ipsa rusant capillum tusa, adiecto struthei mali succo.

DE PHILLYREA.

Græcè, φιλλυρέα: *Latinè*, *phillyrea*, *ſpecies liguſtri*: *Hiſpanicè*, *otraſuerte de alhenan*: *Italicè*, *vna altra oliuella*: *forte Germanicè*, Hartrigel. *Arabicè*, *Mahaleb*.

Enarratio CXV.

Dioſcoridis interpretes errant.

ERrant non solum Marcellus Virgilius, Dioscoridis Interpres, sed alij plures, qui in præsenti Phillyreã, tiliam esse interpretãtur, cùm re vera phyllyrea arbor parua liguſtro æqualis cum folio tum fructu sit, adeo vt phillyream liguſtri speciem esse constet, nec immeritò Dioscorides, quum de liguſtro egit, de hac quoq; phillyrea liguſtri specie, sermonem coniunxit, sed ij reuera nominis affinitatem secuti, in errorem prolapsi sunt, quum pro philyra apud Theophraſtum, tiliam significante, phillyream, quæ non tilia, sed potius liguſtri species est, tiliam interpretati sunt. Est etiam philyra apud Theophraſtum lib. iij. de Historia plantarum, duorum generum, quibus folium non oleæ sed hederæ potius est,

Phillyrea liguſtri ſpecies est.

Phillyrea vera tilia.

fructus

fructus vero fabaceus. Proinde phillyream à philyra diuersam esse, nemo non videt, Quibus adde, quòd philyra arbor est procera, crassa, & vt inquit Theophrastus cap 10. ad fabricas nauium, arcarum, & cunarum aptissima materia: phillyrea vero frutex potius quam arbor dicenda est, de qua hoc loco Dioscorides pertractat. *Phillyræ duo genera.*

DE CISTO.

Græcè, κίστος: Latinè, cistus: Hispanicè, Lusitanicè, cerguacos: Italicè, cisto. Arabicè, Kamet, Alteis & Ihaie althis.

Cistus Mas. *Cistus fœmina.*

Enarratio CXVI.

CIstus nam Cissos hedera est, cuius inaduertentia Plinius cæcutiuit, vt Leonicenus ad Angelum Politianum eleganti epistola primò indicauit. Est igitur cistus frutex ramosus in latum se diffundens, qui apud Hispanos hodie pro abstergendis vestibus in vsu habetur, eumq; *Cistus à cisso differt.*

Lusitani

Lusitani ad imitationem antiqui nominis illi dicati, cistharos, aut cissaros corrupte, cerguacos appellant: reperitur enim & flore albo, & subrutilo, de quo Galenus 7. libro de Facult. simpl. med. ita tradit: cistus frutex astringens est, folia eius & parua germina trita adeo desiccant astringuntq;, vt vlcera glutinare valeant, sed flores efficatiores sunt, adeo vt cum vino poti dysenterias, ventris imbecillitates, fluxusq; & humiditates persanent, cataplasmatis ritu illiti, vlcerum putredinosa iuuãt, desiccant, enim secundo excessu.

CONSTANTINVS.

PLinius grauissimus author, quasi deserto vadimonio à Leoniceno, Mathiolo, & Amato Lusitano compactò traducitur, & culpatur acerbius: τῆναι δ' ὅμως ἀναγκαῖον πρὸς τοὺς λογολέσχας καὶ μὴ ἐρήμην ἁλῶναι λόγον, vt dixit Nazanzenus. Quid igitur isti canentes victoriam ante triumphum, Plinio obiiciunt? quòd Cissi id est hederæ & Cisthi, græcarum vocum non intellecta significatione, historiam confuderit. Vt eorum confutetur impudentia, & ipse per se eos mendacij reuincat, satis habebo locos adducere, quibus imprimis bonus author non solum rerum, sed & linguarum peritissimus, verborum vim expressit, & rerum proprietatem atq; naturam. libro enim 24. Cap. 10. Sic inquit, de hedera loquens: gummi etiam in hedera quærunt, quod ex aceto vtilissimum dentibus promittunt: græci vicino vocabulo Cisthon appellant, fruticem maiorem thymo, foliis ocimi. Duo eius genera, flos masculo rosaceus, fœminæ albet, & paulo post: Sub his maxime nascitur hypocisthos, quam inter hederas diximus. Scilicet cum de hederis ageret. libro 16. Cap. 34. Cisthi subiunxit historiam, propter Cissi & Cisthi vocum affinitatem nonnullamq; plantarum similitudinem. Quo loco ita scribit: Est rigens hedera, quæ sine adminiculo stat, sola omnium generum, ob id vocata cissos. Et loco superiore: Cissos Erythranos ab iisdem appellatur, similis hederæ. Quid vero etiam de hypocisthide tradiderit, audi libro 26. Cap. 8. Hypocisthis, orobathion à quibusdam dicta, malo granato immaturo similis nascitur, vt diximus, sub Cistho, vnde nomen hoc &c. In carpendis igitur extra fortunæ atq; inuidiæ aleam scriptoribus, licentiorem pruriginem moderentur: ne meritò illud in eos vsurpemus, Facilius esse calumniari, quàm æmulari.

DE

DE HYPOCISTIDE.

Græcè, ὑποκιστὶς, κύτινος: Latinè hypocistis, cytinus, barba hircina: Hispanicè, Lusitanicè, pultegrae: Italicè, hypociste.

Enarratio CXVII.

HYpocistis, Barbarorum hypocistidos est, siue herba hircina, quæ plerunq; ad cisti radices nascitur: herba potius quam frutex, crassa, succosa, quibusdam granis, pineis similibus plena, qua auidissime nonnulli vescuntur. Nam tota ipsa herba ad luteum colorem cũ quadam albedine tendit: quæ non solum in Hispania, sed variis aliis in locis nascitur. Venetiis enim apud officinas frequenter conspicitur, quæ ex Illirico & Dalmatia regionibusq; circumuicinis portatur, ex qua succus extrahitur, & ad medicos vsus reseruatur, præcipue ad eos, vbi constringere opus est, velut floribus punicorum expressus, quemadmodum refert Dioscorides capite de malis punicis. Verum nihil refert, herbam istam hypocistidem, vel cytinum, aut succum ipsum, eo modo appelles, vt Dioscorides in præsentia facit: & Aegineta imitatur. De qua Galenus citato loco ita inquit: Hypocistis multò est magis astrictoria quàm folia: admodum efficax remedium ad omnes fluxionum affectus, quin si quam partem roborare consilium sit, quæ videlicet plusculo humore exoluta fuerit, robur ac firmitudinem illi haud segniter addit, quo nomine antidoto ex viperis inditur.

Hypocistis Hypocistidos.

Barba hircina idem.

DE LADANI ARBORE.

Græcè, λήδου: Latinè, Lada: Arabicè, Chasus: Hispanicè, xara: Lusitanicè, esteba: Italicè, ladanifero arbuscelo, pinguitudo illius, ladanum, laudanum: vulgò laudano.

Enarratio CXVIII.

LAdanifer frutex in altum crescit, tricubitali altitudine, & ampliori, virgas à radice mittens, digitalis crassitudinis, duras, solidas & firmas, in quibus folia hærent oliuæ, nigra, viscosa: flos vero roseus, albus, tres quatuorue

Ladanifer frutex.

tuórue maculas nigras habens, quo decidente, fructus pilulæ magnitudine, pediculo alligatus pullulat: totus enim frutex ille viſcoſus reſinoſúsue conſpicitur, adeo vt ipſum depaſcentes hirci capellæúe, pinguedinem viſcoſitatémue illam in barbis & femoribus contrahant, quam ladanum appellamus. Reperitur verò in officinis pinguitudo iſta, ſiue ſuccus denſatus, ſub nomine ladani, vel laudani, aut labdani, quanquam raro ſyncerus aut purus. Verus autem & purus, optimi eſt odoris, vt Rufus Epheſius per hos indicat verſus à Galeno ſubſcriptos lib. j. de Compoſitione medic. ſecundum loca, cap. 2.

Ladanum quid.

Rufus Epheſius.

Inuenias in Eremborum quoque ladanon orbe,
Caprarum circa mentum, gratiſſimus illis,
Succus is è ciſthi folio decerptus amico,
Imbuti hoc villi, menti laterumq; madeſcunt,
Non tamen ad morbos hoc præſtat, laudem ab odore,
Egregio quo ſpirat habet, quod plurima mixta
Pharmaca Erembi habeant diuinis viribus aucta,
Orta ſolo & campo longe lateq; patenti.

Hunc porrò fruticē barbam hircinā potius appellandam crediderim, quum illi magis quadret, cōueniátue nomen: quanquam Serapio, & cæteri Arabes, barbā hircinam hipociſtidem potius nominent. Non minus quoq; crediderim, quod Scribonius Largus hanc ciſthi ſpeciem, roſam appellat ſyluaticam, non vero alterā. Eſt præterea huius ciſthi ladaniferi ſpecies altera, quam Hiſpani maſculam comparatione ad primam faciunt: & eam ſtebam appellitant folio in orbem circinato, ſubnigro & hirſuto. De ladano vero Galenū audiamus. li. vij. huic dicato volumini, ſic diſſerentem: ciſthos id eſt ladanum, primo exceſſu medicamen eſt quodam modo complete calidum, ita vt ſecundum attingat, habens etiam aſtrictionis nonnihil: eſt præterea ſubſtantia tenui & emolliens, nec non moderate digerens concoquensque, peculiariter igitur ad vteri vitia eſt aptum. Diffluentes tamen capillos retinet: verum alopecias & ophthalmias ſanare non poteſt, quod hi affectus valentiora medicamenta deſiderent.

Ladanum Galeni calidum eſt.

CONSTANTINVS.

FRutex ille ſiue herba de genere Ciſthi, vnde colligitur Ladanum à Dioſcoride dicitur λῆδον à Plinio vero lada: Sic enim ſcriptum

ſcriptum reliquit libro 26. Cap. 8. Lada appellatur herba ex qua Ladanum fit in Cypro, barbis Caprarum adhæreſcens: Mirorq; Mathiolum ſenenſem, virum ſane propter inſignem eruditionem admirabilem, hæc de Plinio tam inconſideratè ſcripſiſſe in Dioſcoridis libr. 1. Cap. 110. Comment. Caterum Plinius vocabulorum vicinitate deceptus (vt etiam in ſuperiori commentatione dictum) ex ciſſo id eſt, hedera, non autem ex ciſto ladanum colligi dixit. Ex quo item multis falsò perſuaſum eſt, quòd non à Ciſto, Sed ab hedera Ladanum legeretur: Hactenus Mathiolus. quæ, vt plenius falſa eſſe intelligas, legere ne pigeat, quæ adverſus ipſum & Plinij admiſſarios adnotauimus Cap. de Ciſto: tum, vt Plinij fama hac inuſta macula eluatur, rogo vt quam aſcripſi Plinij dictionem expẽdas accuratius poſtremoq; iudices quam immeritò tantus ſcriptor accuſetur. Eius hæc verba lib. 12. Cap. 16. Arabia etiamnum & Ladano gloriatur: ſorte caſuq; hoc, & iniuria fieri odoris, plures tradidere. Capras maleficum aliàs frondibus animal, odoratorum vero fruticum expetentius, tanquam intelligant pretia, carpere germinum caules pradulci liquore turgentes, diſtillantemq; ab his caſus mixtura ſuccum, improbo barbarum villo abſtergere. Hunc glomerari puluere, incoqui ſole. Et ideo in Ladano caprarum pilos eſſe. Sed hoc non alibi fieri quam in Nabatæis, qui ſunt ex Arabia contermini Syriæ. Recentiores ex autoribus ſtrabon hoc vocant: traduntq; Syluas Arabum paſtu caprarum infringi, atq; ita ſuccum villis inhæreſcere, verum autem Ladanum Cypri inſulæ eſſe: vt obiter quæq; genera odorum dicantur, quamuis nõ terrarum ſimiliter hoc & ibi fieri tradunt, & eſſe æſipum hircorum barbis genibuſq; villoſis inhærens, ſed hedere flore deroſo, paſtibus matutinis, cùm eſt roruleta Cypros. Deinde nebula ſole diſcuſſa, puluerem madentibus villis adhæreſcere atq; ita Ladanum depecti. Sunt qui herbam in Cypro ex qua id fiat, Ladam appellent. Etenim Ladanum vocant huius pingue inſidens &c. Quod vt intelligas non ex ſola planta colligi, vt nec manna, nec muſcus, Sed eas tantùm recitari in quibus laudatiſſima illa proueniant, Certè etiam Ladani quod in ſegetibus naſcitur meminit idem Plinius libro xxvj. Cap. vndecimo. Optimum igitur Ladanum ex Ciſtbi colligitur genere illo quod λᾶδον Dioſcorides & Plinius Ladan nominauit. Colligitur etiam ex hedera aliúq; plantis quibus pinguis humor ille & glutineſus adhæſit.

DE EBENO.

Græcè, ἔβενος: *Latinè*, *ebenus*; *vulgò ebano legno*, *Arabicè*, *abanus*, *& ebenus*; *Gallicè*, *ebene*.

SECVNDA SPECIES EBENI.

Lignum Guaiacum, *lignum Indicum*, *lignum ſanctum*, *lignum morbi Gallici*; *Arabicè*, *Karon*: *Hiſpanicè*, *el legno ſanto*, *el legno dellas antilhas*: *Italicè*, *il legno ſanto*: *Germanicè*, Holtz auſs Indien, Frantzoſen holtz; *Gallicè*, *guaiac*.

Enarratio CXIX.

Ebenus. NAſcitur ebenus, non vt Virgilius credidit, tantum in India, ſed Arabia, Aethiopia & aliis variis locis, vt ex Dioſcoride, Plinio, & Pōponio Mela edocti ſumus, quam primò Romam adduxit Pompeius Magnus, in triumpho Mithridatico, materia denſiſsima, colore nigro, ſplendido, & graui, adeo vt eius quantumcunque siccum lignum non fluitet, ſed fundum & cētrum potius petat. Hodie verò, ligni huius magni trunci in officinis, vbi pectines fiūt, viſuntur, quum ex eo non ſolum egregij parantur pectines, ſed etiam varia alia, & præcipue coronæ mulierculis pro numerandis præculis idoneæ. Cęterum ebeni lignum oculare eſt, oculorum vitiis apprime conueniens, vt ex Dioſcoride deprehendere eſt, & Galeno lib. vj. de Facultatibus ſimpl. ad iſtum modum dicente: Ebenus ex iis lignis eſt, quæ trita in aqua ſoluuntur. Vis ei ineſt excalfaciendi, extergendi, & tenuium partium, quamobrem, quæ pupillas offuſeant extergere creditur, miſceturque aliis ocularibus medicamentis. Secūda autem ebeni ſpecies, Guaiacum lignum morbo Gallico deſeruiens eſt, quod ſanctum omnes vocant, velut Auicenna caron, libr. ij. ſui canonis.

Guaiacum Caron. De cuius vſu, ac origine, ſic habeto. Guaiacum vltra quòd priſcis cognitum fuit, & oculorum fluxionibus accommodatiſsimum, contigit, quum ſuperioribus annis, nouæ quædam terræ, antiquis forſan cognitæ, & temporum iniuria factæ incognitæ, nunc verò nouiter repertæ eſſent, in quandam incidiſſent inſulam Hiſpani, cuius omnes

accolæ

accolæ morbo Gallico quandoque laborabant, acsi Europei variolis. Hispani verò quum quæstores in prouincia essent, ac grauiter morbo illo affligerentur, ab indigenis medicamentum quo curarentur, quærunt: quibus illico lignum huiacum (sic enim insulares pronúciant) monstrarunt, quo non multis interpositis diebus, vt cæteri à morbo liberati, vt summum bonum, eius vsum in Hispaniam attulere, guaiacum ipsum appellantes, insularium vocem imitantes, qui huiacum, vt diximus, lignum vocant, ex arbore apud eos crescente, proceritate, qua apud nos fraxinus, quæ foliis vestitur plantaginis solidioribus tamen, ac rotundioribus, flore verò luteo sed fructu castaneis persimili, & illo quidem solutiuo. Totius autem arboris color, cineritius est, ad nigredinem tendés. Hæc verò arbor, vt tradunt nostri Hispani, & Alfonsus Ferrius libello suo de morbo Gallico conscripto scribit, in tribus præcipue insulis nascitur: nempe in insula sancti Ioannis, in insula sanctæ Crucis, & in insula sancti Dominici: lignum verò quod ex arboribus insulæ sancti Ioannis adfertur, melius est, quia insula illa cæteris duabus distãtior à torrida zona est, qua de causa non ita torrefactum lignum, aut vstum videtur, imò humidum & vnctuosum. Curabunt igitur castellani, quum in eas insulas peruenerint, non aliunde lignum Sanctum abscindere, & in Hispaniam afferre: quàm ex insula sancti Ioannis. Sed an lignum hoc eligi debeat nigrum: vel album potius, non infimum & postremum erit inquirere, quum multi in hac re varient: nam triplici differentia lignum hoc conspicitur, aliud crassum, quod quum per trãsuersum secatur, totum fere nigrum conspicitur, dempto circulo quodam superiori ad luteum vel album declinante. Aliud nõ ita crassum conspicitur, cuius centralis pars nigra quoq;, sed non adeo vt primi ligni est. Tertium subtilius duobus dictis, quod cãdidum tam intus quàm foris videmus, lineis percurrentibus distinctum, cæteris ligni differentiis odoratius, & cum quadam amaritudine acutius. Sed quum hæc ita se habent, nõ est tamen credẽdum quòd tria hęc ligna diuersa aut ex arboribus diuersis scindantur, quum ex vna & eadem arbore tria illa ligna colligantur: nam nigrius, arboris stipes est, minus nigrum, ex partibus mediis inter

Alfonsus Ferrius.

Guaiacum an albũ uel nigrum eligi debeat.

ſtipitem & ramos habetur, quæ pars Ariſtoteli truncus dicitur, in quo arborum cor collocat, vt ex Paruis vocatis naturalibus dicendum eſt: totum verò album, rami ſunt, in quibus virtus vegetabilis potentior viget, & ea de cauſa lignum hoc album nihil nigri habens, potentius & melius iudicatur: deinde quod à media arbore colligitur, quã quam huic parti ad mentem Ariſtotelis primæ dignitates tribuendæ ſint, tertias verò nigriori dare eſt. Aliquando tamen lignum hoc album ex arbore ſecatur tenella: nondum ad eam perueniente ætatem, in qua nigredinẽ acquirit, vt in aliis quoq; percipimus arboribus, quarum ligna interim dum iuuenilia ſunt, alba videtur, poſtea verò ſucceſſu temporis veteraſcunt, & nigredinem adſciſcũt. Vtemur igitur albo ligno, in difficillimis morbis, vlceribus Gallicanis & malignis complicatis: illo verò paruam obtinente nigredinem, in mediocribus: tertio verò fere toto nigro, in debilioribus. Sed vnum dignum conſideratione venit: quòd lignum hoc album, etiam ſi aliis lignis validius eſt, cito tamẽ ob nimiam humiditatem corrũpitur, & quia gracile facile exiccatur: proinde illud recens, & ſolidum habeas, minime verò corroſum aut antiquatum curare debes, quod ſi habere non potueris, ſatius proculdubio erit, nigro recenti, illius loco vtaris. Quam verò temperaturam lignum hoc obtineat, inquirendum eſt, quum frequens vſui medico habeatur. Nam authore Galeno libro tertio de Temperamentis, atque ſexcentis aliis locis, illud per ſe calidum dicitur medicamentum non verò per accidens, ſi corpori occurrens, à principio occurſus calfaciat, calfaciendoq; procedat, atque in calfactione permaneat, quod ſimile de frigido, humido, ſiccove intelligendum eſt medicamento: qua de re lignum hoc calidum eſſe dicendum eſt, quum corpori occurrens non ſolum temperato, ſed in frigiditatem labenti, calfaciat, ac in calfaciendo procedat, quod & ſiccum eſſe vltra experiẽtiam quotidianam de eo habitam, ratio quoque atteſtatur: quũ lignum hoc amarum ſit, quæ enim amara ſunt, non ſolum calida, ſed etiam ſicca eſſe omnes confirmant, vt Galenus libro quarto de Facultatibus ſimplicium medicamentorum capite 8. & tertio de Ratione victus in morbis acutis quoque dixit: ſed non propterea ab aliis ſpoliatur qualitatibus

Temperatura guaiaci.

tibus quum & humidum esse lignum istud deprehendimus, quasdam habens partes pingues oleaginosas, quibus certi ligni decoctum bibentes aluntur, atq; inde per longum tempus absq; victu vllo permanēt. Nec vero mirari quis debet, si lignum hoc diuersas in se contineat qualitates, quum Galenus libro iij. simplicium cap. xiij. multo plures & diuersas vni inesse medicamēto fateatur dicens: omnia propemodum medicamenta, licet sensu simplicia appareant, natura tamen esse composita, quin & subinde quoque diuersissimas in sese continere facultates, nempe exercendi, & sistendi, incrassandi & extenuandi, rarefaciendi & condensandi, illinendi atque abstergendi, tendendi & laxandi, cæterasque oppositiones vniuersas, & subdit: At hoc mirum videri minimè debet, in id genus facultatibus, quum vni & eidem medicamento vim calfaciendi & refrigerādi inesse appareat, aut exiccandi & humectandi, aut tenuium partium & crassarum: Hæc ille. Non mirabitur igitur spectator si lignum hoc & calidum & siccum, & humidū esse dixerimus, In quo tamen gradu caliditatis collocari debeat, audite. Medicamentum calidum, frigidum, humidum vel siccum dicimus, non alia de causa, nisi quia talem in corpore humano temperato valet imprimere qualitatem: At quod nec excalfacit, nec frigefacit, nec humectat, nec exiccat, symmetrum, id est temperatum medicamentum appellare necesse est. A vincente ergo seu excedente qualitate & facultate cognominatur medicamentum. At calidum primi ordinis nominamus, quod temperatum corpus excalfacit, non tamen euidenter: qua de causa ad illud comprobandum opus insuper demonstratione est rationali, sic de frigido, humido, & sicco, dicendum est: illud vero quod manifesto aut calfacere, aut frigefacere, aut humectare, aut desiccare potest, id secundi esse ordinis dicetur: at quod iam vehementer quidem non tamē summè, tertij dicitur gradus: quod vero adeo excalfacere potest, vt escharam moliatur & vrat, quarti. Iis igitur prælibatis facile diiudicare quis poterit, cui gradui caliditatis, siccitatis, humiditatisve lignum hoc subiici debeat, præcipuè tamē ipsius ligni odorem, saporem, atque ipsius effectus animaduertendo. Nos autem quantum ex iis comprehendere possumus iu-

dicamus lignum hoc in fine ſecundi gradus calidum eſſe, ita vt tertij principium attingere videatur, quum eius caliditas vehemens, non ſolum à corporibus temperatis, ſed etiam ægris percipitur, ſiccum quoq; in medio ſecundi: at humidum primum gradum non excedere ipſa rei experientia, quæ reliquis præſtat, confirmat. Sed iam quo ordine huius ligni aqua parari debeat, aut eius quoq; vinum, quod paſsim hodie morbo Gallico affecti pituitoſi, & humidi præcipuè bibunt, dicamus. Aſſueſcunt autē pharmacopolæ lignum hoc elimatū habere, vt petentibus præſto tradant, ſed tu caue ne hoc elimato vel in puluerem redacto vtaris, quum facillimè exiccatur, & citò vires amittit: præcipuè, ſi diu in puluerem redactum manſerit. Cura igitur lignum album, parum aut nihil nigri habens, recens elimare, aut nigrum pingue multos cum gumma habens cortices, cuius ramentorum ſiue ſcobis libram, in aquæ puræ libris quindecim per vigintiquatuor horas madere ſinito, poſtea in eodem vaſe quod nouum & vitreatum eſſe propoſuimus, ad lentū ignem bullire ſinito, quouſque libræ maneant quinq;: hæc autem prima eſt decoctio, quam primā aquam ſiue aquā ſirupi vice venientem appellant, cuius pondus ad vncias ſex vel ſeptem, pro vice, ſecundum virtutis potentiam propinatur. Scobi vero manenti, nouam aquam addere ſolent, verbi gratia, libras quindecim, quæ ad medias conſumi permittitur, quanquam nouo vti ligno melius eſſet, quum hodie vili pretio lignum iſtud habeatur: Hæc vero ſecunda eſt decoctio, ceu ſecunda aqua dicta, ex qua ægrotātes vini loco tempore victus, & interdiu, ad lubitum bibunt. Ex prima vero decoctione, ſpuma coopertorio hærens, pro abſtergendis vlceribus ſeruatur. Sed hic adnotandum duximus, quod aqua hæc prima aliquando in balneo Mariæ fit: aliquando vero vt diximus, & interdum ſimplex nullo adiecto medicamento: interdum verò adiectis medicamentis, tum calidis, tum ſoluentibus, vt ſena, epithimo, polypodio, hermodactylis: aliquando vero alterantibus calidis, vt betonica, fumo terræ, ſtechade: nonnunquam vero frigidis, vt endiuia, cichorea, lichene, & aliis variis, vt centuria prima Curationum mearum abunde dixi, in ea præcipuè Franciſci Ferreriæ curatione. Pari quoq;

modo

modo vinum parari potest, primum & secundum, quanquam nonnulli, absq; ratione eos vellicent medicos, qui primum vinũ sirupi vice propinant. Eligendum est enim vinum album odoriferum, vt curatione vigesima octaua prædictæ nostræ Centuriæ, pro quadam muliere Ferrariensi, ad castellum nouum habitante, & colico affectu laborante, disseruimus. Cætera vero quæ de ligno Guaiaco dicuntur, legito apud Huttenum, Manardum, Massam, Almenaram, Mathiolum, Leonicenum, Benedictum Victorium Fauentinum, atque alios sexcentos, qui de hac re libros in lucem emiserunt. Est quoque hodie radix quædam subtilis, quam quoque ex Peru prouincia superioribus annis repertam Hispani adferre cœperunt, & eam Sarcam parrillam, sua voce appellitant, quod verbum ego rubum viticosam verterem, ad multos vsus accõmodatam, de cuius laudibus, non deerit quoque qui encomium nobis describat. Radicem chynarum capite de calamis attigimus, de qua nos plura in lucem Deo duce mittemus.

Vinum guaiacũ.

DE ROSIS.

Rosa.

Græcè, ῥόδον: *Latinè*, *rosa*: *vulgò rosa*: *Arabicè*, *Nard*, *Naron*, & *vard*: *Gallicè*, *Rose*: *Germanicè*, Rosen.

Enarratio cxx.

ROsa omnibus est nota, quæ officinis magnum præbet ornamentum, nam ex ea zuccharum rosatũ conficitur, mel rosatum foliatum, mel rosatum colatum, acetum rosatum, oleum rosatum commune, oleum rosatum omphacinum, electuarium

de succo rosarũ,diarhodon,sirupus rosatus ex rosis siccis, sirupus rosatus absolutè dictus, sirupus rosatus solutiuus, quem mucharũ Mauritani vocãt, iulep rosatũ, aqua rosarum,aqua capitũ rosarũ: seruãtur folia exiccata, seruãtur capita, seruatur succus ex illis expressu, seruantur quoq; flores lutei,vt alia præteream,at quũ nõ ex vna tantũ specie rosarum , hæc conficiantur, consonum erit hic citare nonnullas eius species, nam omnes persequi , vt difficile, ita lectori fastidiosum esset. Sunt igitur quædam rosæ rubræ,crassæ,stypticæ,ex quibus zuccarum rosaceum parari debet,nam vt dixi stypticæ sunt,& constringentes:proinde recte quoque sirupus rosaceus, profluxu sistendo,ex ipsis siccis cõficitur,quæ quoque siccatæ pro lauacris seruantur. Sunt quoque aliæ albæ, ex quibus cætera à nobis citata parantur,in Hispania & Flandria in maxima copia repertæ , in nonnullis verò Italiæ ciuitatibus, paucæ habentur,præcipuè Ferrariæ,vbi illarum loco incarnatis,id est,colorem inter album & rubrum habentibus,vtuntur: quæ dubio procul, Ferrariæ, velut Anconæ & Neapoli, aliisve variis è locis,solutiuę sunt,& maxime purgãt,præcipuè si ex illis mel rosaceũ foliatũ fiat: Nam yncia huius mellis rosacei , cum strepitu,& alui turbatione leui, purgare in corpore mediocri,ter & quater facit,vt millies expertus sum,illud pro laxante medicamento ægrotantibus propinans.Nec enim dicendum est,vt multi medicamenti huius vires ignorantes contendunt,conditum hoc mellis ratione tantum purgare,quum mel coctum parum aut nihil purgat,imò mel crudum ciendi vim habet, quam in coctione amittit,vt Hippocrates testatur libro de morbis qui extra,& Galenus libro tertio de alimentis capite 38. non minus Paulus Aegineta libro primo suæ medicinæ, capite 96.hoc vt solet approbat, inquiens:mel coctum valentius nutrit quàm subducit aluum,non coctum è cõtrario.cui adstipulatur Alexander Aphrodiseus sectione 2. Proble.66.dicens:mel incoctum tergit & purgat,coctum alere tantũ potest. Ex quibus liquido constat,rosis iis vim laxandi & subducendi insitam & naturalem esse, non verò ex melle acquisitam:sed ii nullo rerum vsu prædíti,quę in buccam veniunt tantum effutiunt,veluti philosophi illi,quos Galenus libro de Semine redarguit. Ex iis igitur rosis,

Rosa incarnatæ solutiuæ sunt.

Mel coctũ parumpurgat.

rosis, sirupus rosatus solutiuus multarum infusionum dictus nobile & securum purgatorium medicamentum parari debet, pro vt hodie in vniuersa Italia magno ægrotãtium iuuamento paratur, qui mea sententia efficacior & nobilior euadet, si aquæ loco, cum rore è celo super ipsis rosis cadente, pararetur, vel saltem super caulibus, ex quibus roris vel pruinæ magna copia haberi potest. Sũt præterea aliæ rosæ albæ ad citrinum tendentes, paruæ pauca folia habentes, quæ fere per totum annum in arbore videntur quas moschatas, quia moschi odorem referunt, vel Alexandrinas vulgus appellat. Hæ verò, odore caput tentant, & potentissime aluum subducunt, non minus ac scamonium, ita vt si sex vel octo acetario folia miscueris, totum acetarium purgatorium reddes, & ea de causa ab illis, tanquam pernicioso medicamento, naturæ vim inferente, abstinendum suadeo. Nam nõ ita pridem Venetiis, nobilissima Beatrix à Luna, mulier opulentissima, & omnium virtutum genere ornatissima, in morbum quendam incidit, pro quo iuuando, medicus quidam Venetus, ex prædictis rosis & saccaro conditum parare fecit, vt eo tanquam præstantissimo, & securo purgatorio medicamento interdum vteretur: at quum primum præclara illa domina, conditum gustare cœpit, faucium & linguæ excoriationem cum stomachi rosione contraxit, sed illa dubitans, num symptomata ea ex morbo, aut condito orta essent, nullam in medicamentum culpam reiecit. Ego verò noscens medicamentum potentissimum & fere venenum esse, eam monui, ab illo abstineret, nec eo amplius vteretur: putauerat enim liberalissima hæc domina, cõditum illud ex rosis incarnatis à nobis dictis paratum esse, quo alias Anthuerpiæ sæpe vsa erat, ad quam, meis votis, viuente Didaco Mendio huius cognato, & omnium mercatorum suæ ætatis ditissimo: Sebastianus Pintus, è Ferraria miserat, velut ad alios principes, tanquam donum præcipuum, & sanitati humanæ deseruiens. Hæ verò rosæ moschatæ in Hispania raro videntur: sunt enim albæ subcitrinæ, similes vt paucis dicam, rosis caninis inter spinas nascentibus, quæ ad summum tria quatuorve folia habẽt. Non mirũ igitur est, si Hispani iis rosis moschatis carẽtes, dubitent, num incarnatæ à nobis dictæ, quæ & solutiuæ sunt.

Sirupus rosatus solutiuus.

Rosa Alexãdrina siue moschata dicta.

sunt,& apud ipsos reperiuntur, moschatæ vel Alexandrinæ dicantur: Sunt enim longe differentes,quum rosa hęc moschata, Alexandrina siue Damascena dicta,alba ad citrinum inclinans est omnino fugienda: Incarnata vero rosa,quæ inter rubram & albam media est, rubricatque, longe alia est, qua vt præstantissima & nobili soluente medicamento vti suaderem. Quia enim in maxima copia habetur per vniuersam Italiam rosa hæc, syrupus rosatus solutiuus, siue nouem infusionum: mirus paratur, adeo vt illius vnicæ tres absque noxa vlla malos è corpore humores pellant. An verò Ieneliabim de rosis Persicis, apud Auicennam prima quarti multis in locis citatum, ex aliqua rosarum dictarum paratur? Respondeo quòd non, quia Auicenna ex floribus Perseæ arboris, mel rosatum, siue ieneliabim, confici suadet: vocat enim flores istos interpres rosas: proinde ornatæ nonnullæ officinæ, ex illis syrupum paratum habent, morbis pituitosis admodum conuenientem. Sunt enim flores isti,natura purgatorij, pituitam & lentes humores, ac crassam bilem depellentes. Cæterum, in rosa, partes istæ reperiuntur, cortex, calix, flos, capillamentum, vel capillus, caput, lana, semen, vnguis, folium dempto vngue, de quibus Manardum audiamus,libro quarto.Epistolarum,epistola quadam Hippolyto missa, cuius verba ita habentur: Antiqui in rosa sex partes non nomine tantum, sed viribus quoq; & facultatibus differentes cognouere, quas à recentioribus fere neglectas, non inutile fuerit recensere. Rosam primo diuidunt in folia, flores,& capita, folia in vngues: & id quod exemptis vnguibus remanet. In flore aliud semen, aliud capillus, in capite aliud cortex, aliud calix,vt Plinij verbis vtar intelligitur. Vnguis pars illa candida vocatur, quæ capiti proximè adhærens, præcidi à seplasiariis consueuit, rhodomeli vel rhodosaccarum reliquo paraturis, vndæ rosæ tales exungulatæ solent appellari. Florem luteum illud intelligũt,quod foliis circumquaq; ambitur separatũ in capillum, id est in tenuia quædam fila,& in semen, quod sub his filis lanugine quadam opertum, cortice continetur.Caput autem solidũ illud,quod foliis& floribus ceu basibus substernitur.Cuius superior pars, ex qua flos & folia prodeunt proprie caput, reliquum

Ieneliabim de rosis.
Persicis quid.
Flores Perseæ arboris.
Rosa frutex.
Rosæ temperatura.

reliquum calix nuncupatur, hactenus Manardi verba. Galenus porrò lib.viij. de Facult.simpl.medic.de rosa ita tradit: ex aquea substantia calida, duabus aliis qualitatibus mista, astringenti videlicet & amara, composita est: flos tamen, magis quàm rosa ipsa est astringens, ac proinde etiam exiccatorius est.

DE ROSEIS PASTILLIS.

Græcè, ῥοδίδες: Latinè, rosei pastilli, trochisci è rosis.

Enarratio CXXI.

ROsei pastilli ad Dioscoridis descriptionem, hodie non parantur. At Paulus Aegineta libro vij. suæ medicinæ, longe aliter pastillos roseos, quam hic Dioscorides, describit, ad arcendos videlicet humorum fluxus, tantum accommodatos, hodie vero pastilli siue trochisci rosei non parantur, possunt tamen parari, veluti è violis, apud Mediolanenses præcipue in vsu frequenti habiti, scamonio & thurbito, ad subducendam aluum ornati: nam diarhodon, à pastillis roseis longe alia res est. *Pastilli de uiolis*

DE LYCIO.

Græcè, λύκιον: Latinè, lycium, buxea spina, pixacantha, lycij succus: Arabicè, Hadhadh, Hadad, Kilulem, & felzaxarag.

Enarratio CXXII.

COncretus succus in officinis habetur, quem lycium appellamus, quod an Dioscoridis lycio respondeat, collatione facta, iudicabitur. Est igitur lyciũ apud Dioscoridem optimum, quod igne accenditur: nostrum vero, vt expertus sum non accẽditur. item Dioscoridis lycium, intus rubricat: nostrum non rubricat, nec rufescit, quibus adde, Dioscoridis lycium, in gustu amaricat: nostrum vero non amaricat, vt in totum fateri est, lycium hoc, in pharmacopolarum officinis habitũ, diuersum esse, à Dioscoridis lycio. Sed quid hoc nostrum lycium sit, aut vnde colligatur, variant testes. Quidam succum ex baccis ligustri expressum esse dicunt, alij ex baccis matris syluæ potius *Lyciũ Dioscoridis, & non est vulgare lyciũ.*

potius contendunt: vtcunq; tamen sit, nostrum hoc commune adulterinum & minime syncerum est, proinde suaderem, vt lycij veri loco, pharmacopolæ, amurca æneo vase incocta, aut sumachio vterentur, vt ex Dioscoridis præceptis, capite de amurca, & rhu, percipitur, vel saltem lycium ex radicibus rhamni, ad Plinij mentem pararent. Sic enim Plinius libr. xxiiij. cap. 14. inquit: huius radice decocta, fit medicamentum quod vocatur lycium. Satius tamen erit, vero lycio vti quod ex Lycia prouincia, facile Venetias adducere quis poterit, quum Alexandriã iuerit. De cuius viribus ita scribit Galenus li. vij. de Facul. simp. medic. lycion arbor est spinosa, ex qua lycium fit, medicamen id liquidum, quo ad sugillata, sedis orisq; phlegmonas, vlcerationes, herpetes, putredines, vlcera contumacia, aures pure fluentes, intetrigines, & paronychias vtũtur: est enim facultatis exiccatoriæ, compositum ex diuersi generis substantiis. Altera quidem tenuium partium, digerente atq; calida: altera terrestri & frigida, ex qua astrictionem exiguam obtinet. Digerit & siccat in secundo ordine, in calore autem mediis est proximum. Est porro lycium Indicum ad omnia valentius.

DE ACACIA.

Græcè, ἀκακία: Latinè, Acacia, spina Ægyptia, frutex gummi Arabici: Hispanicè, arbor de la goma arabica: Italicè, acacia. Arabicè, Æbachie.

HVIVS SVCCI SVCCEDANEVM.

Succus syluestrium prunorum: Hispanicè, cumo de endrinas montisinas de Abrunhos monteſinhos: Latinè, succo di bruni, saluatici: Germanicè, Schlehen. *Gallicè, Ius de prunelles.*

Enarratio CXXIII.

EXtrahitur ex Acacia arbore spina dicta Aegyptia, succus, eiusdem quoq; nominis cum ipsa arbore, quem Andromachus primus cyaneam lachrimam vocauit, & eo hoc nostro tempore officinæ carent, cuius loco, succo

Acacia.

succo prunorum syluestrium merito vtuntur, præcipue, vbi opus est infrigidare, constringere, & repercutere, illum potissimum in orbes redigentes & exiccantes. Cæterum de acacia ita prodit Galenus: Acacia & planta ipsa acerba est, & fructus & succus, qui lotus acrimoniā deponit, porro si parti illinatur protinus eam siciorem ac contractam reddit, estq; tertij ordinis exiccantium, & secundi refrigerantiū, vbi quidem elotus fuerit, alioqui si illotus sit, primi. Est autem consistentia terrens, habetq; in se partes quasdam aqueas, nec non alias tenues & calidas: hactenus Galenus. Ex arbore porro acaciæ, gummi absolute dictū emanat, quod Arabes, gummi Arabicum vocant, cuius tres differentiæ à Dioscoride notantur. Nam bonitate excellit gummi, quod lumbricorum figura est, vitri modo pellucidum, & transparens, minus bonum candidum est: tertium vero, cæteris peius, quod resinosum sordidumue est. De hoc vero gummi absolute dicto tradit Galenus libr. vij. de Facult. simpl. medic. ad istum modum dicens: lachryma est concreta in truncis arborum ipsam producentium, estq; exiccatoriæ & emplasticę facultatis, asperitatibusq; medetur.

Acacia.

Gummi absolutè, gūmi Arabicum est.

DE AMVRCA.

Græcè, ἀμόργη: Latinè, amurca: Hispanicè, Lusitanicè, ago à ruca, alpechim: Italicè, lamorca del oglio.

Enarratio CXXIIII.

AMurca non olei fex est, vt quidam putant, sed potius aqua quædam, quæ quum oleū ex oliuis exprimitur, ipsa

ipsa subdit & resident, atq; in cortina subtorculari, vbi oleum defecatur, foramine disposito, depellitur, & oleum purum & syncerum manet. Hæc vero aqua amurca dicta, æneo vase decocta lycij vice apponitur, de qua Galenus libro vj. de facultatibus simplicium medicamẽtorum ita disserit: ex secundo est ordine calfacientium, at siccantium intenso quodam modo magis, terrestris substantiæ quum sit. Sic & vlcera corporum temperatura siccorum curat, quæ vero in aliis omnibus sunt exasperat, perinde vt resina, pix sicca, & bitumen.

DE VITICE.

Græcè, ἄγνος λύγος: Latinè, agnus, vitex: Arabicè, famancheſt, Samancheſt, & Bengiecheſt, Hispanicè, gatillio casto, pimentero sylueſtre: Italicè, agno casto: Gallicè, agnus castus, Germanicè. Schaffs mulle & Keus chlamp.

Enarratio cxxv.

AGnos siue lygus, aut vitex, Arbor quam vulgus agnum castum appellat est, quanquam nostri veluti alij piper agreste, non inepte eam nominant, quum eius semen sapore piperi sit simile. De quo Plinius eadem fere cum Dioscoride fecit verba, libro xiiij. cap. 9. dicens: non multum à salice vitilium vsu distat vitex foliorum quoq; aspectu, nisi odore gratior esset, Græci lygon vocant, alij agnon, quoniam matronæ Thesmophoriis Atheniensium castitatem custodientes, his foliis cubitus sibi sternunt. Duo eius genera, maior in arborem salicis modo assurgit, minor ramosa foliis candidioribus, lanuginosis, prima album florem mittit, cum purpureo, quæ & candida vocatur: nigra quæ tantum purpureum. Cæterum agni casti semen, genituram & gonorrhœam extinguit, nec tantum epotum semen: sed etiam si folia & surculi, in cubili substrauerint. Vnde Paulus sapiẽtissime lib. j. suę medicinę, cap. 38. quo de seminis redũdantia agit, præcipit, vna cum refrigerantibus herbis, viticis teneros surculos substernendos, est vero arbor hæc agnus castus siue vitex dicta, alia longe à salice Amerina dicta quam Hispani arboré Paradisi appellant. De cuius viribus Galenus

Viticis duo genera.

Salix Amerina differt à vitice.

nus libro vj. Simplicium ita inquit: Agnos, aut vitex, fruticosa illa planta, calidus quidem & siccus est tertio ordine, verum multum tenuis substantiæ, tum gustu acris simul & astringens, ipsas tamen vitices ad medicinam habet inutiles, cęterum folia, semenq;, & flos, calida siccaque sunt facultate, nec nõ tenui substantia, quare sæpe nobis sunt vsui, porro semen edẽdo est, tam perspicuo tamen calfacit, vt capiti dolorem hoc nomine pariat, quanquam si id frigatur, minus caput tentat, vtcunq; tamen sumatur flatus ventris discutit, præterea tum semen, tum flos, tum folia, venereas intemperantias compescunt, quare nõ tantum esa potaque conferre ad castitatem videntur, verum etiam substracta, vnde planta ipsa agnos, hoc est casta vocatur. At ruta quàm agnos magis quidem excalfactoria & exiccatoria existit: ad hæc, agni quidem semen ac germina, modicam astrictionem ferunt, aut ruta vbi aruerit: exacte amara est, & acris: quàm diu verò humida fuerit, subamara: Nulla tamen austeritas aut acerbitas illi inest, aut illa certe obscurissima, quocirca & ad iecur & lienem indurata & obstructa, agni semen potius quàm rutæ competit: præter dicta autem agnus & menses mouet, & indurata digerit, & lassitudinem tollit.

DE SALICE.

Græcè, Itéa: Latinè, salix: Hispanicè, salze, salgueiro, Italicè, salice, salcio: Arabicè, Bulef, Bhulles, saffaf, vel Chalif, Theutonicè & Germanicè, Vvilgenbon, Vveiden, & Felbinger: *Gallicè, Saulx.*

Enarratio CXXVI.

SAlix arbor vbiq; nota est, cuius species, nonnullæ habentur, quas Plinius prosequitur lib. xvj. cap. 37. & lib. xvij. cap. 20. Nec enim vsus salicis sic à medicis contẽnendus est, quum tam multis & magnificis polleat viribus, vt ex subscriptis Galeni verbis apparet, quæ è lib. vj. Simplicium ita habent: Salicis foliis ad cruenti vulneris glutinationẽ vti possis: verũ floribus eius maximè prope omnes vtuntur, ad exiccãtis emplastri præparationem. Est enim vis eorum ita deiccatoria, vt morsu abstineat, habet vero

Salicis flores maximè exiccãt.

Salix.

etiam quandã astrictionẽ, porro succus expressus, medicamen exiccatorium existit, expersq; mordacitatis. Nec enim inuenias aliquod medicamen ad plures res vtilius eo, quod citra mordacitatem exiccat, arboris cortex similem facultaté obtinet, tum floribus tum foliis, nisi quòd tẽperaturę siccioris existit, veluti omnes cortices: etenim cinere corticis macerato in aceto, nonnulli callos, atque myrmecias tollunt.

DE AGRESTI OLEA.

Græcè, ἀγριελάια ἀγριέλαιος, κότινος ἡ ἄγριπος: Latinè, olea agrestis, oleaster: Hispanicè, azebuche, azambuyero: Italicè, oliuastro: Gallicè, oliuier sauuage, Germ. Vvilder œlbaum.

Enarratio CXXVI.

AGrestis olea, oleaster, foliis amarus est, quo primus Hercules coronatus fuit, vt te-

Syluestris olea.

statur

ſtatur Plinius lib.xvj.cap.vltimo: ſed hic animaduertendum eſt,quòd folia & flores oleaſtri, cõbuſta, pro ſpodio, vſurpantur,vt varia alia ab Arabibus inuenta.

COLYMBADES, ID EST SALSAE ET CONDITAE OLIVAE.

Græcè, κολυμβάδες, ἁλμάδες: Latinè, Colymbades, oliuæ conditæ, vel conditiuæ: Hiſpanicè, azetunas de conſerua, azeitonas de ſalmoura: Italicè, Oliue condite.

Enarratio CXXVIII.

COlymbades, conditæ ſalſæq; oliuæ ſunt, quas prima menſa, vt appetentiam excitent, lauti diuiteſq; ſumunt: Vnde Paulus libro primo ſuæ medicinæ, cap.81. de illis ita prodit: Ex oliuis drupę ſtomacho aduerſantur, craſsi humoris, efficaces muria cõditæ, & colymbades, ſi ante cibũ ſumãtur, appetentiã faciũt, & aluũ ſubducũt, ac magis quæ ex aceto & oxymelite, præparãtur, hęc ille. In quibus, adnotandũ eſt, quòd oliuæ duplę, virides abſq; cõditura vlla dicũtur, quæ craſſum & peſsimũ præbẽt nutrimentum: quæ porrò muria condiũtur, quas halmadas, ab ἅλμη, muriã ſignificãte vocãt, efficaces ſunt, non minus ac colymbades, vt hic deprehẽdere licet, Paulũ differentiam poſuiſſe, inter almadas, hoc eſt, muria cõditas oliuas, & colymbades, quanquã plures alij grauiſsimi authores, nullũ inter illas diſerimẽ ponant, ſi quis tamen plures & varias oliuarum cõdituras ſcire deſiderat, legat Palladiũ, & Columellam, apud quos, colymbades dicũtur, quia innatent, & quaſi vrinabundæ fluitent.

Oliuæ drupa qua.

Colymbades cur dictæ.

DE OLEO OLEASTRI.

Enarratio CXXIX.

DE iſto verò abunde inter Olea diximus, Proinde illinc repete.

DE AETHIOPICAE OLEAE LACHRYMA.

Græcè, δάκρυον αἰθιοπικῆς ἐλαίας: Latinè, lachryma oleæ Aethiopicæ: Vulgò, gumma elemi.

Enarratio CXXX.

Gummi elemi.

DIcitur hodie gummi elemi, corruptè, quasi oleæ, quũ revera oleæ Aetiopicæ lachryma esse debeat, quæ verò in officinis hodie habetur, iucundi sane si prunis iniecceris, odoris est: quæ an vera vel falsa sit, dubitatur, quia gummi huius arboris cum scamonio affinitatem & similitudinem habere debet, quam tamen gummi helemi officinarum non habet, imò vt resina aut aliquod aliud gummi est, vt iure censendum sit, vero gummi oleæ Aethiopicæ nos carere: quale tamen commune officinarum sit, mirum in capitis vulneribus habetur, qua de causa ex eo, & vnguentum & ceratum à pharmacopolis concinnatũ habetur. Huius porro loco nonnulli officinarum mangones hederæ gummi, non sine ægrotantium detrimento accipiunt.

DE QVERCV.

Quercus.

Viscum quercinum.

Græcè, δρῦς: Latinè, Quercus, robur: Hispanicè, robre: Lusitanicè, carualho: Italicè, quercia:

Gallicè

Gallicè cheſne: Germanicè, Eychbaum. *Arabicè, Chullot hullet, vel Beluth.*

FAGVS.

Græcè, φηγὸς: *Latinè*, *Fagus*: *Hiſpanicè*, *haia arbore*: *Italicè*, *faggio*, *faggiuola*: *Gallicè*, *faus*: *Germanicè*, Buoch, Buochbaum. *Arabicè*, *Chinaos, vel Chiachas.*

ILEX.

Græcè, πρῖνος: *Latinè*, *Ilex*: *Hiſpanicè*, *Anzina arbore*, *anzinheira*: *Italicè*, *elice*: *Gallicè*, *houx aut houſſon*, *Germanis ignota*. *Arabicè*, *Barbes, vel Carmas.*

Enarratio CXXXI.

DRys vox æquiuoca eſt, omnem arborem glandiferam comprehendens, vt ex Dioſcoride in præſentia comprehenditur, quum dicat: aſtringendi vires quercus omnis habet, proprie tamen drys quercus eſt, ſuaues & dulces glandes ferens, quam nonnulli, etymodryn id eſt veri quercum appellant: nam communis quercus inſulſas, & ſuibus gratas glandes producit, cuius Dioſcorides, tanquam ſpecies, fagum & Ilicem numerat, quod tu intelligas velim, viribus: ſecus autē figura, quum multum inter ſe differant. Nam fagus arbor eſt, quæ licet fructum glandi, figura & forma ſimilem nō habeat, glandiferis tamen annumeratur arboribus, quum fructū ferat viridem aculeatum, intra quem glans dulciſsima, triangulari figura includitur, ſubtili quodam cortice ad ruffedinem, cum quodam ſplendore, veluti in caſtaneis videtur, cooperta, quam glires & mures auidiſsime comedunt, & à turdis maxime expetitur: qua quoq; homines in victu tantum aſſumpta, diu vixiſſe feruntur. Ilex verò arbor eſt ſimilis granam ferenti quæ vt diximus procere creſcit, nonnulli tamen ilicem, maius ſuber eſſe crediderunt, ſed falſò: quum maius ſuber arbor magnæ proceritatis ſit, & ex qua cortices virides & ſicci, variis rebus accommodati extrahantur, nam medius cortex, quem viridem appello, colore

Drys vox æquiuoca.

Fagus.

Ilex arbor

colore rubrum, à coriariis Hispaniæ pro præparandis bubulis coriis vsurpatur, exteriores vero cortices siue sicci, pro cooperiendis domibus tegularum loco variis in locis accipiuntur, veluti pro conficiendis aluearibus, & crepidis, ac soccis ornandis. Hæc vero admodum glandifera est, vt plures aliæ arbores, porcis dicatæ, vt sunt, cerrus, ægilops dicta, esculus, platyphyllos, & roboris varia genera, quæ omnia constringendi vires habent, adeo vt Galenus roboris foliis, vulnus securi inflictũ glutinasset, quum eo tempore nullum aliud ad manus adesset medicamen; sic enim ille tradit libro sexto de Facultatibus simplicium medicamentorum. Exiccandi, astringendique possidet facultatem cum mediocri quadam tepidaque caliditate: cæterum plus cæteris eius partibus astringit, quæ in trunci cortice membrana subest, tum quæ ipsius fructus conuestit carnem, quamobrem ad profluuium muliebre, sanguinis expuitiones, dysenterias: & diuturnos ventris fluxus eam esse credunt accommodam, valentius autem astringunt fagus & Ilex: quarum plantarum folia tenella illita non instrenue desiccant, nec non vulnera glutinant, eandem foliis vim habet & fructus roboris, eoq; medici nonnulli vtuntur ad incipientes atq; crescentes phlegmonas.

Arbores glãdiferæ.

DE CASTANEIS.

Græcè, βάλανος σαρδιανὴ, λόπιμον, κάστανον, μότον, καὶ διὸς βάλανος καὶ ἄμωτον Athe. Latinè, glans Sardiana, glans Iouis, castanea: Vulgo, castagna: Gallicè, Chataigne: Germanicè, Castanien, oder Kesten.

Enarratio CXXXII.

CAstanea echinis inclusa nascitur fructus vbiq; notus, cuius differentię plures habentur, quas persequi superuacaneum arbitror, dicitur tamen castanea, glans Sardiana à Græcis, quia primum Sardibus vrbe Asiæ inuenta. Hæc verò, vt tradit Galenus, libro de Cibis boni & mali succi, si in ventriculo concoquatur, efficaciter nutrit,

Castanea.

nutrit, crassiq;, nunquã tamen mali succi est. Quibus verbis instructus Rabbinus Moses de Aegypto, castaneã inter præstantissimos fructus adnumerauit: flatuosa tamẽ castanea est, quæ sub cineribus cocta flatum amittit, & optimum, licet siccum, præbet nutrimẽtum, modo vel saccaro, aut pipere, vel sale comedatur: exiccatæ porro ad fumum castaneæ sanguinem è pectore fluẽtem sistunt, ex quibus variæ gentes annonæ penuria panem parant, inter quas Ligures præcipuè nominãdi veniunt, quum id genus pane frequentissimè vtantur.

Rabbinus Moses.

Panis ex castaneis paratus.

DE GALLA.

Græcè, κηκὶς: *Latinè, galla*: *Hispanicè, galha, bugalha*: *Italicè, galla*: *Gallicè, noix de galle*: *Arabicè, hafs vel hafus*: *Germanicè*, Gallœpffel, & Eychoepffel.

Enarratio CXXXIII.

FErt quercus & eius species, glandem & gallam quæ ex Syria præcipue affertur, parua, rotunda, in longũ tendens, crebris foraminibus perforata, atramẽto scriptorio conficiendo aptissima: nam optima, succosa sit oportet, plena, grauis, styptica, qualis Anconæ apud Italos, & Castello Albo propria patria nostra apud Hispanos nascitur: vnde suaderem, quum galla vti opus fuerit, hac potius recenti, quàm siccata illa Syriaca, vterentur, quum recens omphacitis acerbior & valẽtior ad omnia, vt diximus, sit.

Galla optima.

Est præterea gallæ alia species, magna, circulo veluti corona circũdata, caput vitulinum figura repræsentans, non adeo tamen vt altera acerba, ex qua pauperes coronas pro numerandis preculis conficiunt. De quibus omnibus Galenus libr. vij. de Facul. simpl. medic. memoriam facit, dicens: Galla, quæ omphacitis dicitur, admodum acerbum est medicamen, pleraque sui parte essentiæ terrenæ & frigidæ, valde desiccat, repercutitq; fluxiones, est verò tertij in desiccando, secundi autem in refrigerando, ordinis. Altera autem galla, flaua illa & magna, laxaq;, & ipsa desiccat quidem, sed tanto minus, quanto minus acerbę qualitatis est particeps. Cocta itaque ipsa per se in aqua, aut si magis astringere vis, in vino aliquo austero, ac dein trita, cataplasma est non instrenuum sedi inflammatæ, procidentiq; Gallæ cõbustæ, extinctæq; in aceto aut vino, sanguinis reprimendi falcutatem acquirunt.

Gallæ temperatura.

DE RHV OBSONIORVM.

Græcè, ῥοῦς καὶ ῥοῦβος: Latinè rhus, rhus obsoniorum, rhus coriariorum, sumach: Hispanicè, sumach, sumagre: Italicè, sumach: Gallicè, sumach. Arabicè, sumach, Adurion, Rosbar sadisticos & rosaïdicos.

Enarratio CXXXIIII.

Sumach.

RHus cuius semen rubricans, & durum conspicitur, & olim piperis loco obsoniis deseruiebat, frutex coriarius, siue vt Columellæ placet, sutoria rhus est, quã officinæ hodie sumach Arabica voce appellant, quãquam Plinius latino nomine olim carere tradat. Is enim frutex, exactissime à Dioscoride describitur, quo & nunc in puluerem redacto, coriarij totius Hispaniæ, pro spissandis & apparandis pellibus calceorum vtuntur, non minus ac illius loco, Itali coriarij calicibus glandium, ex Chio insula & Aulone apud Epirum, aduectis. Est proculdubio sumach, frutex omnino astrictorius, dysentericis, & aliis intestinorum fluxionibus conuenientissimus. Qui mea sententia, ros siue succus Syriacus non est, tametsi Manardus, contra Crinitum credentem rorem Syriacum mannam esse,

ita

ita id esse cõtendat, epistola quarta libri primi, in qua Cornelium Celsum ab errore vindicare conatur. Sed quòd ros Syriacus, rhus obsoniorum non sit, satis liquet: quia ros Syriacus, siue Cyrenaicus aut Medicus dictus, laserpitij succus est, omnes succos caliditate & tenuitate exuperãs, vt Galenus lib. viij. de Facul. simpl. medic. testatur, & Dioscorides ante illum, libr. iij. capit. lxxxv. dixit. At Rhus, id est sumach medicamen ex tertio ordine exiccantium, ex secundo verò refrigerantium est, vt ex Galeno percipitur loco citato. Proinde Manardum non minus ac Crinitum in hac re errasse, certum est: Alter, quia per rorem Syriacũ silphij verum succum, mãnam intelligit: alter verò, rhum, sumach dictum. Sed hic ad memoriam reuocandum est, quòd decoctum rhus ac ad mellis crassitiem redactum, ad ea valet, ad quæ lycium, vt Dioscorides in præsenti loco docet.

Ros Syriacus.

Manardus & Crinitus.

DE PALMA.

Græcè, φοίνιξ: Latinè, palma, dactylorum arbor: Hispanicè, palmera: Italicè, palma: Gallicè, palme: Arabicè, Machla, Nachal: Germanicè, Palmbaum,

FRVCTVS PALMAE.

Græcè, φοίνικες, καρυώτιδες, βάλανοι & fœmin. φλοὶ, Masculi. Latinè, caryotæ, dactyli, palmulæ. Hispanicè, tamaras, datiles: Italicè, dattoli: Gallicè, Dattes, *figues royalles. Arabicè, Tamar. Germanicè,* Datteln.

Enarratio CXXXV.

PHœnix tam arborem quàm ipsius fructum significat. Est enim palma arbor caryotas ferens, cuius varia & diuersa sunt genera, in Africa, Iudæa, & Aegypto, veluti vbi sabulosa & nitrosa terra est, prosperè nascens, tantæ generositatis (vt Gellius tradit) vt huius arboris lignum ponderi nõ cedat, sed sursum eleuare nitatur: qua de causa victoriæ signum habet, quoniam huiusce naturæ est, vt vrgentibus, opprimentibúsve non cedat. At reuera, nos,

Palma arbor.

Palma.

Dactyli.

velut Antonius Musa Brasauola prius expertus fuit, quæ de hoc ligno tradita sunt falsa esse comperimus, nec enim cõtra pondera innititur, aut recuruatur, imò experientia indicat lignum hoc debile esse. Verùm, palmulæ siue dactyli, omnibus noti sunt, esui conuenientes, ex quibus conditum in officinis paratur, diaphœnicon dictum, educendæ pituitæ accommodatum, quo frequentissimè omnes vtuntur medici. Dioscorides, in præsenti capite dactylos myrobalanis similes facit, & illis quidem in Arabia nascentibus, quod vnum animaduersum velim, vt hinc omnes noscant, sciantve, Dioscoridem, myrobalanos communes nouisse. Mirabuntur forsan multi rei nouitate quum hæc legerint, sed desinant rogo mirari, quousq; ex integro sententiam nostram tenuerint, sunt igitur ex Dioscoridis sentẽtia, palmulæ caryotæ, similes myrobalanis, in Arabia nascentibus. Sed qui ij sint myrobalani in Arabia nascentes, discamus, vt inde rem plenè teneamus. Nam hucusq; omnes, qui hac de re commentati sunt, per myrobalanum, glandem vnguentariã intelligunt, de qua quarto libro sermo habendus est: omnes voco, Hermolaum Barbarum, Ruellium, Marcellum Virgilium, Manardum, Leonicenum, Antonium Musam Brasauolam, Mathiolum, Ioannem Agricolam Ammoniũ, ac Leonardum Fuchsium. Sed quod in præsenti loco per myrobalanum, glandem vnguentariam intelligere non debeamus, vel ex hoc tantum probatur, quia glans vnguentaria, siue myrobalanus, auellanæ angulari, figura & magnitudine respondeat, vt testatur Dioscorides, & experientia

Dioscorides myrobalanum vocat.

rei

rei id ita indicat: nec verò cum palmulis affinitatem aliquam habet, vt liquido cõstet per myrobalanon Dioscoridem rem similem dactylis intellexisse, non vero myrobalanon, glandem vnguentariam dictam. Sed quæ hæc myrobalanus dactylis similis, ac semidigitalis magnitudinis sit inquiramus, quum illa proculdubio, quam Dioscor. intelligit erit. Sunt enim myrobalanorum omnium species quinq;, ex arboribus dissimilibus lectæ, quas percurrere, alienum non erit, vt saltem videamus, an aliqua earum cum palmulis conueniat. Est primo, myrobalanus citrinus colore, oblongus, intus os habens, similitudinem quandam cum dactylis paruis habet, vt non ab re fuerit asserere, dactylos iis similes Dioscoridem fecisse, sed esto non ita sit, ad secundam speciẽ accedamus. Myrobalanorum, qui chebuli dicuntur, ex fusco rufescentes, carnosi, pingues, semidigitales, adeo dactylis similes vt merito Dioscorides ipsis dactylos persimiles fecerit, quũ ita inter se conueniant, vt magis inter ouũ & ouum conuenire non possit, vt collationẽ facienti manifestum erit, nec enim, credo, erit vllus tam ἄμυσος, aut ceruicosus refractarieq; pertinax, qui ab hac nostra vellet discedere opinione. LVDOVICVS. Quur igitur si Dioscorides myrobalanos nouit, de illis caput vt solet non præfixit? AMATVS. nouit quidem vt dixi, Dioscorides myrobalanos, sed de illis nullam penitus experiẽtiam habuit, qua de causa, de illis, velut rebus, quarũ vires ignotę illi erant locutus non fuit. LVD. quod equidem meminerim hucusq; nunquam apud aliquem legi, qui dixerit, Dioscoridem myrobalanorum meminisse, imò omnes inter res nouas, & ab Arabibus inuentas, & in vsum medicum adductas hucusq; connumerarunt. AMA. Verum fateris, quum nullus huc vsq; adaperuit, neq; literis mandauit, quòd Dioscorides nostros communes myrobalanos nouerit, quia quum myrobalanum legebant, glandem vnguentariam, quam myrobalanum vocant, intelligebant, parum alioquin aduertentes, Dioscoridis collationem, quam inter palmulam & myrobalanum facit. LVD. perinde ac si eos non nouisset dixerim, quum eorum vires ignorauerit. AMAT. ea de causa Arabum inuentum myrobalani dicuntur, quia prius illis vsi fuerunt, & in actum practicum traxerunt.

Myrobalanorũ quinque species.

LVD.

LVD. de iis præceptores noſtri Salmanticenſes parũ nos inſtruxere, imò eos qui de ſimplicibus curam habebant, ſimplices appellabant. AMA. vera narras, ſed eorum vnus hodie ſuperſtes, vt audio reſipiſcit, & ad bonas literas & Galeni doctrinã comparandã enixiſsime operam dat, nec veretur id fateri, vt diſcipulis ſuis exemplo ſit. LVD. Ita ſe res habet, & cito ſperamus, vt herbaria medicina apud Hiſpanos iam in pretio haberi incipiat: ita quoq; anatomiæ erit, abſq; qua Galenũ intelligere, vt noſti, impoſsibile eſt. AMA. quantum ad anatomiæ cognitionem attinet dubito, quum piaculũ ſit corpus humanũ mortuum apud Hiſpanos diſſecare. LVD. noui, ſed iſthęc miſſa faciamus ne in Hiſpanię ſanctimoniam incidamus, de qua diſſerere longum profecto, nec minus tædioſum eſſet, & myrobalanorum cæteras ſpecies enumerare ne graueris. AMAT. Tertia ſpecies myrobalanorũ accedit, qui Indici dicũtur, oliuam figura referẽtes, nullum os intus habẽtes: quibus quartã adiungere eſt, in qua emblicos reponamus, qui potius per fragmẽta quàm integri ad nos vehuntur. Quinta demum ſpecies, belerici ſunt, rotundi, magnarum auellanarum magnitudine, qui non minus ac chebuli ſaccaro conditi ex India ad nos portantur, caput apprime roborantes, veluti ſtomachum, & alia viſcera. Citrini bilem fugant, Indi atram: cæteri pituitam. De quibus iuuabit legere Meſuem inter Arabes, & Actuarium inter Græcos. Scire tamen licet antea quã ab iſto diſcedamus loco, quòd oſſa palmularum & chebulorũ vſta, ſpodij vice valent, vt ex Dioſcoride in præſentia deprehenditur.

Myrobalanorum vires.

DE PALMVLA THEBAICA.

Græcè, φοίνιξ Θηβαϊκή: Latinè, palmula Thebaica, tamarindus: vulgo, tamarindo.

Enarratio CXXXVI.

Tamarindi.

THebaica palmula, ea eſt, vt mea fert opinio, quã offi cinæ, Mauritana voce, tamaridã vocant, idem enim eſt tamar, ac dactylus vel palmula, vnde tamaridum, idem eſt ac ſi dicatur, palmula Indica, ex qua vinum olim apud multos populos parabatur, hodie verò in Perſia ex palmulis iis

lis iis Indicis contusis & optime salitis succus exprimitur, quo vniuersa Persia, Arabia, & India, aceti loco vtuntur, imò sic saliti tamarindi & contusi plerunq; ad nos vehuntur, quos ego maxime detestor, quum ob insitam salsilaginem sitim incitent, & febrem augeant. Quum igitur tamarindis vti opus fuerit, integros & non saliros eligendos curabis, quia integri ac non saliti febrim minuũt, sitim arcent, & aluum subducunt, quæ omnia saliti deperdita habent. Sunt porro tamarindi vt placet Mesue frigidi & sicci in secundo ordine, vel vt Auerroi, in tertio.

DE ELATE.

Græcè, ἐλάτη ἢ φοίνιξ: *Latinè*, *elate*, *nux Indica*: *Hispanicè*, *coquo*: *Italicè*, *noce de la India*: *Gallicè*, *noix d'Inde*.

SECVNDVM GALENVM.

Ελάτη ἐγκέφαλος: *Cephalio*, *palmites*, *palma agrestis*: *Hispanicè*, *palmitos*: *Italicè*, *præsertim in Sicilia*, *cephaglione*:

Enarratio CXXXVII.

TAm clare, tamq; manifeste Dioscorides in præsentia per elatem nucem Indicam intelligit, vt nõ magna opus sit digressione, sed quòd ita res habeat paucis indicemus. Primo, nux Indica quæ ex India in Lusitaniam, & inde in varias orbis regiones distrahitur, & eam in officinis pharmacopolæ tanquam spectaculum prætereuntium suspensam habent, ex palma arbore colligitur, quæ apud Indos, veluti apud insulas Capi viridis prospere crescit, fructus magnitudine capitis humani: qui ideo nux dicitur, quia nucem figura referat: & Indica quia primo ex India vecta fuerit. Hæc igitur nux Indica primo, cortice crasso vestitur, subnigro, ad ruborem inclinante, qui etsi superficie durus, callosus, & tenax sit, intus tamẽ mollis videtur, et capillato inuolucro texitur. Is primus huius fructus cortex est, quem Dioscorides inuolucrum & operimentũ fructus palmularum vocat, qui quum recens est, ex se subgrauem mittit odorem, & astringendi vires obtinet, quo depositæ

Elate nux indica est.

posito, fructus occurrit rotundus oui anserini magnitudi nem & maiorem habens, cortice coopertus crasso, ligneo, ad ruborem declinante, intra quem medulla seruatur, parte exteriori, eiusdem coloris cum cortice, nã eius interior pars, lactea est, cõcaua, aquam in pretio habitam continens: hunc vero corticem Dioscorides quoq; elaten vocat, veruti borassum alij, in quo foramina quædam, simiæ figuram repræsentantia, conspiciuntur, ob quæ nux hæc à Lusitanis, quoquo appellatur, voce qua mulieres pueris metum inducere solent. At medulla interior, quam Dioscorides cor appellat, candidi est coloris, in parte vt diximus interiori, cibo gratissima, multum genitalis seminis gignens, qua de causa multis conditis ad irritandam venerem dicatis, miscetur. Dicitur autem arbor hæc, siue palma fructum istum ferens, à multis, pauperis refugium, ob id quod multis & variis abundet donis, nam ex ea fructus dictus colligitur, qui quum recens & viridis est, lanha appellatur, tantæ suauitatis, ob aquam intus contentam, vt Deorum ambrosia à multis dicatur: macilentos enim & graciles, obesos reddit, cuius aqua à mulieribus maxime pro facie decoranda expetitur. Fiunt quoq; ex corticibus huius fructus, pocula, quibus inauratis, vel argento ornatis, nobiles vtuntur, parantur quoque ex ista arbore, chordæ, non minoris prætij ac bonitatis quam quæ ex canabe conficiuntur. Fluit quoque arboris huius (caudice perforato) succus, qui vini loco habetur, & postea in acetũ euadit: nam quũ musteus est, ad ignẽ coctus, mel vel sapa redditur, destillat quoq; ex ista arbore liquor olei munia supplens: de quo & melle Dioscorides simul tanquam ab eadem arbore emanãtibus, mentionem fecit, capite de elęomelle: in quo non de vna agit re, sed duabus potius, oleo scilicet & melle, vt ibidem quoq; adnotauimus. Attamen, ne in huius arboris donis diuager, in summa dicam decẽ vel vndecim res, ad vsum humanum accommodatas ex ea colligi, vt merito pauperum refugium dicatur, quia quũ pauper vnam vel alteram, huius palmę arborem possidet, illico miseram pauperiem effugisse creditur. At Plinius, per elatem arborem quandam abietem dictam intelligit, vt lib. xij. capite vltimo, qui de ea ita differit: Est præterea arbor ad eadem vnguenta pertinens, quam alij elaten vocant,

Arbor elate.

Plinij elate abies est.

cant,quod nos abietem:alij Palmam:alij ſpathen. Galenus præterea per elaten non nucem vt Dioſcorides, aut arborem,vt Plinius,intelligit,ſed palmæ tenellum quoddam germen,encephalon,id eſt cerebrũ,vel medullam intra ſe continens,dictum,quanquam & encephalos planta reperiatur parua, à nonnullis cephalio nuncupata,quam vocẽ hodie Neapolitani ſeruant,eam cephaglionvocantes:Luſitani verò noſtri,ſimul ac reliqui Hiſpani, palmitem vel palmitum appellant, quam Viues in colloquiis agreſtem palmam nominat, neſcio quem ſecutus authorem. LVDOVICVS. Hanc ipſam plantam quam Galenus intelligit,& Dioſcoridem intellexiſſe,ſcholaſticis meis,quum publicè Colimbrię interpretarer,ſæpe dixi. AMATVS. Scio certe,quum nos duo è Salmanticẽſi,nobili apud Hiſpanos gymnaſio,in Luſitaniam reuerteremur,te publicè medici nam apud Colimbrienſes, regis mandato legiſſe, imò ibidem tibi in eo munere primas delatas recordor. Sed ego relicta Luſitania,vt qui ab hinc decem & octo annis præſagieram,quæ nunc euenisſe audio,regios contempſi honores,& in Anthuerpiam me recepi,vbi ſeptẽnium egi,& inde Illuſtriſsimi ducis Ferrariæ Herculis ſecundi iuſſu,Ferrariam veni, ſub cuius clientela ſexennium moratus ſum,vbi quoq; publice artem medicam profeſsi ſumus: & multa à viris doctiſsimis, in re anatomica & herbaria didicimus. LVD. vtinam eo tempore tecum ſentiiſſem,nec in illo regno tam longam traxiſſem moram, vt Germanorum mores citius dignoſcere potuiſſem,quibuſcũ hodie Anthuerpiæ feliciſsimè diuerſor. AMAT. Sunt certè Germani viri probi & doctiſsimi, Germanos dum dico,ſimul & Belgas illos,qui nunc Brabanti,Batauí & Flandri appellãtur,intelligo:de quibus aliàs,nunc verò ad noſtrum encephalum reuertamur,quod tu Dioſcoridis elaten eſſe putas. LVD. ita certe autumo,quum quoq; illius deſcriptioni,Galeni encephalos ſiue elate reſpondeat. AMAT. quòd res ita ſe habeat, apparet, imo tecum ſentio, quòd Dioſcoridis elate idem ſit cum encephalo ſiue Galeni elate, nec enim grauor ita celeriter ſentẽtiam immutare,quum poſteriora,vt eſt in veteri prouerbio,meliora ſemper eſſe ſoleãt. LVD. non ab re quoq; eſſet,per elaten, in præſentia nucem Indicam intelligere, vt tu probè

Galeni elate cephalio eſt.

Viues.

in lemmate finxisti, quã quoq; elates descriptio illi respõdeat, quin ab eadem arbore nux Indica, & encephalos colligantur. AMAT. Memoriæ occurrit, me apud Theophrastum li. vij. de Historia plantarum legisse, esse bulbi quoddam genus, circa ripas amnium nascens, in cuius medio, hoc est inter summum corticem, & eam partem quam comedunt, lana reperitur, ex qua mappalia, vestes, & alia similia conficiebantur: sed vbi aut in qua regione id fiebat, subticuit: imò Plinius de hac re Theophrastum adducit, postquam de sparto locutus fuit, lib. xix. suę Naturalis historiæ capite secundo. LVD. ita est, & per hanc bulbosam plantam, quum plerunq; sim contemplatus, nullam aliam Theophrastum intellexisse, quam encephalum hoc, assequi potui. AMAT. Tecum sentio & à tua non discedam opinione, quum re vera Theophrasti bulbosa illa, planta, encephalos siue palma nostra parua sit, qua frequentissime vescimur. Nam primo encephalos, bulbosam radicem habet, multis obuolutam cooperimentis, quum eam excorticanti, primo crustata quædã folia horridis armata spinis occurrant: post quæ, lanei multi plexus apparent, ex quibus, dubio procul, & vestes, & togæ, & mappalia, & sacci fieri possunt: post hanc vero lanam, laminæ quædam digitales, tenellæ, cibo cum toto ipso radicis meditullio, aptæ conspiciuntur. Quæ sane à Theophrasti descriptione non multum abhorrere videntur, quin imo cum ea cõuenire, pro comperto habeo. Nam lana hæc sub primis tunicis habetur, adeo vt inter internum quod manditur & externum media sit: ex qua sacculi hodie perbelli pro seruandis pecuniis ornantur, & illis Lusitani nostri passim vtuntur, & nisi lini & lanæ ingens esset copia, vestimenta ex ea parari possent, quę olim confici creditu facillimum est. Verum huius plantæ, in Betica regione, & Algarbia Lusitaniæ parte, magnus est prouentus. Ex quibus regionibus, ad Anthuerpiam apud Belgas florentissimam ciuitatem magna adducitur copia, quæ in maximis habetur deliciis, nec nisi optimatibus, aut principibus præsentatur, quum cibus sit delicatissimus, suauis, ventriculo gratus, multum genitalis seminis gignens, qua ratione ab illis multum desideratur, & de ea Serapio bdellium confici meminit, vt capite de bdellio diximus, quam cifilionem

Elate Dioscoridis idẽ cum encephalo Galeni.

Theophrastus interpretatur.

Bdellũ ex quo fiat.

nem corrupta vt solet voce appellat.

DE MALOPVNICO.

Græcè, ῥοὰ vel ῥοιὰ: Latinè, malum Punicum, malum granatum: Hispanicè, granadas, romanas: Italicè, Melagrum, grani: vel pomi granati: Gallicè, pomes grenades: Arabicè, Kuman, Ruman, & Romam: Germanicè, Granat œpffel.

Enarratio CXXXVIII.

POmum granatum, malum Punicum dictum, omnibus notum esse arbitror, cuius genera Plinius quinq; facit, lib. xiij. cap. 19. scilicet, dulce, acre, mixtum, acidum, & vinosum, quæ ad tria tantum Dioscorides Hippocratis more reduxit, dulce, acidum, & vinosum, non acre in acido collocauit, & mixtum in vinoso. Recentiores vero, dulce, acre, & medium, quod Arabes musum appellant, dicunt, cuius loco ipso deficiente, dulci & acri mixtis vtuntur. De horum vero temperamento in præsenti inquirere necessarium est, quum varient authores: nam Dioscorides in præsentia, dulce, calidum esse intelligit, qua de re in febribus vitandum suadet, quia calorem inducit. Item Hippocrates lib. ij. de Diæta: mali Punici dulcis succus, inquit, aluum mouet, habet autem quid æstuosum: Mala punica vinosa minus æstuosa sunt: acida vero magis frigefactoria: Nuclei autem omnium aluum sistunt, hæc Hippocrates, ex quibus constat, malum Punicum dulce calidum esse, cui axiomati omnes fere Arabes fauent, & primo razes lib. iij. ad Almansorem regem dicato, qui capite secundo ita inquit: mala granata dulcia non infrigidant, sed inflammationem & sitim faciunt: à quo nullus quod sciam Arabum dissentit. Præterea sapor dulcis caliditatem attestatur, quum quæ dulcia sunt, ea calida dicantur, vt iure credendum sit, dulce pomum Granatum, calidum sit, non vero frigidum aut alterius qualitatis. Iis porro Paulus Aegineta oppositus est, quum dicat: Malum Punicum omne astringẽdi vires eximias possidet, quibus refrigerat siccatq;, verũ dulce aliis minus: Per que verba clare patet, quòd mala Punica dulcia, frigida esse dicat,

Malorum Punicorum temperatura.

cui adſtipulatur quoq; Auicéna Paulum plerunq; ſequens cùm lib.ij. ſui canonis dicat: Granatum dulce frigidum & humidum in primo gradu eſt, acetoſum vero frigidum & ſiccum in ſecundo. Nos vero vt in hac re audacter iudicium noſtrum proferamus, credimus, quòd Paulus, vere dulcia granata non nouit, imò quæ apud nos vinoſa aut media ſunt, illi pro dulcibus habebantur, vnde omnia non immerito frigida eſſe dixit: Sciebat enim Paulus, dulce pomum granatum calidum eſſe, vt ex Galeno deprehenditur lib.viij.de Facultatibus ſimplicium medic.dicente: Omne malum Granatum aſtringentem qualitatem ſortitur, non tamen in omnibus ea exuperat. Nam inter ea quædam ſunt acida, quædam plus dulcia, quàm auſtera, pro ratione quarum qualitatum vincentium ſuos vſus præſtant. Porro, acini aſtringentiores & exiccantiores ſunt ſucco, ſicuti & his putamina, quæ ſidia dicuntur. At ſimilem vim habent flores qui cytini dicuntur. A ſapore igitur inquirenda temperatura in iis malis Punicis eſt, quum quanto magis ad dulcedinem tẽdunt, eo magis calida dicenda ſint, & quanto magis dulcedine diſcedunt, & ad acetoſitatem appropinquant, tanto frigidiora dicenda ſunt, item quæcunq; magis lignoſa grana habuerint, eo magis ſtyptica dicẽda ſunt. LVD. Ea igitur poma granata, quę nos capharilia, Itali alaſi appellamus lignoſo acino carentia ſtyptica non ſunt dicẽda. AMAT. ita eſt, quia parum aut nihil, cõparatione ad alia conſtringunt. LVD. Monendi hic pharmacopolæ ſunt, ne per malũ Punicum intelligant id quod ſeplaſiarius quidã Pariſiẽſis intellexit, quum medicus deſcriberet, ſucci malorũ Punicorum, ſiue malorum Granatorũ, ille craſſæ Mineruæ, hebes ingenio, & ignarus vocum, quũ ex malis granatis, & illis quidem optimis, ſuccum extractũ amãdare debuerat, tantum abfuit, vt optima, aut bona intellexerit poma, vt potius, putida & corrupta acciperet, ex quibus ſuccum fœtidum & putridum extractum ad miſerũ ægrotãtem miſit, credens vtiq; per mala, nõ poma, ſed mala putrida, corrupta ac flaccida granata, intelligi debere. AMAT. ab hinc decẽ annis rem ita euenisſe audiui, imò Petrus Fernãdus amicus noſter, qui magna cum gloria apud Anglos Londini medicinam exercuit, & nũc proſperè apud Venetos agit, mihi libellum

ſidia.

Cytini.

libellum vbi hæc scripta erant Anthuerpiæ indicauit, quæ tu postea in ea epistola, quam Lexico Nebrissensis Anthuerpiæ excuso apposuisti, ad memoriã reuocasti. L V D. quæ igitur ex malis Granatis in officinis seruata habẽtur, edocere ne graueris. A MAT. Seruantur cortices, quin & ipsa poma seruata habentur, ex quibus & succus quoq; extractus seruatur, præcipue ex acidis, quem vinum granatorum practici appellant, & cum febricitantibus pro extinguenda siti, & roborando ventriculo, ac mitigando ardore febrili, in potu propinant, non minus oxyzaccara, ex hoc succo & saccaro dicta, paratur, quæ & simplex & composita passim in officinis habetur. L V D. in hoc syrupo malorum Granatorum, medici monendi sunt, quia laborantibus putridis febribus ab obstructione pendentibus, continuo illum tribuunt, parum animaduertentes, quòd syrupus iste constringat, & arctos meatus reddat, vt Galenus libro decimotertio Methodi medendi docet, quum de malo Punico agit, dicens. Malum Punicum & cætera quæ astringunt, dum bilis meatus os arctant, bilem ipsam excerni prohibent, proinde mala Granata, & ipsorum syrupus veluti similia alia, putridæ febri curandæ nullo modo conferunt. A MAT. Detestandi sunt medici illi, qui tantum ad febrim, despecta eius causa aduertunt, nunquam vt tu probe nosti, Galenus febres putridas frigidis constringentibus depulit, sed potius medicamentis aperientibus, quæ nonnihil caliditatis habent. L V D. Hæc maiori digressione indigent, propterea quia ad methodum medendi pertinent. A MAT. ita est, sed methodus medendi cum notione facultatum medicamentorum mutuo nexu connectitur.

Monẽtur. Medici.

DE CYTINO.

Græcè, κύτινος: Latinè, cytinus, mali Punici domestici flos: Hispanicè, flor de granadas: Italicè, fior de pome granate domestice.

Enarratio CXXXIX.

CYtinus flos est mali Punici domestici, quẽ pharmacopolæ vice balaustij exhibent, ex quo succus hypocistidis modo exprimitur, ad eadẽ valẽs ad quę hypocistis.

DE MALICORIO.

Græcè, σίδιον: Latinè, malicorium.

Enarratio CXL.

Malicorium. MAlicorium granatorum putamen est, siue cortex, quanquam recentiores, malicorium tantum, parua illa poma rubricantia esse volunt, quæ & ipsa astringendi vires habent.

DE BALAVSTIO.

Græcè, βαλάυστιον: Latinè, balaustium.

Enarratio CXLI.

Balaustio. BAlaustion, siue vt Columella balaustum, sylvestris Punicæ flos est, quæ arbor Ferrariæ videtur, & præter oculis gratos flores, quos emittit, nullum alium fructum profert: Qui apprime constringunt, & ea de causa in officinis seruati habentur.

DE MYRTO.

Græcè, μυρσίνη vel μυρσίνη: Latinè, myrtus: Hispanicè, raiam, murta: Italicè, mortella, mortina, myrto: Arabicè, Aes, As, vel Alas: Gallicè, Meurte: Germanicè, Vvelsch hey delbeer.

Enarratio CXL.

Myrtus frigida est. MYrtus tam frutex quàm ipsius niger, & albus fructus, communis est: ex succo cuius syrupus myrtinus in officinis pro sistenda aluo paratus habetur. Est enim myrtus vt Paulus lib. vij. inquit, ex diuersis composita substantiis, in qua terrestris pollet frigiditas, qua valenter siccat. At myrtula trunco & ramis ipsius adnascens tumida, maiore vi in astringendo & siccando scatet: iam vero & folia aridiora viribus magis siccant, itē fructus succusque tum foris applicatus, tum intus assumptus, persimiles vires præ se fert. Cæterum ex floribus myrti albis odoriferis, aqua per campanā elicitur, non nisi suauissimi odoris, ob quem à delicatissimis mulieribus in summo pretio habetur.

De

DE CERASIIS.

Græcè, κέρασια: Latinè, Cerasia, & Cerasa: Hispanicè, Cerezas: Arabicè, Sarasie: Italicè, ceregie: Gallicè, cerises: Germanicè, krieſſen, kirſſen.

ACIDA CERASA.

Græcè, oxyceraſon: Latinè, acida ceraſa: Hiſpanicè, guindas: Italicè, maraſche: Germanicè, Saur kirſsen, Ammelbeer.

Enarratio CXXXIII.

Ceraſia.

CEraſus arbor, & ceraſum fructus dicitur, dulce & acre, quę Lucius Lucullus poſt victoriam Mithridaticam, anno vrbis ſexcenteſimo octogeſimo, in Italiam è Ponto vexit: hodie verò multorum generum ceraſa apparent, dulcia, acria, auſtera, vinoſa, & illa quandoq; nigra, vt plurimum verò rubra, variis inſignita nominibus. Cæterum Luſitania vt Placet Plinio, bona fert ceraſa, ſed quod equidé meminerim, nuſquam meliora habétur, quam Lugduni: porrò acida ſiue acria ceraſa, apud Salmanticam florentiſsimum Hiſpaniarum, imò totius orbis omnium doctrinarum gymnaſium, guſtui gratiſsima reperiuntur, quæ & ſaccaro & melle condita variis in locis reſeruantur, vt illis poſtea febricitantes ad arcendam ſitim vtantur: de quorum facultate, & tempera-

Ceraſa optima.

tura, Galenus, lib. vij. de Facultatibus simplicium medicamentorum ita tradit: Quæ dulcia sunt magis aluum subducunt, sed minus grata stomacho sunt: Austera verò, contrario modo: at acida, pituosis excremétosisq; stomachis sunt idonea, siquidem austera magis exiccant, & nonnihil etiam incidunt: ipsius arboris gummi arterias asperas lenit, calculisq; vexatos adiuuat.

DE CERATIIS.

Græcè, κεράτιον: Latinè, ceratiũ, siliqua: Hispanicè, alsarobas: Italicè, carrobe: Ger. S. Iohanes brot.

Enarratio CXXXIIII.

Siliquæ.

CEratium per t. literam scriptum, siliqua dulcis est, quã alij xylocaratam vocãt, alij verò Mauritana voce charliob, vel charamulium, appellitãt, quæ vaginis, siue siliquis fabarum similis est, falcata esui cum toto cortice apta, intra quã, semina veluti in siliqua Aegyptia, casia fistulari dicta condũtur: nam sicca optima stomacho est, viridis vero amarissima ac stomacho ingrata, sicca aluum subducit: non est tamẽ hac de causa casia fistularis appellanda, quanquã omnino non ab re esset, affirmare, siliquam hanc vulgarem speciem casiæ fistularis esse, vnde nõ immerito quidam cassiam fistularem siliquam Aegyptiam appellant. Quia vt hæc qua vescimur in Italia & Hispania, variisve locis nascitur, ita eo modo casia fistularis in Aegypto & India,

vt ij

vt ij qui ex Alexandria in Chairum ciuitatem totius Aegypti caput per Nilum adnauigant, norunt. FEDERIC. Sunt ne arbores inter se similes, vt siliquas has dulces cum casia fistulari affinitatem habere dicas. AMAT. Ita referunt qui vtranq; viderunt. Nam arbor casiam fistularem ferens procera est, folio nucis, per ordinem veluti in fraxino videmus, dispositio, cui cortex cinericij est coloris, quo detracto rubricat, in superficie lignum, solidum, durum, intus nigrum quod dum viret pessimè olet, imò vt rem manu tractemus, in promptu folia sunt, quæ nunc, nunc per nauim istam onerariam ex Alexandria ad me vecta sunt. FED. Omnia hæc arbori dulces siliquas ferenti quoq; conuenire sæpe obseruaui, quum frequens apud patriam meam, oppidum in agro Piceno quod vulgo Rocha Contrata dicitur nascatur, vt iure dicēdum sit, soli tantum ratione, arbores differre istas, imò ipsæ siliquæ inter se maximam habent similitudinem, & vtræq; eo modo in arbore pēdent. AMA. Vtcunq; se res habeat, siliquæ casiæ fistularis eligendæ sunt crassæ, ponderosæ, quæ quum quatiuntur, nihil intus sonat: quum vero franguntur, splendēt, & plenæ nigro illo atramentario pulpamento sunt, quo frequentissimè pro depellenda vtraque bile vtimur, & ab eius propinatione, non multum permittimus, absq; victu ægrum, ne loco cibi, natura illud ad se rapiat, vt ex Galeno in praxim capite de prunis traximus.

Casia fistularis.

CONSTANTINVS.

Est benignum, & plenum ingenui pudoris fateri per quas profeceris, vt dixit eruditionis flumen Plinius: è diuerso obnoxij profecto animi, & infœlicis ingenij est, deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere, cùm præsertim fors fiat ex vsura. Quod certè in Amatum Lusitanum (cuius ingenio raro, & doctrinæ singulari, vtroq;, quod dicitur, pollice faueo) non adducerem quamuis ἐν κακοφάτῳ deprehensum, nisi Plinij sensum inuerteret: quod vtrumq;, vt melius percipias, loca ex Plinio nostro recitabo libr. xv. Cap. 20. Haud procul abesse videntur & prædulces siliquæ, nisi quòd in iis cortex ipse manditur. Digitorum hominis longitudo illis, & interim falcata pollicari latitudine. Et libr. 23. Cap. 8. Siliquæ recentes, stomacho inutiles, aluum soluunt.

soluunt. Eadẽ siccatæ sistunt, stomachoq; vtiliores fiunt. Ista confer cum Amati dictione. Consuluisset magis lectorum studiis, si etiam ascripsisset, quæ de siliquis hunc in modum idem author prodidit. lib. xv. Cap. 28. In siliquis vero quod manditur, quid nisi lignum est? Non omittenda seminis earum proprietas. Nam neq; corpus, neq; lignum, nec cartilago dici potest, neq; aliud nomen inuenit. Ibidem: siliquis gignuntur, ipsis dulcibus semenq; complexis amarum, cùm in pluribus semina placeant, in siliqua damnentur. Idem libr. xvij. Cap. 18. de siliquis græcis meminit serendis ante brumam per Autumnum. Quo loco tamẽ corruptè legitur siliquæ græce pro siliquis græcis. Ex quibus satis constat. Siliquam, arborem significare quam galli vocamus vng Carrubier. Et galenus Paulusq; Aegineta κερατίων. pro fructu vero sumitur etiam siliqua. Actuario est καρυδάκια quod aliis græcis κέρατα aut ξυλοκέρατα, aut παράσιον: quo nomine etiam vtitur Columella, Ceration aut Siliquam græcam nominans libr. v. Cap. 10. Siliquam, græcam inquit, quam quidam Ceration vocant, & persicum ante brumam per Autumnum serito. nostri galli vocant des Carrubes, quæ vox ex Arabica lingua deflexa est, Arabes enim hunc fructum vocant, Charrub: vel Charnub. Sed monendum in transcursu, ab hac siliqua græca, multum differre siliquam syriacam, quam Iones Cerauniam vocarunt trunco & ipsam fertilem, sed pomo Siliquæ, quam etiam Aegyptiam ficum falsò quidam nominarunt. De qua vide etiam apud Plinium libr. xiij. Cap. 8. Scilicet de Ceraunia Siliqua, quæ eadem est cum syriaca, de qua agit lib. xxiij. Cap. 8.

DE MALIS.

Græcè, μηλέα: Latinè, malus, pomus: μῆλον, malum, pomum: Arabicè, Tuffa & Tufaha: Hispanicè, manſanas: Italicè, pome, Gallicè, pommes: Germanicè, Oepffel.

Enarratio CXLV.

Pomorum varietas.

POma vbiq; nota sunt, de quorũ varietate & præstantia, viribusq; legito Galenum libro secundo de Facultatibus alimentorum, capite vigesimo primo. Cæterum in præsenti loco minime grauabor inquirere, quæ potissimum Poma accipienda sunt, pro conficiendo syrupo pomorum

pomorum,quo cõtra cordis palpitationem,& syncopem, veluti contra cardiacam & luctuosa suspiria aliasq; atrabiliarias ægritudines vtimur. BRASAVO. Cur tu in ijs immoraris, quum Mesue & dulcia & acida accipienda pro parando syrupo de pomis suadeat. AMATVS.Noui hercle non ea tantum quæ Mesue dixit,sed quæ tu magno iudicio, in Examine syruporum de hac re exarasti, in quibus dubio procul, licet non suadeas, cupis tamen ab Aromatariis & Seplasiariis, diuersi pomorum syrupi vt fiant,Alter ex pomis dulcibus odoriferis, quæ vel dicente Galeno cor iuuantia sunt, qualia Camusia vocata,& Regalia dicta,ita odorifera,& cordialia,vt si eorum cortices ignitis prunis iniiciantur,ex se odorem referant moschatum: Alter vero ex acidis pomis,qui nõ cordis affectibus opitulatur,sed potius stomacho,& ipsius vẽtriculo,quum sitim arceat,ventriculũ roboret,& bilisvomitũ reprimat. BRASA.Recte sanè perpendisti,quum dulcia poma odorata cordi succurrant, acida vero nihil cũ corde habeant, sed ventriculum potius roborant, & ipsum constringant, & hac de causa Arabes,quum syrupũ de pomis acidis, vel musis id est medij saporis concinnãt,ad stomachi affectus illum parant,nõ vero ad cordis passiones,vt ex Auicenna quinto libro sui Canonis,& Serapione libro suorum simplicium elicitur. AMA. Parabunt igitur deinceps seplasiarij syrupum ex Pomis tantum dulcibus odoriferis,quo medici contra cordis affectiones vtentur: alium vero ex acidis ventriculo conuenientẽ. BRASA. Ego vero consilium tuum approbo & laudo. AMAT.Vereor tamen, vt quum pharmacopolæ auari sint,in ea variorũ syruporum compositione impẽsas facere recusent,satis contenti,vno syrupo ex dulcibus & acidis pomis cõposito.BRAS. Imò quum mihi illorũ ingeniũ perspectum esset, vt ex promiscuis pomis syrupus fieret,permisi. AMAT. Vnum est,de quo maxime miror,quòd tam raro ægrotantibus tuis, poma assa vel cocta,pro victus ratione offeras, quum tamen omnes feremedici,ea tanquã victũ præstantissimum præbeant. BRAS. Ita est, quia plerunq; in ægros incido obstructionibus laborãtes, quibus poma aduersissima sunt, quum pituitosa flatuosaque sint,& maxime astringentia, præcipuè si acida fuerint.AMA.Parũ in Hispania Medici

hoc animaduertunt: imò multi Italorũ, qui quoq; in quouis morbo correpto ægro, pomum vnũ vel alterum assum saccaro coopertum concedũt. BRAS. Sub calidis cineribus assatum, vel mediocriter aqua incoctũ, laudat Galenus, modo à cibo detur, quum vẽtriculum & stomachum roborat, & deiectam appetentiã incitat, & concoctionem adiuuat, imo qui diarrhœa, aut dysenteria, vomitú ve infestati sunt, eo maxime iuuantur, præsertim si acerbũ fuerit. AMAT. Galenus libro de Attenuante victus ratione, si recte teneo, dixit, ex pomis ac piris minus nocebũt quæ elixa fuerint, quòd tamen ea febribus correptis, in victus ratione daret, hucusq; nunquã ab eo traditũ legi. BRAS. Ita est, & quum primum occasio se tulerit, affatim de hac re disseremus.

Poma assa vel cocta à cibo comedẽda sunt.

DE CYDONIIS.

Græcè, κυδώνια: Latinè, Cydonia, mala cotonea: Hispanicè, mẽbrillos, marmellos: Italicè, codogni: Arabicè, Saffargel, Gallicè, Coings: Germanicè, Quittẽ.

Mala Cydonia.

Aurea mala.

Miua cytoniorum.

Enarratio CXLVI.

CYdonia, siue mala cotonea, satis sunt nota, quæ, vt mea fert opinio, vere aurea mala sunt, de quibus Poëta ita tradit in Aegloga.

Aurea mala decẽ misi, cras altera mittam.

Romæ enim visitur hodie statua Herculis mala Cydonia manu tenẽtis, quę credibile est ab antiquis aurea vocata, nota est enim fabula, de Hesperidum hortis ab Hercule spoliatis: stomacho enim Cytonia gratissima sunt, ex quibus syrupus, miua Cytoniorum dictus, & cum aromatibus,

bus,& ſine illis,frequẽter in officinis paratur, veluti conditum diacitonites,cum ſaccaro vel melle,quod nonnunquam ſcamonio ad ducendam aluum acuant: ineſt autem Cydoniis,virtus,ac piris,auſteriſve fructibus æqualis,qui quum ante cibum comeduntur,aluum conſtringunt,à cibo vero eam fluidam reddunt, vt Galenum adnotaſſe legimus libro ſecundo de Facultatibus alimentorum:dicta tamen ſunt Cydonia à Cydone Cretæ oppido, vnde primum aduecta ſunt.

DE MELIMELIS.

Græcè, μελίμηλα & ϛλυκόμηλα, Latinè, Melimela, Poma mellei ſaporis, Arabicè, Galopomella, Melomolla.

Enarratio CXLVII.

MElimela poma, à ſapore melleo in eis reperto denominationem habent,ſic quoq; Epirotica ſiue orbiculata, à figura rotunda dicũtur:nam ſylueſtria poma, acerba & nulla arte culta ſunt, quæ ventrem valentiſsime conſtringunt. *Melimela.*

DE PERSICIS.

Græcè, πέρσικὰ: Latinè, perſica, poma perſica: Hiſpanicè, pexegos: Italicè, perſigui: Gallicè, peſches: Arabicè ſauch. ſeu Chauch. Germanicè, Pferſich.

Duracina Perſica: Hiſpanicè, duraſnos, durazios: Italicè, durazini: Gallicè, preſſes: Germanicè, Sant Iohans pferſich.

Enarratio CXLVIII.

QVum Dioſcorides, in præſenti, de variis pomorum generibus agat,& de perſicis pomis loqui conſentaneum erat. Sunt enim horum varia genera, Duo tamen præcipua, duracinum, & præmolle. Duracinum ſic dictum, quia difficulter ab oſsibus auellitur, non vero à rhodacino deductum, vt quidam fabulantur, hoc in vniuerſa Hiſpania in maximo habetur pretio: & meritò, quia *Duo genera perſicorum.*

Persica.

quia stomacho sua suaui & vix perceptibili stypticitate cõueniat, imò ea de causa inter cordialia medicamenta à nonnullis reponitur, pręmolle vero, vt vile infimæ plebis hominibus relinquitur, sic dictum, quia facile ab esse suo diuellitur. Sunt tamen nonnulla præmollia persica in Italia, intus rubra, quæ duracinis non cedunt, grata sapore, stomacho accommodata, quibus donis, in pretio habentur, & plusquàm duracinis expetuntur. Hæc vero omnia persica poma, in Persia lethalia, & venenosa erant, in Aegypto postea mitia facta, & suauissima, qualia nunc videntur, vt vberius dicemus, quum de arbore locuti fuerimus. Cæterum admonendi à me in præsenti veniunt, qui Persicis vescuntur, ne illa post alios cibos comedant, sed potius prima mensa ante aliorũ præitionem accipiant, vt Galenus suadet libro secundo de Facultatibus alimentorum capite decimonono. Quia si post alios cibos comedantur, nimia sua humiditate innatant, & corrumpuntur, nec solum ea ipsa, sed etiam cæteri cibi. Sunt igitur lubrica humida, & quę subduci facile queant, proinde ante alios cibos mãdenda. PYRRHVS. Hæc omnia de præmollibus intelligenda esse crediderim persicis, secus autem de duracinis, ex quibus optimus spirat odor, suauis, gratus, & spiritum recreans, nam eorum sapor delicatissimus est, cum quadã austeritate perceptibilis, qua mediante stomacho conducit, & ipsum roborat: quibus de causis post victũ accipi posse affirmarim: imo omnes principes Hispaniarũ, & viri delicatissimi, ea post victum comedunt, non nisi prius vino infusa, & nullam

lam inde noxiam euenire persentiunt. BRASA. Sub cineribus coctum, vnum vel alterũ pomum persicũ, ægrotantibus meis, quum eorum instat tẽpus, offero. AMAT. Obseruaui sedulo quum de salute ægrotantium inter nos sæpe consultatio fieret, vt ea persica assa, & saccaro respersa edenda illis concederes, quum tamen à nullo antea, nec Hispano, Gallo, vel Germano medico, cum quibus abunde versatus sum, vnquam id factitatum esse animaduerterim. BRAS. delicatissimus cibus est, & ægris perquàm gratus. AMAT. non dubito, quòd Hispani nostri deinceps eo vtantur, & in praxim trahant, vt sunt, Leonardus Nunius medicus apud Lusitanos, dignus vt primas apud regem dignitates obtineat: Hieronymus à Pedarneria, vir mea sententia doctissimus, & alij plures, quorũ nomina alibi citamus, non nisi doctissimi sapientissimi & multa laude digni. BRAS. Siccata persica vbiq; seruari animaduerti. AMAT. imò conditum ex ipsis persicis, nusquàm quod equidem meminerim, clarius aut sapidius quàm Genuæ paratum vidi. BRASA. Omnium consensu, primas illic obtinet, quanquam & apud Ferrarienses, non postremæ notæ concinnentur, quod conditum Abinzoar libro sui Theisir maxime laudasse videtur. AMAT. imò multorum iudicio & eorum præcipuè qui apud insulam Maderiæ diu egerunt, condita zuccarina multo perfectius Ferrariæ parantur, quàm apud insulares illos, zuccaro & omni genere fructuum abundantes.

CONSTANTINVS.

NOn abs re dixit grauissimus author Plinius nominum affinitatem errorẽ parere, nisi quis optimè distinxerit, Itaque non mirum si Marcellus Virgilius, in Dioscoridem Amatus Lusitanus, in hoc cap. & Enarr. 166. Ioannes Agricola de Simplic. Et Simphorianus Campegius in historialibus Galeni campis nullo facto discrimine inter perseam & persicam arborem grauiter prolapsi sint eandem rem esse asserentes: cùm re vera his vocibus duæ specie differentes arbores significentur quæ singulatim vtroque nomine dicuntur tùm græcis tùm latinis authoribus. harum tamen quæ propriè persea dicitur nobis tàm est incognita, quàm Persica vulgaris. voces itaque quibus promiscuè, aut seorsum nuncupantur heæ plantæ, sunt περσέα Dioscoridi libro j. cap.

147.

147. Theophrasto lib. iiij. de historia plantar. cap. 2. Galeno libro de Alimentis 2. & eiusdem numeri libro de compositione medicamentorum secundum locos: Straboni lib. vltimo geographiæ, atq; Aristoteli libello de mundo, quã etiam Galenus loco citato πέρσιαν dictam scribit: Et Theophrastus lib. ij. de plantarum historia. Dicitur etiam περσέα ἡ περσία apud theophrastum, lib. iij. de hist. Plantar. cap. 5. περσέη verò legitur apud Nicandrum in Alexipharmacis quo loco ita cecinit.

Καί τε παλαιτριφθέϊσα μετ' ἀγρίοιϊ & ἐλαίῃ
Σκλῆρ' ἀπὸ περσέης πάσσε βλάβ & οἷον ἐρύξεις
Περσὶν ὧν ποτε ποιὶ λιπὼν Κυφηλὰς ταλαὸν,
Αἰχμὴν ἀποσμήξας ἀφτιτονέϊσα Μελίσσῃ,
Ῥᾶα μυκηναίοιϊν ἐνήξασιν αἰόλῃσι.

Quo loco persea τὸ ὄσσον, id est os, vocat πάγον hoc est nucem, vt ita Græcè vocauit Theophrastus de plantis lib. xiiij. sicuti Diphilus Nicandri interpres adnotat. (legendum tamen. lib. iiij.) & vt Latinè nucem vertit Plinius lib. xiij. cap. 9. At Persica hoc est, περσικὰ apud ipsum Theophrastum deprehenditur lib. ij. cap. 7. de plantar. hist. quæ Galeno est. μηλέαι περσικὰ lib. vij. simpliciũ vel ῥοδακινέαι Nicandri scholiastæ & ῥοδακίνα. Constantino, Paulo, Aetio ac Simeoni, Sethi. Harum plantarũ fructus melius distinguntur, περσικὰ enim Dioscoridi li. j. ca. 165. Et Theophrasto li. iiij. de hist. plant. cap. 4. siue περσικὰ Alexãdro Aphrodiseo in problemata, recentioribusq; Græcis ῥοδακινὰ, ἃ ῥοδάκινα poma persica, sunt propriè arboris persicæ fructus nobis vulgo dicti Pesches, vt arbor ipsa peschier. At Persia πέρσικα, arboris persicæ nobis incognitæ. De nostris persicis intellexit Columella, cùm libro de hortorum cultura hunc in modum cecinit.

Tunc præcox bifera descendit ab arbore ficus,
Armeniisq; & cereolis, pruniſque Damasci
Stipantur calathi, & pomis quæ barbara Persis
Miserat, vt fama est, patrijs armata venenis:
At nunc expositi paruo discrimine lethi
Ambrosios præbent succos, oblita nocendi.

Vt etiam Plinius cùm dixit lib. 15 cap. 12. sed persicorũ palma dura cinis: & paulò post: pomum innocuum expetitur ægris, Pretiumq; singulis iam triceni nummi fuere, nullius maiore: Quod miremur, quia non aliud fugacius. longissima namq; decerpto bidui mora est, cogitq; se venundari. Et lib. 15. cap. 13. In totum quidem persica peregrina etiam Asiæ Græciæq; esse, ex nomine ipso apparet,

atque

atque ex Perside aduecta. De his tandem etiam intellexit Dioscorides cap.165. libri j. Nunc rursus ad ipsas arbores redeundũ, vt appareat authores earum nomina alicubi distinxisse, alibi verò confudisse, cùm tamen diuersas plantas depingerent. Sic discreuit Plinius capite 13. libri 15. Persicæ arbores sero & cum difficultate transiere, vt quæ in Rhodo nihil ferant, quod primò ab Aegypto earum fuerat hospitiũ: falsum est venenata cum cruciatu in Persis gigni. & pœnarum causa à regibus translata in Aegyptum, & terra mitigata: id enim de Persea diligentiores tradunt, quæ in totum alia est. At verò perseam ipsam sub persicæ arboris nomine, voces ipsas cõmiscens, depingit idem Plin. his verbis lib. ix. cap. 13. Aegyptus & persicam arborem sui generis habet, similem piro, & folia retinentem: fertilitas assidua eius subnascente crastino fructu. Maturitas Etesiarum flatu. Pomum longius piro inclusum amygdalæ putamine & corio, colore herbido: Sed vbi nux illi, huic pomum, differens breuitate ac mollitie & quamuis blandiatur prædulcis suauitas: innocuum. hæc de persica vulgari intelligi non possunt, quæ humilis arbor est potius, quàm procera, ferens amygdalæ folia paulò maiora, flores subpuniceos, poma carnosa, succulenta, molli lanugine conuestita, quibus nux includitur osse scabro nucleum continente amygdalæ persimilem. sed hoc loco de persea propriè dicta, locutũ Plinium confirmat Theophrasti authoritas: Nam persicæ arbori tribuit Plinius, quæ Theophrastus de persea prodidit lib. iiij. cap. 2. de Plantarũ hictoria. de qua etiam locutus est Strabo Geographiæ vltimo, perseæ perpetuã comam tribuens & fructũ piri magnitudine, figura oblonga, amygdalæ modo putamine inclusum & corio: Et quam Galenus lib. ij. de Alimentis, in Alexandria se vidisse testatur, & lib. ij. de Compositione medicamentorum secundũ locos. De eademq; mihi videtur intellexisse, cùm dixit lib. viij. simplicium περσέας τὰ φύλλα στυπτικῆς μετείληφε συμμέτρως δυνάμεως, præsertim cum lib. vij. de malis persicis loquens dixerit, τὸ δένδρον ἔν τε τοῖς βλαστοῖς καὶ τοῖς φύλλοις, ἐπικρατοῦσαν ἔχει τὴν πικρὰν ποιότητα, An vero sit ista persea necne, quam Plutarchum scribere memini arborem esse in Aegypto Isidi gratissimã, quòd fructum ferat figura cordis æmulum, folium vero linguæ, mihi turpe non puto, quando rei literariæ lex ampliandi potestatem facit, non primò iudicare. Quare apponam tantum veteris fori notas N. L. Concludamq; cum illo Horatij versu,

Displicet iste locus clamo, & diludia posco.

DE

DE ARMENIACIS, ET PRAECOCIIS.

Græcè, μῆλα ἀρμενιακὰ: Latinè, armeniaca, præcoqua, præcocia: Hiſpanicè, albiricoques: Italicè, mogniague, griſomele, armilini: Gallicè, abricotz: Arabicè, mermex, mirmix, mex, mesmes, & mismis, Germanicè, mœllelin.

Enarratio CXLIX.

Armeniaca à præcocibus differunt.

ARmeniaca à præcocibus differunt, quanquàm Dioſcorides nullam inter ea differentiam, ob nimiam quam habent ſimilitudinem faciat, de quibus Martialis ita cecinit.

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis,
Nunc in adoptiuis perſica ſola ſumus.

Perſicis enim minora ſunt, & melioris ſucci, de quibus Galenus libro ſecundo de Facultatibus alimentorum capite vigeſimo ita prodit: Hæc quoq; ex genere ſunt perſicorum, bonitate nonnihil ea ſuperantia, nec enim in ventriculo corrumpuntur vt illa, nec etiam aceſcunt: Vulgo autem ſuauiora apparent, vnde etiam ſtomacho ſunt gratiora, præcocia tamen Armeniacis præſtant, porro ventriculus, quæ deorſum quidem vergunt, ex moleſtantibus, ea per aluum expellit: quæ verò ſupernatant, per vomitus eiicit,

DE CITRIIS.

Græcè, μηδικὰ μῆλα: Latinè, medica mala, citrium, Citreum Pomum: Hiſpanicè, cidras: Italicè, cedri, citroni: Gallicè, citrons: Germanicè, citrin œpffel, Iuden œpffel & citronaten.

SPECIES CITRI.

Limones: Hiſpanicè, limones: Italicè, limoni: Gallicè, limons: Germanicè, Limonen.

Narantia, aurantia, citrangulum: Hiſpanicè, naranyas: Italicè, aranci: Gallicè, auranges: Germanicè, Pomerantzen.

Adam

Adam poma: Hiſpanicè, azamboas: Italicè, lomie, pome de adamo: Germanicè, Adams œpffel.

Enarratio CL.

CItrum vel citreum pomum, olim malum Medicum, quia ex Media adductum nominabatur, quod olim & ſi in cibi vſum non veniebat, hodie tamen & crudum & ſaccaro conditum, in delitiis habetur, ex cuius corticibus ſyrupus in officinis ad cerebri & cordis affectiones frigidus, veluti ex acetoſitate ſiue ipſius ſucco: alter, ad omnes morbos ex pura bile ortos, & peſtilentes, ac eos qui veneni naturam ſapiunt parantur: is enim ſyrupus, ex acetoſitate citri dictus, optimus eſt ad extinguendā ſitim, & prægnantium ciſſam à caliditate ortā, veluti ad omnes alios æſtuantes morbos: non minus ac ex prædicta acetoſitate paratū cum ſuccaro conditum. Cæterum inquirunt medici, de huius pomi temperatura, quum varient inter ſe authores, quos in præſenti poſtponimus, & ad Galeni mentem dicimus, in ſemine vincens habetur qualitas acida & ſicca, adeò vt ipſum tertij ordinis reſiccantium refrigerantiumq; ſit. Sed adnotandum duximus, quòd per ſemen Galenus, non nucleum, aut verum ſemen intelligit: ſed acidam potius medullam, intra quam nuclei vel verum ſemen continetur. Quod vero ita ſit, ipſemet Galenus in fine capitis indicat, quum de vero tractet ſemine, dicens, & nucleus qui in illo inuenitur, id quod reuera ſemen eſt, hic amarus eſt, & digerendi videlicet ſiccandiq; facultatem obtinens, ſecundo quodammodo ordine à temperatis recedens. Hæc Galenus. Per quæ ſatis clarè patet, quòd primo per ſemen, partem acidam intelligit: Secundo vero, per ſemen, nucleum, verum dictum ſemen, quod calidum & ſiccū in ſecundo ordine conſtituit, quum amari ſiccādi diſcutiendiq; vires in ſecūdo ordine eſſe dicat. Cortex verò deſiccat ſecūdo ordine, & temperate calfacit. At caro poſt corticem alba apparens, pituitoſa eſt & frigida, quæ cum toto cortice Galeni tempore comedebatur. Sunt igitur, vt paucis dicamus in citro, primo cortex rugoſus, colore auri, odoratus, calidus temperate: ſuccus verò in ſecundo exceſſu. Poſt corticem apparet caro alba, eſui quoq; apta, frigida, pituitoſa, ac craſſi ſucci. Se-

Cortex citri temperate calidus.

Caro alba citri frigida.

Medulla acida frigida & ſicca in 3. gradu

quitur tandem medulla acida, quam ſemen Galenus improprie vocat, infrigidandi ſiccandiq; vires in tertio gradu poſsidens: intra medullam, nucleus verũ ſemen habetur, calfaciendi ſiccandiq; in ſecundo ordine vim habens.

Semen citri calfacit & ſiccat in 2. ordine.

De quo non minus dubium eſt, an ſolum veneno reſiſtat, vel potius totum pomũ, quia Dioſcorides de ſolo ſemine loqui videtur, quum dicat: ſemen habet, pirorum ſeminibus ſimile, quod in vino potum venenis aduerſetur: At reuera, non ſolum ſemen, ſed totum pomum venenis aduerſari certum eſt, vt ex Plinio colligitur lib. xxiij. cap. 6. dicente: Citrea contra venenũ in vino bibuntur, vel ipſa vel ſemen. Nec minus hæc probari poſſunt, ex antiquiſsimis hiſtoriis, modo Athenæo fidẽ præſtemus, qui ad eum modum tradit: Maleficos homines quum ad ſupplicium ducerentur, quia citrea poma ab obuia muliere ſibi oblata deguſtauerant, ab aſpidum morſu incolumes, illæſoſque extitiſſe, erat enim id ſupplicij genus, nota eſt hiſtoria, & ab Athenæo diffuſius enarrata, cui aſtipulatur Virg. in 2. Georgicorum libro, quum canit.

Totum citri pomum aduerſatur veneno,

Athenæi hiſtoria,

Media ſert triſtes ſuccos, tardumque ſaporem
Fœlicis mali, quo non præſentius vllum,
Pocula ſi quando ſæuæ infecere nouercæ
Miſcueruntque herbas, & non innoxia verba.
Auxilium venit, ac membris agit atra venena
Ipſa ingens arbos, faciemque ſimillima lauro,
Et ſi non alium latè iactaret odorem,
Laurus erat, folia haud vllis labentia ventis,
Flos apprimà tenax, animas & olentia Medi
Ora fouent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

Citrea malus.

In iis enim carminibus, Virgilius exactè, & arborem & ipſius fructum malum citreum dictum deſcribit. Nam citrea malus, arbor parua ſpinis horrida eſt, omnibus horis pomifera, quum in ea & matureſcentia, & acerba, & nouiter ſubnaſcentia poma ſempervidentur, folio lauri ſed latiore, cuius ſpecies ſunt plures, quædam limones ferens, acidos, dulces, medij ſaporis, varia figura cõſpectos: Nam & de acetoſitate limonis, ſyrupus parari poteſt, maioris efficaciæ quàm qui excitri ſucco cõficitur, qui mirum in modum, febribus peſtilentibus, ſecum accidẽs illud, morbum dictũ puliçarem, medetur, vt experientia longa com

Syrupus de acetoſitate limonis.

Narantiũ pomum.

probatum

probatum habeo. Altera verò citri ſpecies, narrantiũ pomum eſt, ſiue aurantium dictum, vel rancidum, quod Auicenna citrangulum appellat, acidum & dulce: acidum bili aduerſatur: dulce verò facillime in pituitam vertitur, vtriuſq; tamen cortices calidi ſunt. Vltima demum ſpecies citri, Adam pomum dictum eſt, non vbiq; vt cęteræ ſpecies obuium, cortice rugoſum, ſapore gratum, quod Luſitani & reliqui Hiſpani, corrupta voce, loco Adam poma, azam boa ſua lingua appellitant. Omnium autem harum ſpecierum arbores parum inter ſe differunt, quæ florem emittunt album ſummæ fragrantiæ, & ex eo per campanam aqua ignis vi elicitur, tantæ ſuauitatis, & redolẽtiæ, vt cæteras odoriferas aquas ſuperare certum ſit: quæ hodie proleui vomitum proritante medicamẽto, apud medicos Hiſpaniæ habetur, à quibus, aqua naphæ vel narantij appellatur. Reliquum erit, vt qui plura de iis legere deſiderat, legat Antonium Muſam Braſauolam, in ea epiſtola quam ad illuſtriſsimum Herculem Eſtenſem Ducem Ferrariæ, miſit, & eam Examini ſuorum ſimplicium pręfixit: nõ minus Ruellium Gallum capite 69. primi libri, ſui volumìnis de Stirpibus.

Adam pomum.

Flos arantia.

Aqua naphæ.

DE PYRO.

Græcè, ἄπιος: Latinè, pyrum: Hiſpanicè, peras: Italicè, pere: Gallicè, poire: Arabicè, humechte, Cirmetre & cemetri: Germanicè, Byren.

PYRVM SYLVESTRE.

Græcè, ἄχρας: Latinè, ſylueſtre pyrum: Hiſpanicè, peros de mato, peros monteſinos: Italicè, peri ſaluatici.

Enarratio CLI.

PYri vt multifaria ſunt genera, ſic paſsim notiſsima & in continuo victus vſu communia, laudat tamen vna quæque regio, ſuum quoq; pyrorum genus, quæ percurrere non minus longum, quàm faſtidioſum eſſet, quorum temperatura, à ſapore vt in malis quoq; diximus exploranda eſt. Cæterum pyra agreſtia conſtrictoria ſunt, & fungorum ſtrangulationibus conuenientia.

Pyrorum genus.

Pyre agreſtia.

DE MESPILIS.

Græcè, μέσπιλον & ἀρώνιον: Latinè, mespilũ, Arabicè, Zaror, Zarur, & Alzarur: Italicè, azzarolo frutto, pomo di rege: Gallicè, Nesles: Germanicè, Nespel.

SECVNDA SPECIES.

Mespilum, ἐπιμηλὶς: σπάνιον, Hispanicè, nesperas: Italicè, nespole vulgari: Gallicè, Nesles.

Enarratio CLII.

Error in exemplaribus Dioscoridis.

MEspilus arbor, oxyachantæ, non verò pyxachantæ folia habet, vnde impressoris incuria, hic errorem commissum esse, nulli dubium est. Sunt igitur vt capite de oxyachanta meminimus, folia huic primo generi mespilli, tanquam apij, fructus verò ruber pillularum magnitudine, intus ossicula tria habens, sapore subacidus, stomacho gratus, qui apud Neapolitanos azarolus dictus optime & feliciſsimè crescit, veluti apud Pisaurenses, & alios nonnullos. Nam in Hispania vniuersa, quod nouerim, fructus iste non prouenit. Secundum verò mespilli genus, vbiq; vulgatũ est, penticoccon dictum, quia intra se quinque contineat grana, quæ, vt experientia comprobatum nonnulli habent, contra nephritim multum valent, hoc verò mespilum epimelis à Dioscoride dicitur, quanquam epimelis apud Galenum, vnedo, fructus comari, id est arbuti sit, vt apud ipsum est legere lib. vj. de Facultatibus simplicium medicamentorum ad istum modum dicentẽ: Epimelis acerba hæc planta est, vt quæ dixerit quispiam pomum sylvestris. Vocatur autẽ ab Italis rusticis vnedo, ingens eius in Calabria prouentus, fructus eius acerbus quidem est, nihilominus tamen stomacho ingratus, & capitis mouens dolores, admixta siquidem ei est aliena quæpiam qualitas. Hæc Galenus. Per quæ facile percipitur epimelida, vnedonem appellare, non vero mespilum, vt Dioscorides in præsentia facit. Attamen Serapionis interpres turpiter errat, quum lemma capitis de mespilo, nõ mespilo tribuit, sed potius sorbo, vt legenti manifestum erit quum quæ ille sorbo tribuit, Dioscorides de mespilo

Epimelis Galeni vnedo est.

Serapionis interpres turpiter errat.

dixerit

dixerit. De quō Galenus 7. libro de Facul. simp. medic. ità disserit: Mespili fructus admodum acerbus est, vixque edi possit, ventrem strenuè coërcens, quin & in germinibus, & foliis acerba hæc qualitas non pauca reperitur.

DE LOTO.

Græcè, λώτος: Latinè, lotus arbor, celtis: Hispanicè, almez arbol: Italicè, bagolaro, Perlaro: Gallicè, Alisier.

Enarratio CLIII.

RAra arbor lotus in Italia, & perpaucis cognita: nos vero in Italia sedulo eam inquirentes, tandem post longam inuestigationem inuenimus. Est enim lotus arbor spacioſa, grandis, ramosa: corticem subnigrum & lucidum habens, ac ob id oculis per quàm gratum: Huius folia ilicis, magna, crassa, ex nigro viridantia & in cuspidem desinentia sunt: valde per ambitum serrata, quæ ab arbore nunquam decidunt: sed illi perpetuo hærent, vt malo Medico, & lauro, & reliquis eiusmodi: pro fructu baccam arbor hæc fert pipere nigro maiorem, pediculo oblongo ceraſorum modo pendentem, primo viridem, dein vero quum ad maturitatem Octobri mense peruenit nigra, rotunda, ori grata & suauis euadit, dulcis namque est, odore quodam herbaceo quæ comesa ex se subtilem quandam in ore pelliculam exuit, sub qua carnis parum subest, quia osiculum baccæ fere totius occupat corpusculum: Hunc porro fructum Anconitani à similitudine quàm cū ceraſorum habet, ceraſum hyemale appellare solent: quàm quàm non desint eorum aliqui qui arborem hanc sycomorum vocent, sed falso: Viget autem arbor hæc Anconæ apud Diuum Cyriacum, quam nobis Ambrosius Nicāder Spoletanus vir doctissimus & humanissimus primo, vt si quod nomen illi à priscis impositum tenerem, illi aperirem, mihi demonstrauit: quæ nam illa enim esset omnes ignorabant: nos verò, ea conspecta, lotum arborem apud Dioſc. descriptam ex multis signis cognouimus, nec minus ex Plinio hoc decerperamus, qui lib. xiij. suæ Naturalis Hist. capite. 16. in Italia huic arbori inesse fructum ceraſi modo, tradit: Nam in Africa & variis aliis regionibus

Lotus.

Baccā ferè lotus.

Ceraſum hyemale.

Fructus loti varius.

fructu arbor hæc variat: quum magnitudine fabæ crocei coloris, eumque denſum in ramis myrti modo ferat, & is eſt qui copioſe apud Lotophagos, authore Homero in ſua Odyſſea prouenit: porro noſtratis loti fructus ſtomacho perquam gratus eſt: arboris vero lignum dyſentericis vtile, ſi modo in ſcobem redactum aqua ferrariorum maceretur & ad ignem coquatur, & per clyſteres eius decoctum iniiciatur adiectis variis aliis quæ dyſentericis affectibus proſunt, à nobis centuria ſecunda Curationum medicinalium noſtrarum ex amuſsim tradita. Cæterum lotus æquiuocum nomen eſt, non ſolum arborem, ſed herbas quoque nonnullas complectens de quibus in hoc opere agendum eſt.

DE CORNO.

Græcè, κρανία: Latinè, cornus arbor: Hiſpanicè, cornizolos: Italicè, corniolo: Gallicè, corneillier: Germanicè, Cornelbaum, & Dierlem.

Enarratio CLIIII.

Cornus. COrnus Arbor, procera, fortis, & ſpecioſa, nota eſt, cuius mas & fœmina, referente Theophraſto capite duodecimo libri tertij de Hiſtoria plantarum reperiuntur: mas robuſtius creſcit, adeo vt eius lignum ad rotarum radios vtile ſit: fœmina verò viticis modo ramoſa expanditur. Nam huius arboris fructus, oliuę magnitudine cernitur, qui quum ad maturitatem peruenit, ruber efficitur, ſapore acetoſus, auſter, mirum in modum conſtringens, vt merito hodie ex illo ſeplaſiarij, & ſuccaro conditum pro cohibendis fluxibus bilioſis parent. Hæc enim illa corna ſunt, quæ Virgilius libro tertio Aeneid. lapidoſa vocat, quia foris parum carnis, & intus plurimū oſsis habeant. De quibus Galenus libro vij. de Facultatibus ſimplicium medicamentorum ſermonem facit, ad iſtum modum dicens: fructus eius admodum acerbus eſt, eſuique aptus, proinde valenter aluum reſtringit, quemadmodum & meſpila, folia quoque & germina peracerba ſunt guſtui, valenterque deſiccant, itaque maxima vulnera glutinare poſſunt, potiſsimumque duorum corporum.

DE

DE SORBO.

Græcè, ὄα: Latinè, sorba: Hispanicè, sorbas: Italicè, sorbe: Gallicè, cormes: Germanicè, Eschrœsslin: Speirlin, Sporœpffel.

Enarratio CLV.

Sorba.

Sorbum cõstringit.

SOrbum, fructus arboris, communissimus est, qui dum immaturus est, valentissime astringit: maturus verò, parum aut nihil. BRAS. quum olim in Examine simplicium meorum in similia verba prorupissem, non defuit postea quidã maleferiatus vir, qui tanquã falsa ea obliterare conabatur. AMAT. Sinamus istos sycophantas maledicentes, qui nihil præter obtrectationes, calũniasque discũt, nescientes bonũ à malo discernere, & vitium à virtute. BRAS. quum nullos habeant ad quos diuertant ægrotantes, vt magni tamen & scientes appareant, alios mordent, alios vellicant, alios dilaniant, vt merito rabidicanes sint appellandi. AMAT. non dubito sane hos in rabiem angi, quũ nullũ habeant lucrũ. BRAS. quum homines miseranda tristitia perurãtur, in maximã incidunt siccitatem, & consequenter, rabiem. AMAT. ita plerunque fit, nec ambigendũ est, homines rabie affici posse, vt Leonicenus vir nunquam sine honoris titulo nominandus, in eo libro cui titulum esse voluit, de Plinij & aliorum medicorum erroribus, patefecit, & post illum Cælius Rodiginus, magnæ lectionis vir. BRAS. isthæc missa faciamus, & istos cum sua rabie in malam crucem ablegemus.

Homines rabie affici possunt.

AMAT. imo in malos coruos. BRAS. sorbum igitur immaturum apprime constipat, maturum verò adeo parum, vt merito sorbum maturum non constringere, aut constipare sit dicendum. AMAT. nec hoc mirũ est, quum multi fructus interdum quum immaturi sunt, constringunt, postea verò maturi facti, tantũ abest, vt constringant, vt potius valentissime soluant. BRAS. meministi, si recte memoria teneo, capite de Mespilis, Serapionis interpretem, quæ mespilo debebantur, sorbo tribuisse. AMAT. ita est, vt qui conferre voluerit, ea quæ apud Serapionem de sorbo dicuntur, cum iis quæ à Dioscoride de Mespilo scribuntur, facile inueniet.

Serapionis interpres.

DE PRVNIS.

Græcè, κοκκυμηλέα: Latinè, pruna: Hispanicè, prunas, andrinas, amexeas: Italicè, susine, brugnisequi: Gallicè, prunes: Germanicè, Pflaumen.

Pruna varia.

Prunus.

Enarratio CLVI.

PRunus Arbor vbiq; famigeratissima est, cuius fructus varius habetur, quum quædam reperiantur pruna viridia, quædam alba, alia rubra, alia lutea, nonnulla herbacea, reliqua vero nigra, item ex illis quędam magna, alia parua, alia mediocria, varia forma insignita, ex quibus hodie Damascena prędipua habentur, Syracusana ab Hispanis nominata, nigra, rubricãtia, vel in totum alba ad citrinũ tendentia, oblonga boni saporis, dicta Damascena, quia ex Damasco Syriæ præcipua ciuitate vectæ primò fuere: de quibus Dioscorides in prędenti, ita inquit: Syriaca prędertimq; in Damasco

ſco genita ſiccata pruna, ſtomacho accommodata ſunt, & aluum cohibent. Galen. verò, animaduertens Dioſcoridis hæc verba ſic abſolute prolata falſa eſſe, cõſulto ea eſt interpretatus lib. 7. de Facultatibus ſimpliciorum medicamentorum ad hunc modum inquiens: pruni fructus ventrem ſubducit, recens quidem plus, aridus minus. Cæterũ, haud ſcio cur Dioſcorides pruna Damaſcena ſiccata ventrem ſiſtere dicat, quum & ipſa palam etiam ſubducant, minus tamen quam quæ importãtur ex Iberia. Siquidem Damaſcena magis aſtringunt: at quæ Iberia fert, dulciora ſunt. Iis igitur verbis ſatis clare patet, Galenum interpretari Dioſcoridem, quum Damaſcena pruna ſiccata, licet ventrem ſubducant, comparatione tamen ad Hiſpaniæ pruna, adeo parum, vt id conſtringere potius dicendũ ſit: Hanc vero Galeni eſſe mentem, facile elicitur ex libro ſecundo de Facultatibus alimentorum, capite trigeſimo primo quum dicat: fama eſt ea pruna omnium eſſe præſtantiſsima, quæ in Damaſco vrbe Syriæ naſcuntur: ſecunda autem poſt illa eſſe quæ in ea regione quam Iberiam ac Hiſpaniam nominant, proueniant: Verum hæc quidem nihil aſtrictionis præ ſe ferunt, nonnulla vero Damaſcenorum, vel plurimum, id eſt aſtrictionis habent, hæc ille. Quam aſtrictionem animaduertens Dioſcorides, non veritus eſt aſſerere Damaſcena pruna conſtringere. Nam quanto pruna magis ſunt acida, tanto plus frigida dicenda ſunt, & preſsius aluum cohibẽtia, ſaccaro tamen cocta, vel melicrato ſumpta, ſtypticitatem amittunt, & aluum optime deiiciunt: Iberica porro pruna meliora ſunt, quæ & Damaſcena, & Syracuſana apud ipſos dicuntur, nigra, & citrina reperta, nam citrina multi ob colorem, cerea appellare nõ dubitant. Verum multi ex omnibus pruni ſpeciebus in Hiſpania repertis, quandam præcipuè laudant, quam Salmanticenſes Andrinas ob colorem nigrum illis inſitum vocant: rotunda autem pruna hæc ſunt, nigra, ſapore acido, ori gratiſsimo, quæ matura febricitantibus, apud Salmanticenſes, Doctor Alteretus præceptor meus nunquam pœnitendus, non ſine optimo ſucceſſu concedebat. Nam corpus refrigerant & humectant, bili aduerſantur, ſitim arcent, & aluum deiiciunt: ſiccata vero non adeo vt recentia ſuos effectus producunt: quibus propa-

randis decoctis, apozimatibus, & syrupis quotidie vtimur: eligi tamen debent pruna ossie paruo, multum vero carnis habẽtia, ex quibus electuarium in officinis & cum scamonio, & sine illo paratum prostat. Syluestria vero pruna, nõ minus quoq; nota sunt, ex quibus succus exprimitur, quem loco acaciæ seplasiarij, vt diximus hodie exhibent. Prunus proximus fructus est, sebesten dictus, quem Dioscorides & Galenus subticuerunt. Paulus vero veluti & Actuarius & Aëtius de eo mentionem faciunt, sic enim Paulus inquit: Myxa siue Myxaria, arboris fructus est, minor quidem prunis, facultate vero consimilis. Ex quibus verbis percipitur, myxam siue sebesten, aluum laxare: nonvero eam constringere, vt Leonardus Fuchsius in suis Paradoxis non sine errore contendit, quum nõ solum Paulo, sed experientiæ quotidianæ contradicat, quæ, fructum istũ bilem depellere indicat. Quin & Actuarius scriptor Græcus doctissimus, aluum laxare dicit, & sitim extinguere, imò vt passim videmus, fructus iste linguæ ariditatem & ipsius asperitatem remouet, quinetiam pectoris vitiis vtilis est, & vrinæ ardorem à bile ortum refringit, non est ergo quod Fuchsius dicat conditum ex sebesten non ob fructum istum purgare, sed ob scamonium & alia in eo admixta medicamẽta, quum fructus iste, non minus aluum subducit, quàm cassiæ fistulæ pulpamẽtum. Verum myxa siue myxaria, vt placet Hermolao Barbaro in suo Corollario, sebesten, dicuntur, hoc est si latine interpreteris, augusta. Nascuntur enim ingenti copia in Syria, quæ & myxa appellari tradunt, ob mucilaginem illis insitam, mucoremue, ex quo Syriaci viscum parãt, & Venetias ad irretiendas auiculas mittunt. Huic fructui affinis est alter, quem Dioscorides prætermisit, & iuiubam officinæ appellant, Græci vero sericam, latiniores autem Zizipham, quam vocem imitantes Hispani, licet corrupte, acufeifas eũ appellant: Lusitani vero Arabica lingua, pomum ab alnafegua eũ nominant: de quo Galenus libro secundo de Facultatibus alimentorum, capite trigesimo secundo ita tradit: Nec hęc quidem ausim affirmare quicquam ad sanitatis tutelam, aut morborũ profligationem pertinere, mulierum enim atq; infantium effrenatorum est edulium, quod exigui est alimenti ac coctu difficilis,

Myxa Myxaria sebesten idem.

Fuchsius errat.

Iuiuba serica.

Zizipha idem.

& præ

& præterquàm quòd ſtomachum non iuuat, parum etiam alimenti corpori exhibet, hactenus Galenus. Qui licet ſuo tempore iuiubas in vſus medicos non traxit, ab Arabibus tamen pro ſpiſſando bilioſo ſanguine, ac denſanda ſubtiliori materia ad pectus deſcendente, earum ſyrupus maxime laudatur, veluti pomula ipſa in decocto, quod aiunt, pectorali. Nec enim erat, quur hic Fuchſius caninam ſuam maledicentiam, vt ſolet in Arabas exerceret, qui tum demum præclare ſe perfunctũ officio ſuo putat, quum viginti Latinis verſibus vnũ Græculum inſeruerit, vt eruditionem aliquã ambitioſe oſtentet, cùm hactenus nullam præter laborioſam illam ex aliorũ commentariis coaceruationem vel compilationẽ potius conſecutus ſit.

Fuchſij maledicentia.

CONSTANTINVS.

Hic nimis ſatyricè & è plauſtro loquitur, quòd homine chriſtiano & docto indignum: nec ita Luſitanus Fuchſium virum doctiſſimum traducit, atque deſcribit, ſed ſe ipſum lectori ridendum exhibet, quod eius cauſa doleo.

DE ARBVTO.

Græcè, κόμαρος: Latinè, arbutus, vnedo, Hiſpanicè, madronho, madronheiro: Italicè, albatro, cereſa de la mare, Gallicè, Arbouſier: Arabicè, tratiladib.

Enarratio CLVIII.

Comarus arbutus idem. Memecylis vnedo idẽ.

KOmaros arbutus eſt, frutex aliquãdo arboreſcens cotonei mali magnitudine, folio lauri, ſplendido, viridi: Nam lignum huius ſquammoſum videtur, rubricans, in cuius ſummitatibus flores albi cymbalorum modo, racematim pendent, apibus gratiſsimi, quibus decidentibus, fructus memecylis, vnedo dictus pullulat, rotundus, primum viridis, poſtea luteus, vltimo quum ad exactam maturitatem peruenit ruber fit, magnitudine qua vulgatum meſpilũ videtur: Qui ideo vnedo dicitur, quia ob eius maliciam vnum tantũ edendum ſit pomum, nam ſtomacho aduerſatur, & facile cephalalgiam comedenti inducit. In Hiſpania porro nõ ita noxius fructus iſte prouenit, quum eum multi auidius quàm par ſit comedant, & tamẽ in nullum corporis detrimentũ incurrunt: eo tamen turdi, ſturni, merulæue, & alij paſſerculi in dumetis degentes maxi-

Vnedo vnedicatur.

me

mè gaudent, adeo vt aucupes hoc fructu, in aucupio vtantur. Multi præterea fruticem istum contra pestem, & venenum, tanti faciunt, vt ex illius foliis & floribus aquam per alambicum extractam, tanquam sacratissimum antidotum, ad eosdem effectus seruent. Nonnulli tamen differentiam faciunt, inter plantam istam quum fruteſcit, & eam quæ in arborem creſcit, in quam ſententiam Theophrastum ire animaduerto, quum comaron, id est arbutum ab vnedone arbore, lib. j. de Plantarum historia, vbi corticum differentias enarrat, diuersum facit: quanquam tamen idem Theophrastus nunquam de vnedone sermonem priuatim, quod equidē obseruauerim, habuerit: Galenus tamē illum imitatus, vno in capite de vnedone fructu sermonē fecit, vt capite de mespilo diximus: alio verò de arbuto siue comaro, vt libro vij. videre est, qui de eo ita tradit: Arbutus arbor ipsa qualitate acerba vnà cum fructu est, eum memecylum nuncupant, est autem hic & infensus stomacho & capiti dolorē commouens. Hæc Galenus. Mea tamen sententia, vnedo ab arbuto siue comaro in nulla re differt, quum eadem sit arbor specie, & vtriusq; fructus vnedo siue memecylus dicatur, stomacho infestus, & cephalagiam inducens. Libet hoc loco Lusitanorum quorundam stupiditatē irridere, qui cateruatim ad fœminam quam ipsi honoris causa Magistram vocabant, ad recuperandam amissam valetudinem concurrebant: ea vero, quid illis & si diuersissimo morbo tentatis propinaret, præter aquam ex vnedone per campanam expressam, habebat nihil: quòd si quis astris ita fauentibus amissam recuperaret valetudinem, non iam mulierem aut Magistram sed diuam potius vocare, illique eos honores exhibere, quibus tantum Diui afficiuntur. Memini visam esse à me hanc fœminam in oppido Stremotio, quod non longe ab vrbe Ebora distat.

Aqua arbuti.

DE AMYGDALIS.

Græcè, ἀμυγδάλη καὶ ἀμύγδαλον: Latinè, amygdala: Hispanicè, almendras: Italicè, mandorle: Gallicè, amandes: Arabicè, Iauz, Kauz, & Lauzi: Germanicè, Mandeln.

Enar

Enarratio CLIX.

AMygdala tam dulcis quàm amara, satis nota est: Nam dulcis viribus impotentior reperitur: De qua Galenus libro secundo de Facultatibus alimentorum, ita prodit: Amygdalæ nihil prorsus habent facultatis astringentis, Sola enim tenuandi facultas ac detergendi in eis præpollet, qua tum viscera purgant, tum humores è pulmonibus ac thorace, sputis expectorant, & cæterea. Item libro quinto de Facultatibus simplicium medicamentorum, vbi extergentium & farctu liberantium medicamentis agit, inquit: simile quiddam amygdalis accidit, nam & horum ipsorum, ea quæ amara sunt, & detergunt, & meatus expurgant, quæ vero edendo sunt detergunt quidem, non tamen in farctu liberant. Galeni igitur consilio oleo amygdalarum dulcium, contra nephritim, colicos affectus & alias frigidas passiones vtimur, veluti quoque amygdalarum amararum, quum calidum vtrunque sit ex amaris tamen magis, vt Galenum adnotasse constat libro sexto citati voluminis sic dicentem: amygdala quæ quidem palam amara sunt, omnino extenuandi vim possident. Siquidem ephelim purgant, & excreationibus ex pectore pulmoneq; crassorum lentorumque humorum mire auxiliantur. Obstructiones præterea iecinoris à crassis & viscidis succis ortas expediunt: quin & lateris & lienis, & coli, & renum dolores, ab huiusmodi causa natos persanant, ipsius arboris etiam radices coctæ illitæq; epheles purgant: porro amygdala dulcia, quæ & ipsa nonnihil sortiuntur amaritudinis, moderate sunt calida. Attamen amygdalæ æstuosæ, ob pinguitudinem quam habent sunt, vt Hipocrates libro secundo de Diæta testatur, cuius verba Auicennà postea enarrans, libro secundo sui Canonis, dixit: Et Sauiç earum est commouens choleram, ob sui vnctuositatem, proinde animaduertant qui indiscretè febricitantibus amygdalarum porrigunt, aut saltem iis, qui stomachum biliosum habent, quum iuuamenti vice præstandi, magnum ægris adferant detrimentum. Virides vero suo integro operimento comestæ amygdalæ, bonum faciunt stomachum, & illum ab humiditate emendant.

Amygdala.

DE

DE PISTATIIS.

Græcè, πιστάκιον: *Latinè*, *Pistacium*: *Hispanicè*, *alhocigo*: *Italicè*, *pistacchi*: *Gallicè*, *pistaches*: *Germanicè*, Vvelsch Bimpernufzlin.

Enarratio CLX.

PIstatius quam primo è Syria Lucius Vitellius in Italiam portauit, licet Syriacis, peculiaris sit arbor, in multis tamen Italiæ & Hispaniæ locis hodie videtur, parua, lentisci folium habens, maiusculum tamẽ, in qua fructus pistatium siue fisticus dictus, pendet ea magnitudine qua pinei nuclei cũ putaminibus sunt, nam intus fructus iste viresçit, esui perquàm gratus, qui & Venerem incitat, & apprime nutrit, quibus de causis, hodie bellariis instaurantibus & reficientibus, eum misceri commendamus, imò vt Auicenna de eo libello de Viribus cordis tradit, cor confortat, velut Rabbinus Moses de Aegypto, ex omnibus fructibus, fisticus præstantissimus habetur. At Galenus, de Pistatiis lib. ij. de Alimentorum facultatibus, inquit: Hæc quidem ad magnam Alexandriam proueniunt, sed multo vberiora in Berrhœa vrbe Syriæ, parum quidem nutrientia, verum ad hepar roborandum & succos in ipsius viis infarctos purgandos, vtilia. Qualitatem enim habent aromaticam, subamarã, & subastringentem. Scio autem & alia huiuscemodi pleraq; hepati esse vtilissima, quemadmodũ in opere de simplicibus medicamentis est demonstratum. Porrò non ausim affirmare, vllam ex ipsis stomacho accedere vtilitatem, aut læsionem in signem, quemadmodum neq; quod aluum deiiciant, aut sistant, hæc Galenus, in quibus Auicẽna tacite illum mordet, præsertim quia dicat, stomacho neq; iuuamẽtum nec nocumentum pistatia præstare, ita enim Auicenna tradit: Quidam innuit pistatia neq; prodesse neq; obesse stomacho. At ego rem aliter euenire nosco, quum ventriculum roborent, & nauseam prohibeant, vt eorum sapor obscurus, amarus, austerusve testatur.

Auicenna tacite Galenum reprehendit.

CONSTANTINVS.

DE Syriacis nucibus id est pistacijs Plinius libro xv. Cap. 22. & libro xiij. Cap. 5. quæ eosdem vsus & effectus habent, quos pinei nuclei, præterq; ad serpentium ictus, siue edantur

siue

siue bibantur, eodem authore teste libr. xxiij. Cap. 8. pistacia eleganti & proprio epitheto vocauit Nicãder in theriacis, cùm dixit.

πιστάκι ἀκρεμόνεσσιν ἀμυγδαλόεντα πέφαιται.

Officinæ vocant fistica, quæ vox ex arabica lingua profluxit festuch. Sic enim vocant Arabes, vel pustech.

DE NVCIBVS.

Græcè, κάρυα βασιλικὰ: Latinè, nuces iuglandes, regiæ nuces: Hispanicè, nuezes: Italicè, noci: Gallicè, grosses noix: Arabicè Jeuz, Leuz vel hiauzi. Germanicè, Nuſs, oder Vvelſchnuſs.

Enarratio CLXI.

Nux Iuglans.

NVces tam ſunt vbique notæ, vt nulla prorſus indigeant deſcriptione, de illis tamen & caricis, rutaue antidotum vt Dioſcorides adnotat, paratur. De quo Galenus libro de Cibis boni & mali ſucci ita tradit: Nonnulli de lethalium venenorum compoſitione ſcribentes, caricas cum ruta nucibusque præſumptis, venenis eiuſmodi vniuerſis aduerſari teſtantur. Cæterum ieiuno ſtomacho comeſtę nuces, lumbricos latos pellunt, vt experientia compertum habeo. Nam rob de nucibus, vbique quoque vulgatum eſſe arbitror. Non ab re quoque erit in præſenti, quum de nucibus agimus, & de nuce vomica, & metella ſermonem habere. Eſt igitur vt paucis dicam nux vomica apud Serapionem, ea quam ſeplaſiarij, nucem metellam appellant;

Nux vomica & metella.

lant: & ea quam Serapio metellam vocat, officinarum nux vomica: quòd vero ita sit, ne quis nos falso accuset, ipsum Serapionem audiamus, capite de nuce vomica, ita dicentem, ex mente Abraham: Nux vomica cuius color est inter glaucedinẽ & albedinem, maior auellana parum est, in qua sunt nodi. Hæc Serapio. Per quæ facillime, qui cognitionẽ vtriusq; nucis habuerit, iudicabit, nucem vomicam Serapionis candẽ esse cum metella officinarum, quum officinarum metella nux talem obtineat colorem, & ab vtroq; latere attollatur tuberculis quibusdam circularibus oculos imitantibus, vt nulli sit dubium, metellam hanc officinarum, apud Serapionem vomicam esse, Non minus quoq; ex ipso Serapione elicitur, quam ille Metellam appellat, vomicam officinarum esse: ita enim de Metella cap. 364. prodit: Nux metella est similis nuci vomicæ, & semen eius est simile semini mandragoræ, & cortex eius est asper, & sapor eius est delectabilis, & vnctuosus. Quæ omnia nuci vomicæ officinarum conuenire clarius est, quàm vt à me multis monstrare debeat, quum nux hęc communis vomica dicta, plana vtroque latere sit, cuius cortex est asper, veluti pilosus: nam ipsius sapor, vnctuosus, & delectabilis est, canes interficiens. Quòd vero dicat, semen illius semini mandragoræ est simile, intelligo virtute: secus autem figura, quum & hæc nux frigida in quarto sit gradu. In summa igitur dicamus, quòd nux illa vtroque latere eleuata, vera vomica est: illa vero altera, plana vtraque parte & velut pilosa, est metella.

DE AVELLANIS.

Græcè, λεπτοκάρυα: *Latinè*, *nuces Ponticæ Prænestinæ, auellanæ: Hispan. auellaas: Galli. Auellanes, noysettes, Arabicè, agileuz, Bunduch: Germanicè*, Haselnu.

Enarratio CLXII.

POnticæ nuces, id est auellanæ, communes quoq; sunt, quarum oblongæ & rotundæ reperiuntur, sic dictæ Ponticæ, quia è Ponto prius aduectæ fuere, de quibus & prioribus, hoc est nucibus, Galenus 7. de Facultatibus simplicium medicamentorum ita tradit: Arbor tum in foliis

Auellana nux. *Auellana ſylueſtris.*

foliis tum in germinibus aſtrictionem quãdam poſsidet: cæterum euidentem multamq; in nucis putamine recenti pariter & ſicco: eius autem ſucco expreſſo, ac melle decocto, nos loco ſtomachici medicaminis vtimur, oleum quod ex fructu elicitur inueterato admodum per halitum digerit, quare nonnulli eo gangrænas, carbunculos, & ægilopas ſanant. Sunt qui ad neruorum vulnera vtantur: Si tamen recens ſit, aſtringentis nonnihil qualitatis obtinet. Nucleus arefactus & vſtus, tenuium partium & exiccatorium citra morſum eſt medicamen: At Pontica nux, quam λεπτοκαρυον, & auellanam appellant, plus habet eſſentiæ terreſtris ac frigidæ, itaq; auſterior tum cortex, tum planta, tum fructus apparet.

DE MORIS.

Græcè, συκάμινα: Latinè, mora: Hiſpanicè, moras del

moral: *Italicè*, *more*: *Arabicè*, *Thut*: *Gallicè*, *meures*, *Germanicè*, Maulbeer.

Enaratio. CLXIII.

Morus.

MOra ſycaminea dicta nota ſunt, quibus trinus ineſt color: nã primo albeſcunt, deinde rubeſcunt, poſtremo nigerrima fiũt, quaſi Thiſbes puellę Aegyptię cruore reſperſa. Hic vero fructus ieiuno ſtomacho edendus eſt, nec omnino maturus, quum exacte maturus facillime corrumpitur, & in venenum tranſit, vt Galenus libro de Cibis boni & mali ſucci ſuadet. Verum ex moris, rob diamoron dictum in officinis contra tonſillarum inflammationes paratum reperies. Nam alba morus Ouidio cognita fuit, vt ex fabula citata apparet, cuius foliis bombices, ſericei vermes dicti, maximè oblectantur. De quibus Hieronymus Vida Cremonenſis, vir ſingularis eloquentiæ, elegantiſsimè cecinit: nam Ouidio antiquiores, arborem iſtam ignorarunt: nec mirum, quum poſtea, ex nigra moro populo inſerta, alba effecta eſt.

DE SYCOMORO.

Græcè, συκόμορος: *Latinè*, *ſycomorus*, *ficus Ægyptia*: *Hiſpanicè*, *ſuiguera de Adam*, *figo de Adam*: *Italicè*, *fico d'Egitto*, *fico de Adam*: *Arabicè*, *Mumeiz*, *Iumeis*, *Aliumeiz*, *Giumezei*.

Enarra

Enarratio CLXIIII.

SYcomorus: arbor Aegyptia est, quæ quoq; in India procere crescit, & vt ab iis qui ex Alexandria & India ad nos sunt reuersi, accepimus, arbor similis moro est, fructum tanquam ficum non prope folia, sed in trunco & crassioribus ramis faciens, & illum quidem dulcem, semine interiori carentem, quem multi ficum Adam appellant, quia in eo Adam peccasse credant, vt vero fructus iste, esui aptus fiat, ab arbore colligatur atq; ferreo vncino opus est. Sic enim intra quatuor dies matureſcit, & in eo loco à quo collectus fuit, alius repullulat, ita vt in anno ter & quater arbor hæc fructum pariat. De huius vero arboris ligno, mirum fertur, quod præterire non est, scilicet, quòd nunquam siccum euadit, nisi immersum aqua, quum autem diu in aqua maduerit, siccescit, & supra aquam ascendit. Qui vero sycomorum, ficum agrestem parietibus frequentem, esse autumant, toto proculdubio errant cœlo. Nam huius arboris plures species, tum apud Syros, tum apud Aegyptios, & Indos, reperiuntur, quæ omnes, fructum, veluti apud nos ficus, producunt. Cæterum de sycomoro ita Galenus prodit lib. ij. de Facultatib. alimentorum capite 35. Plantam sycomori vidi in Alexandria vna cum fructu, paruæ ficui albæ adsimilem, is fructus nullam habet acrimoniam, exiguæ tamen dulcedinis est particeps, estque facultate vt mora, humidior quodammodo, ac frigidior, quin potius in medio mòrorum ac ficuum iure quis ipsum collocarit. indeque nomen ipsi arbitror esse positum. Ridiculi enim sunt, qui fructum hunc ob id aiunt sycomorũ fuisse nominatum, quod paruis ficubus sit adsimilis, ipsius autem generatio ab aliis arborum fructibus quodammodo est diuersa, non enim ex surculis ac germinibus, sed ex ipsis ramis ac stipitibus enascitur.

DE FICV.

Græcè, σῦκον: *Latinè*, *ficus*: *Hispanicè*, *figo*: *Italicè*, *fico*: *Gallicè*, *figues*: *Arabicè*, *sin*, *sin*, & *Tin*: *Germanicè*, Feygen.

Enarratio CLXV.

Ficus.

FIcus tã arbor, quàm ipſius fructus, vbiq; proueniunt, & communes ſunt, albæ, nigræ, & diuerſorum colorũ, quarum meliores habentur, quæ optimè ſunt maturæ, craſsi, & boni ſaporis, ſimiliũ enim alimẽtum Galenus vuarum alimento anteponit, qui in vniuerſum maxime penetrant, adeovt ſi poſt eſum aliorum cibariorum ficus quis comederit, ad imam ventriculi partem deſcẽdiſſe, percipiet, modo poſt horam euomat, quum prius, vniuerſus cibus per vomitum exibit, quàm ficus euomantur, vnde ipſos in infimam ventriculi partem deſcendiſſe, vt diximus, facillime percipitur, quarum & caricarum, vt lector notitiam exactam habeat, legat Galenum libro ſecundo de Faculta. alimentorum, & libro octauo de Facult. ſimplicium medicamentorum: libro enim de Faculta. ſimplic. ita tradit: ficus arbor, calidæ, tenuiumq; partium temperaturæ eſt, ſicuti indicant tum liquor eius, tum foliorum ſuccus: valenter enim calfacit vterq;, itaq; non mordicat tantum aut vehementer abſtergit, ſed & vlcerat, & ora vaſorum reſerat, & verrucas extirpat, quin & vim purgatoriam habet: Porro lachryma & ſuccus agreſtis ficus, quam caprificũ vocant, ad omnia quã ſatiuæ, valentior eſt. Verum ipſarum ſurculi adeo calidi ſunt, atque tenuium partium, vt carnes bubulas duras, ſi coquendis adiiciantur, friabiles ac teneras reddant. Libro vero ſecundo de Faculta. alimentorum ita quoque inquit, Ficus quanquam prauitatem non potuerunt omnino effugere

effugere, facile tamen totum corpus peruadunt, nam & abstergendi quoq; insignem obtinet facultatem: quo fit, vt post ipsarum esum, nephritici arenulas multas excernant. Nutriunt præterea vberius cæteris autumnalibus fructibus, flatibus tamen hæ quoq; implent. At quæ ficus iam prorsus maturuerunt, propemodum nihil omnino lædunt, quo modo nec caricæ, quæ multiplicem quidem præstant vtilitatem, si quis tamen largius eas esitauerit, offendetur ab ipsis, quandoquidem sanguinem non admodum probum gignunt, quo fit, vt ex ipsarum esu, pediculorum multitudo proueniat: habent etiam tenuandi facultatem, & incidendi, qua ventrem quoq; ad excretionem irritant, renesq; expurgant: Cæterum iecori, lieniq; inflammatione obsessis sunt noxiæ, quemadmodum & ficus, communi omnium dulcium ciborum ac potuum ratione, obstructis tamen illis, aut scirrho affectis ipsæ ex sese nihil commodant, nec officiunt, sed medicamentis incidentibus extenuantibus, & abstergentibus mistæ, non mediocriter iuuant, tum caricæ, tum ficus.

DE PERSEA ARBORE.

Græcè, περσέα: Latinè, persea.

Enarratio CLXVI.

VAnum est id quod multi dictitant, credêtes, perseam arborem à Persica differentem esse, quum parum animaduertant, Dioscoridem: qui quum de malis omnibus egerit, & de persicis quoq; sermonem habere consentaneum erat. Egit igitur de persicis, hoc est de pomis arboris perseæ, cap. 146. nunc vero, de ipsa arbore, ne illam silentio prætermitteret caput constituit: & quòd ita se res habeat, quicunq; rem penitius animaduerterit, inueniet, quum vtroq; in capite fructum huius arboris, stomacho conducibilem esse tradat, quod non dixisset, si modo de arbore venenosa fructum venenosum habente tractasset. Hanc nostram sententiam confirmat Galenus, lib. vj. de Aegritudine & morbo, cap. 1. quum dicat: Sunt qui nutrimentum mutare corpus non posse, quod ab eo nutritur existiment, eo quòd hæc natura scilicet nutrimentum videtur illis tãtummodo significare rem mutabilem, & non

mutantem: Secundum rei veritatem, hoc nequeunt affirmare. Quid enim dicturi sunt, de arbore illa transplantata de Persia in Aegyptum, quæ quum in solo Persarum foret mortifera, in Aegypto absq; nocumento reddita est, & quæ de qualitate pessima mutata est in bonam? Hæc Galenus. Quibus satis liquet, siue persicam, vel perseam dicas nihil interesse, quum res eadem omnino sit, in Persia mortifera & lethalis: in Aegypto vero salubris: nec hoc mirum esse debet, quum varietates regionum non solum in arboribus & plantis differentiam faciunt, sed etiam in hominibus & animalibus, adeo vt specie differre videantur, quod Platonici de hominum animis cõcedere videntur. Vnde simul fit, quòd Ligures vani, Latini superciliosi, Galli fortes, Itali graues, Germani hodie literati, Angli inurbani, iactabundi Hispani, Pœni fedifragi, & vt Epimenides poëta Græcus, quem citat D. Paulus Apostolus, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Demum vt vnico cõcludam verbo, tantæ è diuersitate regionum eleuantur oppositiones, tantæq; contrarietates, vt multa quæ aliquibus saluberrima sunt, reliquis præsentissima atq; exitialia venena videantur. Vnde nõ mirum, si Galenus hæc animaduertens lib. ij. de Facult. alimentorum, duo capita diuersa facit, in quorum altero, de persea tanquam apud Persas venenosa, tractat: in altero vero non vt venenosa, sed Aegyptia & salubri verba fecit. Huic vero nostro iudicio subscripsit Ioannes Agricola Ammonius, vir mea sententia apud Germanos doctissimus, & qui quotidie in lucem aliquid noui profert, præsertim in eo libello, quem de Herbis & simplicibus, superioribus annis edidit. AGRICOLA. Ita certè à commentariis tuis acceperam, in quibus, te Ioannem Rodericum Castelli albi Lusitanum nominatũ inueni: nunc vero quum Amatus potius appellari mauis, in dubium vertebam, an tuum illud esset opus. AMAT. nouum non est, viros rei literariæ deditos, sua plerunque immutasse nomina, vt apud Paulum Iouium virum doctissimum, legitur in eo libro, quo de imaginibus doctissimorum virorum agit.

Persica & persea idẽ.

CONSTANTINVS.

ENarratione 148. multis locis adductis in medium, hanc opinionem Amati Lusitani καὶ τὰ αὐτοῦ γνώμους αἱρετιστῶν

resut

refutauimus: quod & liquidius ostendemus in proprio opere de omni genere plantarum.

DE IBERIDE.

Græcè, ἰβηρὶς λεπιδιον: Latinè, Iberis, lepidium, syluestre nasturtium: Hispanicè, nasturtio montesino: Italicè, nasturtio syluestre: Gallicè, passerage: Arabicè, Hausab, Sitareghi: Germanicè: Gauch bluom.

Enarratio CLXVII.

Iberis.

ABsq; ambagibus & controuersia vlla, ἰβηρὶς herba, lepidiũ est, vt testatur Galenus libro decimo de Compositione medicamentorũ per genera, dicens: Damocratis extat libellus Clinicus inscriptus, in quo versibus iambicis (quẽadmodum solet) de tribus disserit medicamentis. Ac primo quidem de eo quod ex herba, quam ipse iberidem appellat, constat: secundo ex semine dolores sedãte cõposito: tertio vero purgatorio, & ab ipso Hiera appellato. De primo in Ischiadicorum curatione in eo libello hæc scripsit: in Iberide, inquit, medicum quendam amicum suum per hãc herbam curatum esse, quam herbam, vt dixi, ipse Damocrates Iberidem appellat, vt qui ipse visu herbam cognorit, nomen autem eius nullum audierit, quum etiã id ipsum ignorarit is qui eum vsum eius docuit: Verùm ex signis quę scribit, videtur iberidem appellare, quæ à Græcis lepidium nominatur,

tur, à regione in qua amicus eius curatus est appellatione ducta. Describit autem ipsius signa per hos iambos.

Herba hæc vbique multaque frequens nascitur,
Monumenta iuxta antiqua, muros & veteres
Tritasque quondam publice pedibus vias,
Quas iuxta aratrum duxit haud quis agricola
Semper virescens, foliis nasturtij
Florentibus vere: attamen maioribus.
Caulem cubitalis longitudinis gerit
Paulo minorem aut rursus ampliorem: ab hoc
Aestate pendent folia, donec multa hyems
Sarmentiam deducat, hæc ad imaginem, &
Deiecta & exiccata depereant gelu:
Adnata radici tamen cernes alia
Aestate florem fert colore lacteo.
Multum tenuem variumque valde cauliculum,
Ad quem sequitur semen penitus sic exiguum
Visum fere vt fallens, oculos quoque effugiat,
Odorem habet radix at inde acerrimum,
Vero similem quàm maxime nasturtio.

In iis enim versibus, tam clare herba hæc pingitur, vt nihil sit quod desiderare quis possit, quæ passim in ruderibus, & ad parietes, vbi herbæ aliquot nascuntur, inuenitur cuius radicem quum quis gustauerit, nasturtium mandere dicet, quo fit, nasturtij sylvestris nomine appelletur. Credere igitur est, caput hoc, adiectum ab aliquo in huius libri fine esse, quum reuera lepidium, Iberis sit, vt testatur Paulus libro tertio, suæ medicinæ cap. 77. dicens: In totum verò ischiadicos restituit sanitati iberidis herbæ vsus, quam lepidion quoque, alij sylvestre cardamum appellant. Plinius porro lib. viij. cap. 19. longe aliã herbam pro lepidio delineat, cubitalem scilicet, & foliis laurinis ornatam, quam quoq; Paulus citato loco nouit, & eã alteram lepidij speciem vocat, quum dicat: Quæ vero apud nos fruticosa nascitur, similibus lauri foliis & multo amplioribus, respondere multa experimenta testantur, non solum in coxarum sed aliis quoque diuturnis affectibus: & subdit: per ætatem vero longe sunt efficaciora: atqui si folia tunc nõ produxerit, cortex ipsius radicis contunditur cum adipe suillo, vt emplastri speciem repræsentet, &

cæter

cætera. Quæ vero hæc ſecunda lepidij aut iberidis ſpecies ſit, non facile eſt coniectari, quum Ruellius Gallus & Hermolaus Barbarus, raphanum ab Hiſpanis Gallicum dictum eſſe putent, ſed reuera, rem ita non eſſe, ipſius folia teſtantur: quæ dubio procul, non lauri, ſed potius lata, oblonga & fere lapathi aut enulæ ſint. Erit igitur, vt finē huic primo imponamus libro, ſecunda hæc iberidis, vel lepidij ſpecies, herba illa quam piperellam, vel piperitim in hortis paſſim naſcentem appellamus.

CONSTANTINVS.

HOc μνημονικὸν eſt ἁμάρτημα (quale nuper in Galeno animaduertit & primus detexit H. Stephanus humanitatis, & politioris literaturæ ſcientiſſimus) hŷ enim Democratis Iambi leguntur apud Galenum libro decimo κατὰ τόπους quos licet de Græco minus benè conuerſos in præſentia non emendamus quia correctiones & emendationes in omnia Galeni opera & Hippocratis Deo duce, ſi vita ſuppeditabit, aliquando proferemus.

*

IN DIOSCORIDIS ANAZARBEI LIBRVM SECVNDVM ENARRATIONES DOctoris Amati Lusitani Medici celeberrimi.

DE ECHINO MARINO.

Græcè, ἐχῖνος θαλάττιος: *Latinè*, *echinus, erinaceus marinus*: *Hispanicè*, *erizo de la mar*, *ouriso marino*: *Italicè*, *riccio marino*: *Gallicè*, *herisson de mer*: *Germanicè*, Meer Igel.

Enarratio primi Capitis.

ECHINVS tam aquatilis, quàm terrestris, notissimum animal est, quod Latini erinaceum marinum, & terrestrem appellant, quanquam Theodorus Gaza Thessalonicensis in suo à se verso Aristotele, echinum marinum non aliter quàm echinum interpretatus est, Plinium forte imitatus: Terrestrem vero echinum erinaceum vertit. Est igitur echinus marinus siue erinaceus marinus, piscis rotundus, aculeis armatus, veluti castanearum echinus, vnde & nomen, ἐχῖνος enim Græcè, Latini hirtum vertunt, non minus enim hirtus piscis iste est, quàm castanearum calices, aculeis siue spinis armatus, quibus pedum vice ambulat rotaturve. Cæterum piscis iste esui idoneus est, & mari Adriatico, & Tyrrheno familiaris, quo pro lotio proritando multi vescuntur. Porro echinorũ genera sunt plurima, quorum Aristoteles quarto libro de Historia animalium, vnum minutum spinis longis, præduris, ornatum, non nisi in alto gurgite gigni solitum, maxime cõtra destillationes vrinæ laudat. Vnde Paulum Iouium hic decipi certum est, quum libello suo de Piscibus, cap. 41. non hoc genus, sed aliud maius, echinomet

Echinus marinus.

Paulus Iouius errat.

nometram contrà vrinæ deſtillationes laudari, ſed potius minutum illud genus à nobis delineatum, vt legenti manifeſtum erit. At de vtroq; echino, Galenus lib. xj. de Facultatibus ſimplicium medicamentorum ita tradit: Erinacei vtriuſq; tum marini tum terreſtris corpus vſtum cinerem efficit, facultatis tum extergentis, tum digerentis tum detrahentis. Itaque eo quidam & ad excreſcentia & ad ſordida vſi ſunt vlcera.

DE ERINACEO TERRESTRI.

Græcè, Ἐχῖνος χερσαῖος: Latinè, Erinaceus: Hiſpanicè, orico quacheiros: Italicè, riccio terreſtre: Gallicè, heriſſon: Arabicè, Ceufud, Caufed: Germanicè, Schvvein ygel, Hunds ygel.

Enarratio 11.

Echinus terreſtris.

ECchinus ſiue erinaceus terreſtris, marino admodum ſimilis eſt, qui taxo vel potius hiſtrici ſimilatur apparetve. Animal omni ex parte ſpinis horridum, & aculeis armatum. Quod quum vuis aut fructibus aliis adhæret, eos ſpinis transfixos, onuſtum incedit, & ad cuniculos & nidi ſui anfractus portat. Eſt enim animal hoc frigidum natura, multis ſcatens ſuperfluitatibus. Qua de cauſa eius caro potius in medico vſu, quam in continuo victu accipienda eſt. Habet enim animal hoc vt obiter hoc notem, teſticulos renibus adhærentes, de quo Razes multa tractatu de ſexaginta animalibus ſcripta reliquit: quæ omnia

apocry

apocrypha, & non Razis esse certissime crediderim. Ad multa tamen valet, quæ Dioscorides in præsenti scribit, inter quæ alopeciam pilorumve defluuium præcipue nominare est.

DE HIPPOCAMPO.

Græcè, ἱππόκαμπος: Latinè, hippocampus: Hispanicè, caualinho marino: Italicè, caualin marino, caualin ritorto, dragonetto:

Enarratio III.

Hyppocampus.

Hipocampus.

NVsquam quod equidem notauerim frequentius hippocampus, quàm in Anconitano flexuoso hoc mari cernitur, vbi piscatores illum, draconem, alij verò equulum circumflexum appellitãt, piscículus scilicet, subniger, equinũ habens caput, oblongum & rotundum, collum verò latum, multis clauatum ordinibus: nam cauda quadrata, subtilis, ac circumflexa in eo cernitur. Verũ, hunc piscículum marinũ Dioscorides non descripsit, ipsius nomenclatura contentus, quæ satis ipsum exprimit declaratve. Dicitur enim Hippocampus Græcè, ἀπὸ τῦ ἵππου καὶ κάμπτω, id est ab equo & flecto, quasi flexuosus equus. Vnde Mathiolus Senensis hæc ignorans, plura nõ nisi absurda, de hippocampo scripsit: inquit enim ille, particulam hippo, magnum significare, vt in hipposelino, & hippomaratro sit: ignorabat enim Mathiolus, hippon equum crebrius significare, vt in præsenti euenit, & capite 22. sequenti, vbi de hippopotamo, id est fluuiatilis equi testiculo agit, vt sexcentos alios præteream locos, in quibus hippos pro equo accipitur. Cæterum, mulieres Anconitanæ, piscículo isto in puluerem redacto & vino

Mathiolí error.

excep

excepto, pro lacte euocando in potu vtuntur, ad ea verò quoque quæ Dioscorides valere tradit, potentem esse, experimento compertum habeo.

DE PVRPVRIS ET BVCCINIS.

Græcè, πορφύρα: Latinè, purpura, buccina, concharum genera: Hispanicè, buzios: Italicè, buccine: Arabicè, Naporan & porphyra: Germanicè, Ostern, Muscheln.

Enarratio IIII.

Purpura quid.

PVrpura & buccinum, è genere concharum in mari repertarum sunt, nam purpura aculeis clauata, lingua digitali, firma, torosa, & valida, vt reliqua conchilia perforare valeat, est: in cuius colli vena liquor ille pretiosissimus, purpureus dictus reperitur, quo purpureæ Imperatorum & Regum vestes tingebantur. Hunc vero liquorem, casu canem Herculis inuenisse dictitant, quem Latini non solum liquorem vel succum, & florem: verum etiam, rorem, & sarranum, & tyrium, & saniem, & pelagium, veluti Vitruuius, ostrum appellant. Extrahitur enim liquor iste à viuis purpuris, nam in mortuis illico euanescit: qua de causa, piscatores viuos purpuras ad manus habere, maxime soliciti sunt. Viuunt autem purpuræ extra mare, quinquagenis diebus, saliua sua: si tamen aquam dulcem gustare illis contigerit, illico moriuntur. Latitant vero, vt placet Aristoteli libro octauo de Histo-

ria

ria animalium, & libro quinto eiuſdem voluminis, circa Canis ortum tricenis diebus: plura vero apud Plinium legito, & illius enarratorem Maſſarium libro nono, capite trigeſimo ſexto. Buccina vero vt prædiximus, purpurarum ſunt ſpecies, minor tamen, quæ ideo buccinum dicitur, quia ad ſimilitudinem eius buccini quo ſonus editur, eſt: habet vero orificium quo ſonus illiditur, vt ori ſonantis applicetur, aptiſsimum: hoc enim buccinum crederem ipſe, concham illam eſſe, qua olim Triton apud Olyſsipponenſes canebat, vt eorum legato ad Tiberium Cæſarem, (referente Plinio) nunciauit: cæterum, iis buccinis vt diximus, purpuræ ſunt maiores, quæ roſtrum canaliculi modo oblongum, in quo lingua continetur, habent: non niſi clauatum, ad turbinem vſq; : ſeptenis fere in orbem aculeis, qui in buccino non reperiuntur: at commune purpuris & buccinis, vnum eſt quòd tot orbes ſiue volutas habent, quot annos: Buccina tamen non niſi petris adhærent, circaq; ſcopulos leguntur: quarum puluis, vt hodie operatur vel cinis, vt Dioſcorides & Galenus ſuadent, vlcera maxime purgat. Buccinis hodie vice cadorum Luſitani noſtri vtũtur, præſertim ex India delatis, quæ procul dubio, alba, nitida, margaritarũ colore conſpiciuntur, & in maximo pretio habentur. Non eſt quoq; in præſenti ſilere id quod dicit Dioſcorides, ſcilicet, quòd ex buccinis calx fit, quum hodie apud Indos, non alterius calcis quam huius, pro ferruminandis lapidibus, & conſtruendis parietibus copia detur. Sed quum de cõchis agimus, non alienum erit, inter eas annumerare eam in qua margaritæ ſiue vniones naſcuntur, quum de illis, nec Dioſcorides, nec Galenus, vllam fecerunt memoriã. Naſcuntur igitur margaritæ in concha non multũ ab oſtreorum conchis differente, vt quotidiana experientia teſtatur, & Plinius non ſiluit, libro Naturalis Hiſtoriæ nono, capite trigeſimo quinto, non quatuor aut ad ſummum quinque in concha vna, vt ille tradit, incluſæ, ſed plures, centũ numero excedentes, quæ procul dubio vt Arabes teſtantur, cordis & oculorum affectibus ſubueniunt. Nec audiendi ſunt hodie nonnulli, qui vt aliquid noui aſſerere videantur, margaritarum contemnunt vires, ignorantes alioqui margaritarum vſum, rei medicæ magnum ornamentũ, ac

Buccina.

Triton apud Olyſſipponenſes.

Margaritæ vſui medico deſeruiunt.

ægrot

ægrotantibus non infimum nec contemnendũ iuuamentum esse, ex quibus conditum diamargariton dictum passim in officinis paratum habetur, sed quòd margaritæ integræ, vel perforatæ in vsu medico accipiendæ sint, id recentiorum est commentum. Nam quæ ex India adferuntur margaritæ, solis ingentissimo æstu flauescunt: secus autem ex Peru prouincia, ex qua hodie ad nos albissimæ, rotundæ admodum in magna quidem copia aduehuntur, quarum si quis exactam desiderat historiã, legat Plinium, loco citato, qui recte mea sententia vniones præstantissimos, in mari Rubro reperiri tradit, id quod nos hodie verum esse deprehendimus, quum Lusitani nostri, apud Ormusium, insulam Persiæ, non procul à mari Rubro negotiantes, inde præstantissimos albissimosq; portent vniones: Senio tamen confectæ margaritę flauescunt, & rugosæ fiunt. In Hiberniæ verò mari, hodie margaritæ reperiuntur, non admodum tamen excellentes, olim tamen perfectissimas ac maximi pretij reperiri, Iulij Cæsaris thorax indicat. Sunt quoq; hodie buccina quędam parua, quæ ex Aegypto aduehuntur, Italica voce porcelleta dicta, quibus mulieres pro decoranda facie maxime vtuntur. Hæc enim in succo limonis quum merguntur, liquefiunt, & tanquam vnguentum euadunt, quo mulieres vt dixi suas fucant genas, & tanto magis, si parum sublimati, illi miscuerint.

Porcelletta.

DE MYTVLIS.

Græcè, μύακες: Latinè, Myaces, mytuli, musculi: Hispanicè, Lusitanicè, mixilhus: Italicè muscioli, Gallicè, Moulles. Arabicè amarchas.

Enarratio V.

Mytulus.

NOn eleuo iudiciũ Pauli Iouij viri doctissimi, quum dicat Athenæum insequendo in eo libello quo de Romanis piscibus egit, mytulum tellinam esse, vt apud ipsum est videre capite quadragesimo primo, Dioscoridis forsan oblitus, qui mytulum à tellina differentẽ facit, vt ex præsenti capite & sequenti satis clare patet. Nec minus ex Hippocrate hoc satis probari potest, libro secũdo de Diæta, vbi mytulum à tellinis differentem facit, quum dicat: mytuli vero & pectines, ac tellinæ, magis aluo secedunt.

cedunt. Est igitur mytulus, cõchæ margaritiferæ species quædam, testa leui, subtili, nigricante, hirsutaue, nam intus lucens, nitensue est, quæ vt tradit Plinius, libro nono capite trigesimo quinto, vbi de margaritis & vnionibus agit, in Bosphoro Thracio, ruffos ac paruos vniones producebat, at hodie mytulos nõ solum in mari, sed fluminibus intrantibus mare, nõ tamen margaritiferos obseruamus, quos musculos Latiniores appellant, quanquàm non me lateat Theodorum Gazam libro tertio de Historia animalium, mystocetũ in Aristotele, musculum vertisse, imò Hippocrates, citato loco, musculum diuersumà mytulis facit. Verum mytuli sua sponte in arenosis, extra mare, & fluuiis mare intrantibus nascuntur, vt meminit Plinius citato libro, capite 51. Qui capite decimo libri trigesimi secundi, myacas in mytulos degenerare, & in algosis, non arenosis viuere asserit. Cæterum, mytuli, vt cætera conchilia, in victus vsum veniunt, quorum cinis quoq; causticam vim habet.

DE TELLINIS.

Græcè, τελλῖναι: Latinè, Tellinæ: Hispanicè, brignigois: Italicè, telline, calcinelli. Arabicè, Sedef, & Talsam.

Enarratio VI.

HAec conchulæ quoq; sunt, & è conchiliorum genere, quæ vbique in mari reperiuntur, & in victus vsum quotidianum veniunt, gustui admodum gratæ, verum ob arenulas quibus scatent, renibus officiunt, & nephritim generant. *Tellinæ.*

DE CHAMIS.

Græcè, χάμαι: Latinè, chamæ: Arabicè, Hame.

Enarratio VII.

SVnt vt paucis dicam chamæ, conchiliorum genus, veluti plura alia, vt digiti, vngues, patellæ, & alia varia, quæ Dioscorides prætermisit, & eorum ius esculentum tantum aluum prorritant. *Chamæ.*

DE ONICHE.

Græcè, ὄνυξ: Latinè, Onix, conchula Indica, vn-

guis odoratus, blatta bisantia: Vulgò blatta bisantia, Athsar, vel Adsar.

Enarratio VIII.

onix blatta bisantia est.

EST onix, Indica conchula dicta, vnguem magnum referens, quæ quia odorata, vngula odorata appellatur, hodie verò officinæ eam blattam bisantiam appellant, cuius odor teter, ac castorei, quàm bonus vel suauis reputandus est, vt ex Dioscoride in præsenti colligitur.

DE COCHLEIS TERRESTRIBVS.

Græcè, κοχλίαι χέρσαῖοι: Latinè, cochleæ terrestres, limaces: Hispanicè, caraqueles: Italicè, chiocciole terrestri, lumache, bugoni: Arabicè, Dalsum: Gallicè, limaces, escargots: germ. Schneken.

COCHLEAE MARINAE.

Græcè, κοχλίας θαλάσσιος: Latinè, cochleæ marinæ: Hispanicè, caramuyos: Italicè, lumache marini: Gallicè, Limas de mer, virelis: Germanicè, Meer Schneken.

Enarratio IX.

Cochleæ terrestres.

COchleæ terrestres omnibus sunt notæ, ex equino capite cornibus armato, illis saltem insito, quarũ magnæ, paruæ, & mediocres, comperiuntur, & illarũ quoque

aliæ

aliæ bonæ,aliæ malæ & venenoſæ:aliæ verò mediæ. Sunt autem bonæ, in cibum ganearũ receptæ, quæ in bonis & odoriferis reperiũtur herbis,vt calaméto,origano, fœniculo,petroſelino,ſtechade,& aliis. Verũ,iis noſtri medici, ad antiquorũ imitationem, pro tuberculis maturãdis per ſe vel aliis admixtis medicamentis vtuntur. Non minus quoq;,nonnulli hodie eas hectica febri laborantibus concedunt,non cõtemnendo profecto iuuamento : de quibus Galenus libello de Cibis boni & mali ſucci dixit:cochleæ craſsi ſucci cenſentur : & vndecimo de Facultati.ſimplic. medicamen. vbi de viperæ carnibus agit : At cochlearum inquit,caro prius in mortario contuſa ac poſtea ad leuorem redacta, omnium valentiſsime deſiccat partes ſuperfluo humore grauatas,adeo vt & hydericis cõueniat, &c. quæ in eodẽ capite ſequuntur, & capite proprio, à lectore videnda,de quibus quoq; Plinius conſulendus eſt, lib. ix. cap.56.& lib.viij.cap.39. Porro marinæ cochleæ, ſtomacho quoq; ſunt gratę,qua de reincœnis maxime expetuntur, quas Luſitani voce ſua caramuyos appellitant. *Cochleæ marinæ.*

DE CANCRIS.

Græcè,καρκινος: Latinè,cancer fluuiatilis:Hiſpanicè, cangreio peſcado de agoa dulce : Italicè, granchi di fiume,mollecche,mancinette:Arabicè,Sartan,& Sarthan,Gallicè,cancres vel crabes,Ger. Krebs.

Enarratio x.

Astacus marinus.

CAncri & fluuiatiles: & marini sunt, quorum alij parui, alij magni, alij verò ingentis sunt magnitudinis: cauda omnes carent, & lato rotundoq; corpore constant. Cæterum, de fluuiatilibus cancris, hic agit Dioscorides, à quibus assatis, cinis, tantopere decantatum medicamen, cõtra rabidi canis morsus paratur, vt ex Galeno lib. xj. de Facultat. simplic. medicam. percipitur, qui ibidem à tota substantia, nõ vero qualitate manifesta, medicamẽ hoc agere, contra Pelopem præceptorem suum contendit. Sic enim antidotum hoc parari, vt illi placet, debet, hoc vno proposito, quòd mense Iulij caneri in patella viui vrãtur, & inde cinis paretur. Recipe cineris cancrorũ fluuiatilium, partes decem: thuris partem vnam: gentianæ partes quinq;, misce, fiat puluis, cuius pondus drachmæ in aqua bibendum propinetur. Est enim cochleare magnum sex continens obolos: paruum vero tres tantum. Animaduertendum tamen, quòd pondus hoc, singulis quadraginta diebus dari debet. Si tamen demorsus non illico ab eo die in quo inflictum fuit illi à cane rabido vulnus, antidotum hoc acceperit, tunc potius drachmarum duarum pondus quotidie, ad quadraginta vsq; dies bibere debet, & tanto magis, quanto morsus venenosior fuerit. Solet enim pernicioſum hoc canis rabidi virus, aliquando illico interficere, sæpe vero post aliquot menses, imò & annos, repullulare, vt ex Galeno tertio libro de Morbis vulgaribus commentario 3. didicimus, & res ipsa experimento comprobata

probata atteſtatur: ob actiuitatem enim veneni, & diſpoſitionem patientis, actio & reactio illa, breuis vel longa fit. Cæterum cancri fluuiales ij quoq; dicuntur quos teſtudines appellamus, qui hecticis & lenta febre laborantibus maximè commendantur, quoniam humidum, leue, & valde refrigerans præbent alimentum: Sunt enim harum pulpamenta tanquã gallinæ, aut capi, quæ prius optimè lauari debent, vt illis innatam ſalſedinem exuant, & poſtea per ſe vel pullorum carnibus admixtæ, in aqua coqui debent. Vnum tamen præterire non eſt, quod Dioſcorides inquit: Elixi cancri, cum iure ſuo in cibo ſumpti, tabidis opem ferunt. Quibus verbis Aëtius ſubſcribens ſermone. 10. ſuæ medicinæ, inquit, vt iure albo incoquantur: eſt enim ius album, compoſitum ex porro, anetho, & cepis, & aliis ſimilibus, quæ proculdubio phthiſicis, & hecticis, magis obſunt quàm proſunt. Proinde intelligere opus eſt apud Aëtiũ, cancros iure albo coquendos, id eſt, in aqua nulla ſibi re admixta, tunc enim ius album quoque appellamus, quum præter carnes, & aquã, in elixatione nihil quicquam ſuper addimus. Porro, cancer fluuiatilis tritus illituſq; ſpicula, & ſurculos extrahit, vt teſtatur Gal. lib. de Theriaca ad Piſonem. *Teſtudines*

DE SCORPIONE TERRESTRI.

Græcè, σκορπίος χέρσαῖος: Latinè, ſcorpio terreſtris: Hiſpanicè, alacral: Italinè, ſcorpione: Arabicè, harrab, vel Acharab: Gallicè, ſcorpion.

Enarratio x 1.

SCorpio animal familiariſsimum vbique eſt, quod venenoſum, & hominibus infeſtũ omnes norunt, quanquam in nonnullis regionibus nõ admodum venenoſum percipitur, vt apud Germanos, & illos qui ſub Septentrione agunt: Ex illis vero hodie oleum irritanda vrina paratum vbiq; habetur, quod & Auicenna in aurium dolore præcipuè commendat. Verum nõnulli hodie oleum contra omne genus veneni conficiunt, cuius fundamentum ſcorpiones ſunt, & illius deſcriptionem annis ſuperioribus vidimus, imò eo oleo doctiſsimus Antonius

Musa Brasauola in duobus ad suspendium paratis, periculum fecit, & ille cui oleum datum fuit, per aliquot superuixit horas, valet autem oleum hoc inuncta cordis regione, & pulsantibus arteriis, circa corpus, in peste, veluti contra lumbricos.

DE MARINO SCORPIONE.

Græcè, σκορπίος θαλάσσιος: Latinè, marinus scorpio: Hispanicè, alacral del mare: Italicè, scorpione marino.

Enarratio XII.

Scorpio marinus.

PVtant multi, hodiernam scorpenam, scorpionem marinum esse, hac de causa, quia scorpena piscis rufus est, varius, multis armatus aculeis, & qui gobionis similitudine lubricus, venenato aculeo insignitur, sed reuera, ij omnino falluntur: quia scorpio marinus longè alia res est, à scorpena, vt ex Aristotele percipi potest & Athenæo illi subscribente. Est igitur scorpio marinus, pisciculus terrestri scorpioni admodum similis, quem semel mihi tantum apud Lusitanos videre contigit, in eo oppido Alkobacia dicto, non nisi è portu à Pedarneria aduectum.

DE DRACONE MARINO.

Græcè, δράκων θαλάσσιος: Latinè, draco marinus: Hispanicè, dragon de la mar: Italicè, pesce ragno: Gallicè, viure.

Enarratio XIII.

Draco marinus.

DRaco marinus, piscis nobis ignotus est, quem Albertus Magnus, ingentis magnitudinis feram, & aligeram depingit. De quo Plinius lib. ix. cap. 27. inquit, captus à piscatoribus draco marinus atq; immissus in harenam; cauernam sibi rostro mira celeritate excauat.

DE SCOLOPENDRA.

Græcè, σκολόπενδρα θαλασσία: Latinè, scolopendra, centipes: Hispanicè, centopea: Italicè, cento gambe.

Enarratio XIIII.

Scolopendra terrestris.

ESt scolopendra aquatilis, & terrestris: terrestris, vermis est oblongus digitalis longitudinis, & maior, ad

ruborem

ruborem declinans, multis sed paruis, super quibus ambulat, pedibus armatus, qui asplenio herbæ, quam Arabes ceterae appellant, similis est, & ea de causa, herba hæc scolopendra quoque appellata est: Verum aquatilis siue marina scolopendra, in rubore plerunque magis viget, quàm terrestris, de qua Aristoteles, nono de Historia animalium ita inquit: Piscis qui scolopendra apellatur, vbi hamum deuorarit, euomit foras sua interiora, donec hamum eiiciat, tum recipit intro, ac valet eadem qua ante salubritate: & subdit, mordet non ore sed tactu totius corporis, similiter vt quæ vrticæ vocantur. Plutarchus porro scolopendram non interanea euomere tradit, sed potius se ipsam, quum hamũ deglutiuit, inuertere: reuera tamẽ Aristoteli plus fidei tribuendũ est, quàm Plutarcho, cum Aristoteli quoq; Plin. scribit lib. ix. cap. 43.

Plutarchus ab Aristotele uariat.

DE TORPEDINE.

Græcè, νάρκη: Latinè, torpedo: Hispanicè, Lusitanicè, hugia: Italicè, tremolo, battipota, foterigia, torpedine: Arabicè, Tead: Gallicè, endormie, turpille.

Enarratio XV.

TOrpedo piscis inter cartilaginea, planus est, à Græcis narce dictus, qui ita appellatur, quia si quis manu viuam tenuerit, torpedinem brachio inducet, imò à longinquo retis interuallo, vel virga tacta, lacertos quamuis prævalidos torpefacit, vt dixit Aquerrois, libro octauo Physicorum, & secundo de Cœlo & mundo: sed ante illum Plato diuinus in suo Menone, Torpedinem appropinquantibus torporem inspirare dixit: quem secutus Aristoteles nono libro de Natura animalium, ita prodit: Torpedo inquiens, pisces quos appetit, afficit, & ipsa quam suo in corpore continet facultate torpefaciẽdi, atq; ita retardos præ stupore capit & vescitur, abdit se in harena & limo, tunc pisces adnatantes torpore affectos, corripit, quam rem pleriq; conspectam à se retulerunt. De qua Galenus lib. xj. de Facultatibus simplicium medicamentorum ita differit: Si applicetur viua cui caput dolet, fieri

Torpedo.

poteſt vt dolore liberet, ſimiliter aliis quæ ſenſum obſtupefaciunt.

DE VIPERA.

Græcè, ἔχιδνης σάρξ: Latinè, vipera caro, vipera: Hiſpanicè, biuora, bicha: Italicè, maraſſo: Arabicè, labame, Alfahay: Gallicè, vipere.

Enarratio XVI.

EXtant duo libelli de vipera conſcripti, quorum vnus, Leoniceni eſt, viri omnium conſenſu doctiſsimi: Alter vero Pandulphi Colinutiij Piſaurenſis, cõtra ipſum Leonicenũ euulgatus, quos diligens lector percurrere poterit. Nos vero hodie rei medullam tenẽtes, relictis eorum iudiciis & controuerſiis, paucis ſummam comprehendemus. Eſt igitur echis, ſiue echidna, vipera, quam Itali maraſſum, Hiſpani vero biuoram, id eſt viuum parientem appellant, animal in vniuerſum venenoſum, maleficum, & hominibus infeſtũ, in Hiſpania cubitale ad ſummum, capite preſſo, acuto, in quo verruca cernitur, dorſo variegato, & catena quadam depicto. Dicitur autẽ vipera, non quod vi pariat, vt hucuſq; omnes crediderunt, ſed potius, quia viuum animal pariat: vnde rectius, mea ſententia viuipera, quàm vipera appellari meretur, vt ex Ariſtotele inferius comprobabitur. Receptum enim eſt, viperam fœminam per os concipere, atq; ea amplexus dulcedine, maſculi caput abrodere, poſtea fœtus ex tali ſemine prognatos, naturali quadam vltione, maternum vterum abrodere, & foras prorumpere, ita vt tanquam patris vindices, matrem perimant: ita enim Nicander in ſuis Theriacis hoc ſcriptum reliquit, quod poſtea Galenus quoq; memoriæ commendauit, libro de Theriaca ad Piſonem, dicens: Vipera autem inter omnes alias feras caput habet pernicioſius, ſiquidem aiunt ipſam os aperire ad ſuſcipiendam maris genituram, qua accepta, caput illius abrodere, atq; hunc ipſis eſſe praui complexus modum. Deinde fœtus ex ſemine prognati, naturali quadam vltione, parentis vterum erodere, & foras prorumpere, ac ita ipſos patris vindices, matrem perimere, quod nobis egregius Nicander Aetolus Poëta Græcus verſibus ſuis ingenioſe

ingenioſe ſcriptum reliquit, ſunt autem hi è Græco in Latinum conuerſi.

Ne ſis in triuiis quum morſus vipera coniunx,
Fœmellæ fugiens agitatæ vulnera abhorret.
Et quum dente caput magno maris amputat atri.
Fœmina dira nimis, labiis & mordicus hærens.
Sed catuli vltores patris ſunt protinus, vt qui
Perrumpant latera occiſæ iam rara parentis.

Hæc Galenus, ex Nicandro, cui quoq; ſubſcribit Plinius libro decimo capite 62. At revera, quum res ita ſe non habeat, contra doctiſsimos viros ſententiam contrariam referre, mirum non erit. Vidimus enim nos, & plures alij experientia comprobarunt, viperas prægnantes pyxidibus incluſas parere, quæ inde ex partu, nec mortuæ nec viſceribus perforatæ manſerunt, imò potius viuæ illæſæ vt prius, in dies multos perdurarunt, vnde credendum eſt, vulgi famam, viros doctiſsimos iſtos, quam rem experientia comprobatam, literis mandaſſe, vel potius quòd Ariſtotelem minus bene intellexerunt, quod de Plinio libere aſſeueramus, qui dubio procul in iſtum deuenit errorem, quia Ariſtotelis mentem aſſecutus non fuit, capite vltimo libri quinti, de Natura animalium, vbi ita inquit, Vipera è ſerpentibus vna animal edit, cũ intra ſe oua primum peperit: ouum hoc vnius coloris, & molle, vt piſcium eſt, & ſubdit, parit catulos obuolutos membranis, quæ tertia die rumpantur: euenit interdum, vt qui in vtero adhuc ſunt, abroſis membranis prærumpant, ſingulos, diebus ſingulis, parit, & plures quàm viginti, hæc Ariſtoteles. In quibus, vt cernitis, hæc inquit, Vipera ex ouo intra corpus gignit catulum, qui catulus membranis obuoluitur, quę membranę poſt exitum catuli in lucem diſrumpuntur: ſed cum hoc contingit, quòd catuli membranis obuoluti, interim dum adhuc ſunt in vtero matris, diſrumpant ipſas membranulas, & foras exeant. Plinius vero quum hunc textum interpretatur, vt dixi libro decimo capite 62. illum corrumpit, quum, dicere deberet, quòd catuli vltimi, in vtero exiſtentes, aliquando membranas, in quibus ſunt obuoluti diſrumpant, vt exeant: vertit, quòd catuli prærumpunt latera matris: verba longe profecto aliena ab Ariſtotelis mente. Quæ vero à Ga-

Contra antiquos.

Plinius errat.

Ariſtoteles exponitur

leno de viperæ carnibus, libro vndecimo traduntur, ac quantum elephanthiasi conueniant, legere ne pigeat: simulq; ea quæ de illis scripsit libro primo de Antidotis, vbi pastillos theriacos parare docet. Sed hic adnotare decet, quòd Dioscorides in præsenti eos irridet, qui viperarum extremas partes ad quatuor digitorum mensuram amputare contendunt, quum tamen laudet, caput & caudam vt partes venenosiores, & duriores amputandas esse: super qua re Galenus iudicium suum ferens inquit, libro vndecimo de Facultatibus simplicium medicamẽtorum, caput quidem totum abiici, ob venenum quod ore continent, verum à ratione alienum esse adimere & caudam. Item taxat Dioscorides illos, qui contendunt affirmare, viperinis carnibus vescentes, pediculosos fieri, quod tamen Galenus pro vero affirmat, in illis præcipuè, qui multis & corruptis, ac vitiosis abundant humoribus, vt ex suis verbis, citati loci, satis liquet, vbi inquit: quibus igitur copia mali succi in corpore abundat, iis pediculorum numerosa multitudo exoritur.

DE ANGVIVM SENECTA.

Græcè, γῆρας ὄφεως: Latinè, anguis senecta, anguina vernatio: Hispanicè, pele de la culebra: Italicè, spoglia delle serpi: Gallicè, despouille de serpent: Germanicè, Schlangen haut.

Enarratio XVII.

Anguium senecta.

ANguium senecta, siue anguinea vernatio, inter lapides, sepes, ac parietes reperitur, quæ ad omnia quæ Dioscorides citat, valet: ego tamen illa, axungia porcina excepta, palos, spinas, ac spicula carni affixa, extrahere soleo, loco affecto superimposita.

CONSTANTINVS.

HOc *anguium spolium Græcis* λεπὶς *dicitur &* γῆρας *Nicandro in Theriacis. Plinio lib. xxix. cap. 6. vernatio et lib. xxx. cap. 3. Anguina vernatio: libroq; xxix. cap. 5. mẽbrana siue Senectus Angutũ vernatione exuta. Et lib. viij. cap. 30. Senectus. Alibi vernatio annua, & pellis exuuiæ. Virgilio in Georg. Exuuiæ. Lucretio vestis, libro. iij. vestemq; relinquere vt Anguis gauderet.*

Idem

Idem libro iiij. cum lubrica serpens exuit in spinis vestem. Statio senium & squallentes anni Thebaidos iiij. Ceu lubricus alta Anguis humo verni blanda ad spiramina solis Erigitur liber senio & squallentibus annis. Quod Græci leberidem, Latini Senectam & exuuias, dixit Senium & squallentes annos: Quia, inquit Lactantius grammaticus, deposita pelle dicuntur serpentes in iuuentutem redire: Herba quædam dicitur Mathios, quam cùm comederint, Senium deponunt ætatis, quo loco manifestarius est error (vt in transitu opem feramus classico grammatico) in dictione Mathios, cùm legendum sit marathros, vel potius marathron: cuius fidem facit locus apud Nicandrum huius etiam argumenti, in Theriacis: τῆμος ὅτ' ἀναλέον φολίδων ἀπεδύσατο γῆρας

Μῶλυς ἐπιστείχων, ὅτε φωλεὸν εἴαρι φεύγων,
ὄμμασσιν ἀμβλώσσει, μαράθου δὲ ἐνήχυτος, ὅρπηξ
(Sic enim corrigo pro ἐνήχυτος)

Βοσκηθεὶς, ὠκύν τε καὶ αὐγήεντα τίθησι. *Clarius fit ex his verbis interpretis Diphili* ἱστέον δὲ ὡς οἱ ὄφεις ἐν τῷ χειμῶνι τυφλοὶ γίνονται διὰ τὸ παιέτου, ἐν τῷ ἔαρι γευσάμενοι μαράθου πάλιν ὀξυδερκοῦσι καὶ ἀναβλέπουσι.

Et alibi ὀπχυλὸς τοῦ μαράθου ὀξυδερκίαν καρέχει, οἱ δράκοντες οὐ μόνου ἐσθίουσιν αὐτὸ, ἀλλὰ καὶ περιχρίουσι τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν.

DE VTROQVE LEPORE.

Græcè, λαγωὸς θαλάσσιος: *Latinè, lepus marinus: Hispanicè, Lusitanicè, Lula:*

LEPVS TERRESTRIS.

Græcè, λαγωὸς χερσαῖος: *Latinè, lepus terrestris: Hispanicè, lieure: Italicè, lepre: Gallicè, lieure: Arabicè, arnebeni: Germanicè*, Haass.

Enarratio XVIII.

Lepus marinus.

EST enim lepus marinus, animal pusillum tetri cuiusdam odoris, inter loligines computatum, quod ideo lepus dicitur, quia capite lepori terrestri simile. In India vero pilosum reperiri, ac tactu veneficum, & pestilentem, tradit Plinius libro nono capite 48. qua de causa, nec viuus ibi capitur.

Lepus

Lepus terrestris.

LEpus terrestris, notissimũ animal, & velocissimum est, quod ex omnibus coagulum habentibus, solum dentes in parte anteriori, tam suprà quàm infra habet, quia enim timidissimum animal, apertis dormit oculis, parit omni mense, & superfœtat, ita vt fœtum educans, alium in vtero pilis vestitum habeat, alium vero implumem, vnde Leporum infinitus crescit numerus, coëunt autem (natura ita constituente) natibus aduersis, quibus duo iecinora inesse, circa Briletum, & Therné, & in Cherroneso ad Propontidem, testatur Plinius, lib. xj. cap. 36. Caro leporis siccum præbet alimentum, vt de ea Manardus abunde, & docte disseruit lib. xiij. suarũ Epistolarum, epist. 4. Cuius pili admodum sunt constringentes, vt ex Galeno, & medicorum choro percipitur, At de capite Leporino, ita Galenus dixit lib. xj. de Facult. simplic. medic. Alius capite leporis vsto vtebatur, ad alopecias cum adipe vrsino: de cerebro vero eiusdem, vno interposito capite, ita quoque dixit, id attritum & esum vtile dicimus esse pueris dentientibus. Quidam etiam aduersus tremores, vtiliter edi cerebrum hoc prodidere. Verum, cuniculus, figura lepori similis est, specie vero dissimilis.

DE PASTINACA PISCE.

Græcè, Τρυγὼν θαλασσία: Latinè, pastinaca, Italicè, pesce columbo, Gallicè, glorin, vel glorieuse.

Enarra

Enarratio XIX.

PAstinacam, Trygona Græci dicunt, quam Ambrosius turturem vertit, & eam Veneti hodie piscem columbum appellitant, è raiarũ & squatinarum genere, qui radium digitalis, & interdum semipedis lõgitudinis, in modum serræ denticulatum, dentibus retroversis super caudam retinet, quo nihil (vt tradit Plinius) in mari venenatius reperitur, adeo vt si radicibus arborum innitatur eas exsiccat marcescereque facit. Tripudio cantúve maxime delectatur, vnde iis etiam capi consueuit. Coit pastinaca quemadmodum raia, & latrocinatur ex occulto, cuius solertiæ indicium est, quòd sæpius eam capiunt habentem in ventre mugilem piscem velocissimum. Hæc in cibo sumpta, ventrem exonerat, sed vt placet Plinio, ex illa extrahi debet totum quod croco habet simile, non minus & caput, quibus & caudam aliqui addunt. Quo modo vere aculeo isto, siue radio vtendum sit, in sedandis dentium doloribus, docet Plinius lib. xxxij. cap. 8. ad istum modum: Pastinacæ quoq; radio scarificare gingiuas, & in dolore vtilissimum, conteriturq; iis & cum helleboro albo illitus, dentes sine vexatione extrahit. Cæterum, piscis columbus aliquibus is piscis dicitur, quem rotundum, veluti ollam, suspensum, in domibus principum tanquam prætereuntiũ spectaculũ cernimus, quem quoq; alij piscem hirundinem appellant, vt Dalmatę & Illyrici, qui eum hodie sua lingua, lastouica, id est hirundinem vocant, & meritò, quia piscis hirundo vere dicitur, & est.

Pastinaca piscis colũbus est.

Piscis columbus.

DE

DE SEPIA.

Græcè, σηπία: *Latinè*, *sepia*: *Arabicè*, *Sarathan*, *& serthan*: *Hiſpanicè*, *ſiba*: *Italicè*, *ſepia*: *Gallicè*, *Seche*: *Germanicè*, Blachfich.

Enarratio x x.

Sepia piſcis.

SEpia piſcis marinus eſt, plebeis & baiulis ſatis notus, qui ex ſe attramentum, quum ap prehendi ſe à piſcatore, vel alio piſce nouit, vt aquam nigram reddat, effundit: cuius oſſe, Aurifices Argentarij, pro parandis, & poliendis monilibus, & annulis, hodie præcipuè vtũtur.

Loligo polypus.

Eſt ſepiæ congenus loligo, polypus, & alij lubrici & plani piſces: differt tamen ſepia à loligine in hoc, quòd ſepia latior, loligo vero longior eſt: item ſepia nigrum attramentum, vt diximus in timore ex ſe emittit: loligo vero rubrum, adde, quòd loligni hæret, quæ hodie calamarium dicitur, Gladiolus vero perſpicuus eſt, & cryſtallo perſimilis, polypus verò, à pedum multitudine, quaſi multipes dictus eſt. Conſtat enim octonis pedibus per quos acetabula quędam diſperſa habet, quibus haurit quodammodo id cui adhæſit, & ita tenetur ne queat diuelli, de quo extat pergrata lectori hiſtoria apud Plin. lib. ix. Cæterũ omnes iſti piſces, craſſum & difficilis coctionis præbent alimentum, vt de eis tradit Gale. lib. iij. de Facult. alimen. cap. 35. ſub iis verbis: mollia, inquiens, vocãtur, quæ neq; ſquammas, neq; aſperam cutim, aut teſtaceam habent, ſed mollem inſtar humanæ: cuius generis ſunt, polypi, ſepiæ, loligines, & alia quæ his ſunt ſimilia: hæc certo quoniam neq; ſquammeum, neq; aſperum, neq; teſtaceum tegmen gerunt, mollia tangenti apparent: duræ tamen ſunt carnis, & ad coquendum difficilis, exiguumq; in ſe ſuccum ſalſum continentia: Si tamen concoquantur, alimentum

Mollia quæ.

non

non paucum corpori exhibebunt, cæterum hæc quoque succi crudi plurimi gignunt. Hæc Galenus. Quæ omnia ex Hippocrate deprompsit libro de Diæta, quum dicit, Sepiæ verò & polypi & huiusmodi pisces, neq; leues, velut videntur sunt, neq; per aluum secedunt, quapropter etiam oculos comesti grauant, iuscula tamen horum aluum mouent. De sepiæ vero testa, plura apud Galenum legito lib. xj. de Facult. simplicium medicamentorum.

DE MVLLO PISCE.

Græcè, τρίγλη: Latinè, trigla, mullus piscis, mullus barbatus: Hispanicè, Lusitanicè, salmonete: Italicè, barbone, triglie: Gallicè surmulet vel barbue, Germanicè, Barben.

Enarratio xxi.

TRigla piscis, hodie Græco nomine seruato, in multis Italicæ locis trigle appellatur, quanquam tamen Venetiis, & aliis variis locis, seruata Latinorũ voce, barbone illum vocant: nominat autem eum Cicero lib. Paradoxorum, barbatulum, veluti Varro tertio de Re rustica libro, barbatum mullum, quia duplici barba, illum ornari videmus. Sed dicitur mullus, quia mulli colore, hoc est ad ruborem declinante insignitur, vel potius dicitur mullus, vt Fenestellæ placet, à mulleorũ colore: est enim mulleus, vt Festus inquit, genus calceorum, quibus Albanorum reges primi, deinde patricij vsi sunt. Dicitur quoq; à Græcis trigla, non quia triformis, aut quia Dianæ triformi dicatur, sed melius, quia ter anno pariat, vt ex Aristotele v. lib. de Historia animaliũ percipitur, quum ex piscibus, solum mullũ, ter anno parere dixerit, & Plin. libr. ix. subscripsit. Est proculdubio mullus piscis, hodie in maximo pretio habitus, veluti quoq; olim habebatur, adeo vt Asinius Celer, Claudij temporibus, mullum octo millibus numum, hoc est ducentis aureis emerit, raro binas libras pondere superare videmus, quod Martialis scriptũ reliquit iis verbis, Nolo mihi ponas rhombũ mullumq; bilibrẽ: & Horatius, laudas insane trilibrem mullum, At Seneca lib. xv. tuarum Epistolarũ, mullum quatuor librarum, Tyberio

Trigla mullus est.

Impera

Imperatori donatum, quẽ postea in macellum vendi iussit, ab Octauio quinq; sestertiis emptũ fuisse scribit. Iuuenalis quoq; mullum sex librarũ fuisse, sexq; millibus sextertiis emptũ commemorat. In mari quoq; Rubro octoginta librarũ, mullum captum, Licinius Mutianus, vt refert Plinius, testatur. Mullus, testãte Cornelio Celso, optimi succi est, vt postea attestatus est Galenus lib. iij. de Facultatibus alimentorũ, cap. 27. dicens: Hic quoq; pelagicis piscibus annumeratur: celebratur autẽ apud homines tanquam voluptate cibos reliquos superet, omnium ferme aliorũ carnem habet durissimam, & valde friabilem, quod idẽ significat ac si dicas nihil in eo esse lentoris neq; pinguedinis: nutrit certe quum probe confectus fuerit, omnibus aliis piscibus copiosius, & cætera. Sed hic lectorem monitum velim, ne nominum vicinitate decipiatur, quũ trigla, vt diximus, mullus est, Trichia verò, sardinia: at Thrissa, clupea, vel alosa, saualúsve est, quẽ Itali chiepã appellant. Quòd vero mullus claritati oculorum officiat, Dioscorides testatur, an verò recte, dubito: quum gratus stomacho sit, & optimum gignat nutrimentũ. Item quòd humanas carnes insequatur, ridiculosum mihi videtur, quum piscis mitis, paruus, & haud truculentus sit. Dicitur verò ab Hispanis piscis iste, salmonetus, quasi salmoretus, quia ex eo olim præcipue salmuria parabatur. Sed quia de mullo pisce egimus, non ab re erit, de asello pisce quoque sermonem facere veluti & de lupo. Est igitur asellus piscis ex iis qui in alto capiuntur mari, antiquissima voce Bacchus nominatus, quam vocem hodie Hispani, & Germani inferiores seruantes, illum, licet corrupte, bacchalhao vocant. Melius igitur Bacchus apud Plinium legitur, quàm banchus, vt olim Hermolaus Barbarus contendebat. Sed quòd asellus vt diximus piscis iste, in foris piscariis vacchalhao dictus sit, ab Erasmo Roterodamo, viro omnium cõsensu maximo, viua voce accepimus. Dicitur verò asellus, vt Varroni placet, à colore asinino illi insito, vel vt Opiano, ob ignauiam segnitiamúe. Lupus verò piscis, ore immenso conspicitur, aspero, sed sine dentibus, squamosus, candicantibus minutis squamis, præsertim supina parte, quem olim spigolã Romani vocabant, hodie verò Veneti varolum, Hispani autem robalum nominant. Hunc olim

Mulli vires.

Trigla mullus est.

Trichia sardina.

Trissa clupea vel salsalus.

Asellus.

Lupus spigola.

olim antiquitus Romana in maximo habuit pretio, cuius altera ſpecies, abſoluta voce, piſcis dicebatur, quem hodie quoq; Hiſpani piſcem, vel piſcatam, ſeruata Romanorum voce, appellant: quia inter cæteros piſces, excellentiã obtineat, ita vt piſcis nomine ſolus appellari dignus ſit. Is enim, vt placet Galeno iij. lib. Alimentorũ, cum perdicis carnibus, maximã habet conuenientiã. Poſſumus quoque lupi ſpeciebus addere piſcem illum fluuiatilem, quem lucium Itali, hechtum & ſnuchũ Germani, Galli vero bruxetum appellitant. At Angli voce Luſitanica eum pique vocant, quanquam in vniuerſa Hiſpania non reperiatur. Galli Lucium vocant brochet, Angli vero pig. de quo Auſonius in Moſella.

Varolus robalus.

Lupi altera ſpecies.

Lucius.

DE TESTICVLO FLVVIALIS EQVI.

Græcè, ὄρχις ἱπποπόταμος: Latinè, teſticulus fluuiatilis equi.

Enarratio XXII.

HIppopotamum, id eſt equum marinum, hucuſq; videre nunquam mihi contigit, in Nilo tamen reperiri, & quòd ex eo vene ſectio in vſu medico adducta fuerit, tradit Plinius libro viij. capite 25. & 26.

DE CASTORIO.

Græcè, κάστωρ & ὄρχις: Latinè, amphibium, caſtorium, caſtoris teſticulus, fiber: Hiſpanicè, biuaro, biueiro, Italicè, biuaro: Gallicè, Bieure: Arabicè, Inchian, Beduſter: Germanicè, Bibergeyl.

Enarratio XXIII.

CAſtor animal, & in terra & aquis vitam degit, qua de cauſa, amphibium appellatur, cuius teſticuli caſtoriũ dicti, magni vſus in re medica ſunt, adeo vt Archigenes integrum volumẽ de illis, vt tradit Galenus lib. xj. de Facultatibus ſimplicium medicamentorum, ſcripſerit. Parum enim animal hoc à lutra differt, imò Hiſpanorum aliqui, ob magnam quam habet cum lutra ſimilitudinem, lutram aquaticam, illud appellant, ſed neq; figura tantum animalia hæc duo ſimilia ſunt, ſed etiam viribus. Nam lu-

Caſtorij teſticuli.

Lutræ teſticuli.

træ teſticuli ad eadem valere nouimus ad quæ caſtorium, imò carnes lutræ eædem ſapore cũ carnibus caſtoris ſunt, quæ in cibo ad omnia quæ teſticuli valent, magnum ſumptæ præbent iuuamentũ. Proinde medici rectè deinceps facient, ſi huiuſcemodi carnibus neruorũ ægritudinibus à repletione pendentibus, male affectos aluerint, quũ proculdubio & calidæ & ſiccæ ſint, & magnum præbeant iuuamentũ. Quòd vero hoc animal, quum à canibus perſequitur, ſibi teſtes amputet, falſum eſſe tradit Dioſcorides, id anno 1541. nos quoq; experti ſumus, quum Ferrariæ in officina Nicolai Nicolutij pharmacopolæ à Pinea, integrum caſtorẽ habuimus, & cum circa teſtes diſſecuimus, quos adeo ſpinæ hærentes inuenimus, vt illos difficulter cultro extrahere potuerimus, quorũ vires Dioſcorides in præſenti exacte proſequitur, & illis Galenus libro xj. de Facul. ſimpl. medi. ſubſcripſit, quas illic legere ne pigeat.

Explodi-tur error.

DE MVSTELA.

Græcè, γαλὴ: Latinè, muſtela domeſtica: Hiſpanicè, doninha, duenha de caſa: Italicè, donnola: Gallicè, Bellette. Enarratio xxiiii.

Muſtela aquatica et terreſtris.

MVſtela duplex eſt, aquatica & terreſtris. Eſt enim muſtela aquatica, piſcis lampreta hodie dicta, variis foraminibus in collo perforata: terreſtris verò, animal paruũ quadrupes ſciuri magnitudine dicitur, quæ domeſtica,

ſtica,& ſylueſtris reperitur. Domeſtica ea eſt, quæ mures in domibus noſtris,tanquam felis venatur,de qua ad præſens Dioſcorides loquitur:ſylueſtris verò illa dicitur,quæ in ſyluis & montibus viuit: vtraque verò catulos ſuos, de loco ad locum quotidie, eorũ timentes raptum transfert: contra ſerpentes muſtela inuadit, non niſi prius rutæ pabulo munita,vt placet Plin. lib.viij.cap.27.vel cicerbitæ, vt aliis videtur.De qua legito Galenũ lib.xj. de Facultat. ſimplic.medic.vbi muſtelam, pro podagricis, & arthriticis,nunquam cõbuſsiſſe fatetur.

DE RANA.

Græcè, βάτραχος: Latinè,rana: Hiſpanicè, Italicè, rana. Gallicè grenoille,raine. Arabicè,Difdaha. Germanicè, Froſch.

Enarratio XXV.

RAna notiſsimum animal, cuius ſpecies ſunt plures, quas omnes tanquam venenoſas, & hominibus indignum cibum,omittendas cum Moſe conſulimus,à quibus quoq; Galenus abſtinere ſuadet, lib.de Cibis boni & mali ſucci,& libris de Morbis vulgaribus,qui penuria vrgente,vel luxus potius gratia,has veluti legumina omnia fere,fungos, cochleas,carnes ferorum animalium, & alia id genus reliqua, in victus vſum homines (inquit) venire permittunt:imò Aëtius lib.xiij.cap.55. paluſtres ranas in- *Rana.*

ter venena connumerat, quanquam lib. ij. cap. 162. earum ius tanquã alexipharmacum descripserat. Terrestris porro rana, obmutescens dicta quam roſpum Itali, Hiſpani verò ſapum appellant, ab omnibus tanquam præſentiſsimum venenum, non minus ac rubeta habetur. De quibus ſi placet, legito Mundellã Brixienſem epiſtola octaua ſui voluminis. Cæterum rana marina piſcatrix dicta, inter piſces planos & cartilagineos adnumeratur, qui hodie ab Iſtriæ piſcatoribus, piſcis roſpus dicitur, à noſtris verò piſcis ſapo.

Rana piſcatrix.

DE SILVRO PISCE.

Græcè, σίλουρος: Latinè, ſilurus: Hiſpanicè, Luſitanicè, ſolho.

Enarratio XXVI.

REcte mea ſentẽtia, Paulus Iouius, vir hac noſtra ætate doctiſsimus, libello ſuo, quẽ de Romanis aliquot edidit piſcibus, poſt longam diſceptationẽ, ac multorum confutatis opinionibus, concluſit ſilurum Græcorũ, noſtrum eſſe ſturionem, cui Hiſpanica nomenclatura multum fauere videtur, vnde enim Hiſpanis, lingua Romana, ſed parum emendate loquentibus, in mentem venit, vt ſturionem ſolho, vocarent, niſi ita à maioribus ſuis, hoc eſt, ab his qui Latina lingua incorrupte vtebantur, vocatum quaſi per manus accepiſſent, facile enim à ſiluro vox ſolho deduci creditũ eſt. Proinde Manardus, & alij illum ſequentes, in hac re veluti ſcopum nõ attingẽtes, non ſunt audiendi, quum reuera, ſilurus ſturio ſit, piſcis ingentis magnitudinis, præſertim apud Belgas: in Pado vero Ferrariam præterlabente frequens is piſcis eſt, qui ſi nõ adeo prægrandis magnitudinis ſit, ſapore tamẽ cæteros excellit. Cæterum ex ſturionũ ouis, cauiarium, in Ponto conficitur, & ad nos ſalitum in maſſas ingentes coactum affertur, quod primatum inter ſalſamenta hodie habet.

Silurus Sturio eſt.

Manardus errat.

CONSTANTINVS.

ERrat Amatus Luſitanus cum Paulo Iouio: Italorũ enim ſturtio non eſt ſilurus, potius eſt γλάνις, Ariſtoteli & Athenæo: idemq; qui Plinio ſilurus graſſator à B. Ambroſio in hexam. vorax vocatus eſt, Danubij accolis dictus Acchia & germanis Bolich, diuerſus à ſiluro Auſonij qui Antacæus ſtraboni, & Herodo-

doto creditur. At ſturionem alij voluerunt eſſe phocænam Ariſtoteli, Plinio turſionem vt Gaza, alij Attilium, Hermolaus hyccam Athenæo, alij lupum. Egoquidem pedibus, quod dicitur, tranſeo in Rondeletij viri doctiſſimi ſententiam, qui in illa de piſcibus abſoluta hiſtoria (quamuis obtrectet Cardanus libro de varietate rerum & illum mentiri impudenter clamet, à quo omnia huius argumenti ſurripuit) qui ſturionem credit eſſe accipenſerem Romanorum, & Dorionis oniſcon, ſiue Galeni galaxiam.

DE SMARIDE PISCE.

Græcè, σμαρὶς: Latinè, Smaris piſcis: Italicè, giroli, Arabicè, abſamaris.

Enarratio XXVII.

SMaris piſcis, mænis ſimilis eſt, quem hodie Græci quoq; ſmaridem vocant, Veneti vero giroli, vel girfulos, vel gerrulos nominant. Dicuntur autem ſmarides, piſces ij, ob colorem illis album inſitum: vnde homines præ metu albidos, & exangues redditos, ſmaritos hodie Itali appellant. De iis vero piſcibus, Ariſtoteles libro octauo de Hiſtoria animalium mentionem fecit. *Smaris piſcis.*

DE MAENIS.

Græcè, μαινίδες: Latinè, mænæ: Italicè, menole: Hiſpanicè, pandelhas, Gallicè, Menuiſe.

Enarratio XXVIII.

MAena piſculus digitalis longitudinis eſt, qui in hyeme albeſcit, æſtate vero nigreſcit, ex albo cæruleus quodammodo redditus, de quo Plinius libro nono, verbum facit, & Ariſtoteles libro octauo de Natura animalium. *Mænulæ piſces.*

DE GOBIO PISCE.

Græcè, κωβιὸς: Latinè, gobius, gobio: Hiſpanicè, Luſitanicè, cadozes: Italicè, go: Gallicè, gouion, Arabicè, Ramen: Germanicè, Goeb.

Enarratio XXIX.

GObius, ſiue gobio, aut vt Plinius cobio, piſcis paruus eſt, ex nigro & albo variegatus, capite magno, inter præſtantes hodie habitus, quem Veneti voce depra- *Gobius cobius idem.*

uata, hoc est prima tantum syllaba mutila goo appellant, Hispani vero Lusitani, Hebraica voce, pisces istos, cadozes, id est sanctos appellant. Sunt tamen pisces alij, quos vniuersa Hispania gobiones appellant, quos potius inter tinearum species adnumerandos esse autumarem, quum parum cum figura tum temperamento inter se differant, de quibus Galenus libro tertio de Facultatibus alimentorum capite vigesimo nono ita tradit: Gobio littoralis est piscis, ex numero etiam eorum, qui parui perpetuo manent: præstantissimus autem omnium ad voluptatem, coctionẽ, distributionẽ, ac deniq; succi bonitatem is est, qui in arenosis littoribus, aut saxosis promontoriis degit. Cæterum gobiorum caro, vt carne saxatilium est durior, ita mollior quàm mullorum, ipsa igitur proportione vescentium corpus nutrit.

Gobiorum altera species.

DE THVNO.

Græcè, θύννος: Latinè, Thunnus: Arabicè, Resam & aliena: Italicè, Tonno: Hispanicè, atuni, Gallicè, Tonine vel Thun.

Enarratio xxx.

THynnorũ præcipua hodie est captura in Algarbiis Lusitaniæ, vnde in vniuersam Europam, eos cadis membratim dissectos salitosq; tanquam celebre mercimonium deferunt. Cæterum, in thynno duæ seruantur partes, altera nobilior, circa abdomen, quam Romani, tarantellam dicunt, nostri vero à ventre ventriscam appellitant: quæ vt pinguis & palato grata est, ita facile stomachos subuertit, ad nauseam eos promouendo: altera vero pars, dorsi, & caudæ, totiusue corporis, melandrya à Plinio nuncupatur, sicca, omni pingui succo admodum carens, quæ deiectum stomachum reuiuiscere omnino facit. Dicitur autem thynni fœtus quum primum ab ouo prodit, cordylla, postea limaria, tandem adolescens, pelamis, siue palamia nominatur: quum vero pedalem excesserit magnitudinem, in thynnum abit, qui vt placet Aristoteli, intra biennium moritur, nec amplius viuit, de quo Galenus, citato loco, intra dura carne, prædictos pisces, mentionem fecit.

DE

DE GARO.

Græcè, γάρον : *Latinè*, *garum*: *Arabicè*, *Muri*, *vel Almuri*.

Enarratio XXXI.

GArum liquamen ex ſalmuria ſaliti piſcis gari apud Græcos dicti, confectum eſt, vt ex Plinio libro trigeſimo primo capite ſeptimo didicimus: quod in varios culinæ vſus veniebat, olim apud Aphros optimum conficiebatur, quod ſociorum quoq; appellebatur, in vniuerſum abolitum: hodie tamen ex ſcombris ſardis apud Hiſpanos dictis, garum, veluti ex thynno, & aliis variis piſcibus habetur, quod ſalmuriam vocamus, de qua veluti ea, in qua carnes ſeruantur, Dioſcorides in præſenti loquitur, intelligitue. Animaduertendum tamen, quòd garum vt diximus, proprie ſanies inteſtinorum piſcium eſt, halme vero muries & ſalſugo piſcium inueteratorum, hoc eſt, ius ſalſum, in quo piſces ſeruantur, & illud, ſalimuriam appellamus, quam Dioſcorides intelligit. Cęterum, ex aceto & muria, compoſitum paratur quod oxalme nominatur, veluti ex muria & allio, ſcordalme dictum.

Garum.

Salmuria.

Halme.

Oxalme.

DE RECENTIVM PISCIVM ESCVLENTO IVRE.

Enarratio XXXII.

REcentium piſcium eſculentum ius facile paratur: pro quo animaduertendum, quòd Dioſcorides, illud parari iubet ex piſcibus petroſis & ſaxatilibus, qui omnino marini ſunt, non autem fluuiatiles, vt multi falſo rentur, credentes quum piſces ſaxatiles, aut petroſos apud authores legunt, non marinos, ſed fluuiatiles intelligi. Cæterum phycides ex iis piſcibus ſunt, qui colorem mutant, & in alga nidificant, atq; pariunt, vt placet Ariſtoteli libro octauo de Hiſtoria animalium, qui omnino tincarum viridium colorem atq; effigiem referunt, vulgo Romanorum, dicti fici, omnino inſipidi, qua de cauſa, raro procerum menſas occupant. De ſcorpionibus vero ſupra abunde diximus. At iulides qui ſint piſces, non ſatis conſtat. Hermolaus Barbarus, in Corollario, iulidas ſiue

Ius piſcium.

iulides, ait porcos vocari, vtcumq; tamen crederem ipſe, piſcem paruum & ſaxatilem eſſe, ſed perea piſcis ſatis eſt notus, quem Itali, præcipuè Ferrarienſes, apud quos magna illius eſt captura, perſicum piſcem appellant, Theutones vero Anthuerpienſes, illum ſua lingua baſim dicũt, & eum maximo in pretio habent, fluuiatilem & marinum, branchis ſubrufum, dorſo ſpinis armatum, pondere ad ſummum ſemilibrem, guſtui gratum, & languentibus ſalubrem. Quomodo vero, ius hoc parari debeat, vt aluum moueat, aut quantum anethi, olei, & ſalis iniici debeat, quæret aliquis: cui reſpondemus, id coqui arbitrio relinqui, qui ſecundum piſcis quantitatem, plus & minus addere vel detrahere poterit. Cæterum antiquitas eſculentum ius hoc, veluti gallinaceorum, poſt purgationem, ad infringendam eius eroſionis acrimoniã propinabat, vt libro quinto capite de Aqua marina teſtatur Dioſcorides, & nos ibidem vberius dicemus.

DE CIMICIBVS.

Græcè, κόρις: Latinè, cimices: Hiſpanicè, chiſmes, chiemeſas, parauelhos: Italicè, cimici: Gallicè, punaiſes: Germanicè, Vventel, Vvantzen.

Enarratio XXXIII.

Cimices. CImices tam ſunt noti, vt eos ob putidum & peſtilentem, quem emortui relinquunt, fetorem, ſatius eſſet præterire: quod verò Dioſcorides illis, in quartanæ curatione tribuit, id vt fabuloſum Plinius refutat, libro vigeſimo nono capite quarto dicens: Cætera quæ de iis tradunt, vomicæ & quartanarum remedia, aliorumq; morborum, quanquam ouo aut cera, aut faba, incluſos cenſeant deuorandos, falſa, nec referenda arbitror: quòd vero virgæ pro irritanda vrina conciſi immitti debeant, id hodie conſultius factum iri puto, quum viuos in vrinæ canali indunt: quia ſua velicatione, expultricem quoquo modo virtutem, ad excretionem incitant. Sunt præterea cimices agreſtes, in maluis & variis aliis herbis vigentes, de quibus Plinius ita inquit: eos qui agreſtes ſint, & in malua naſcantur, crematos cinere permixto roſaceo, infundunt auribus. hæc Plinius. quæ ideo in iſtum locum

tranſcri

transcripsimus, vt Mathiolum parum oculatum in hac re monstraremus, qui de illis nullũ vsum in medicina, apud aliquem reperiri contendit.

DE MILLEPEDIBVS.

Græcè, ὄνοι ἢ κυβαρίδες: Latinè millepedæ, Arabicè, harna: Hispanicè, gallinilha: Lusitanicè, porquinhas, bicho: Italicè, porcelletti: Gallicè, Closeporte: Germanicè, Esel.

Enarratio XXXIIII.

SVnt onisci, id est aselli vermes, admodum parui, multorum pedum, & cineritij coloris, qui sub hidriis, & humectis locis maxime reperiuntur, & tacti illico in globum plicantur, quorum frequens apud vulgares in potu pro cienda vrina vsus est: eos enim siccatos & in puluerem redactos, in vino vel iure aliquo, offerunt. De quibus Galenus libro vndecimo de Facultatibus simpliciorum medicamentorum, capite de dracone marino mẽtionem facit, non minus quoq; libro secundo de Compositione medicamentorum secundum locos, capite de cephalea.

CONSTANTINVS.

DE hac centipeda siue millepeda quæ ex varia authorum lectione obseruauimus in supplemento linguæ Græcæ nondum impresso, non pigebit ascribere. Apud Trallianum lib. ij. legitur φυσικῶς ἢ τὸ αὐτὸ τοῦτο ποιοῦσι, οἱ ὄνοι οἱ παρὰ τὰς ὑδρίας εὑρισκόμενοι. Apud Dioscoridem κυβαρίδες καὶ ὄνοι lib. ij. cap. 37 describuntur ὑπὸ τὰς ὑδρίας ζῶα πολύποδα, σφερούμενα κατὰ τὰς ἐπαφὰς τῶν χειρῶν Animalia vt Plinius loquitur multipeda arcuatim repentia, tactuq; se contrahentia. De quibus ita Scribonius Largus: Bestiolæ multorum pedum quæ conduplicant se in orbem pillulæ rotundissimæ similem, κατοικιδίους ὄνους aut πολύποδας Græci vocant. Marcellus Empeiricus has bestiolas vocat cutiones: Cutiones inquit, bestiolæ sunt multipedes, cute duræ & solidæ, quæ tactæ complicant se in orbem pilulæ rotundissimæ, polypodas Græci appellant. Et alibi: cutiones qui in stercore nascuntur, quiq; cõtacti in globulos complicantur. Idem alibi Bestiolæ multipedes quæ in locis humidis & Sordidis nascuntur, quæq; contactæ pilulam de se faciunt. Idem author, in locis humidis &

sordidùs sub lapidibus inueniuntur bestiolæ multipedes, quæ contactu contrahuntur & rotundantur. Cælius autem Aurelianus medicus (quem ab infinitis mendis repurgatum Dalechampij eruditissimi viri & amici mei censura, perlegi) porcelliones vocat, vt adhuc porcelletos vocat Italia. Porcelliones inquit ille Chronion libr. j. Cap. 4. hoc est animalia quæ humectis & aquosis locis sæpè nascuntur, à græcis appellata oniſci. Quæ omnia curiosius adduco, vt intelligas huius, licet exigui, insecti maximum vsum esse in medicina, vel ipsorum authorum testimonio, qui ita certatim describunt. Nos galli vocamus closeporte, quæ diuersa est ab alia millepeda siue etiã centipeda dicta, quæ venenata est: ea græcis est, σκολόπενδρα de qua Plinius libr. xxix. Cap. vltimo, quam tradit etiam à græcis sæpa vocari. Non tamen ignoro Plinium in eo capite oniſcon aliter descripsisse ac cæteri omnes, cùm dixit: Millepeda, ab aliis centipeda, aut multipeda dicta, animal est è vermibus terræ pilosum, multis pedibus arcuatim repens, tactuq; contrahens se. Oniſcon græci vocant, alij tilon: efficaciter sanat aurium dolores, in cortice punici mali decoctum & porri succo. Loca si quis conferat videbit in oniſci descriptione solùm in medicinis Plinium consentire cum Dioscoride aut Galeno cæterisq; citatis authoribus. Oniſcos enim Plinij est de genere erucarum, at Dioscoridis oniſcos qui & πύαμος dictus est propter coloris similitudinem, nihil habet in figura, cum eruca conuenientiæ. Oniſcos autem quos etiam ἴσους πολυπόδας vocauit Aristoteles, quidam & ἰούλους dixerunt. Sed proprie ἴουλος est ἰούλου quem ἀμφιπάρα Nicander scribit reclamante interprete ex Aristotelis decreto. Et Lycophronis interprete qui ἰούλους μυριόποδας ſiolopendras intelligit.

DE BLATTA PISTRINARIA.

Græcè, Σίλφη: *Latinè*, *blatta*: *Hiſpanicè*, *Luſitanicè*, *rapa coua*, *rapa cona*: *Italicè*, *piattole*, *Germanicè*, Grillen & heymichen.

Enarratio xxxv.

Blatta vermis.

BLattæ, testante Plinio lib. vigesimo nono cap. vltimo, plures sunt species, quæ tamen à Dioscoride in præsenti describitur, ea est, quæ circa molas, & in pistrinis reperitur, vermis scilicet gliri admodum similis, quem nostri Hiſpani, rapa coua, vel rapa cona, quasi dicerent, scalpentem foueam appellant.

DE

D'E PVLMONE MARINO.

Græcè, πνεύμων θαλάσσιος: Latinè, pulmo marinus: Hiſpanicè, Luſitanicè, natura de vieya, capacha, de velha: Italicè, potta marina.

Enarratio XXXVI.

SVpernatant Pulmones marini, carnoſitate quadã chartilaginea, & translucida conſtantes, forma rotunda, ſuperne concaua, vt inde vulua marina ab Italis et Hiſpanis, communi voce dicatur. Ii enim ſilicea teſta incluſi, veluti oſtreæ, ſtellæ, & alij piſces, plantarum modo, ſine vllo viuunt ſenſu, vt tradit Ariſtoteles, lib. iiij. de Partibus animalium, & Plinius lib. ix. cap. 47. Præſagiunt enim pulmones marini, vt idem Plinius tradit, futuram tempeſtatem, ex quibus ſi virgæ ligneæ inungãtur, nocte tanquam accenſæ candelæ lucent. *Pulmones marini.*

DE PVLMONE SVILLO ET AGNINO VVLPIS ET VRSI.

Enarratio XXXVII.

PVlmones prædictorum animantium, facile habentur, vulpis tamen, in vſu quotidiano eſt medico, quum ex eo loch officinæ contra pectoris vitia paratum habeant.

DE IOCINORE ANIMALIVM.

Græcè, ἧπαρ: Latinè, iecur, hepar: Italicè, Hiſpanicè, figado, Italicè, fegato: Gallicè foye. Arabicè, Bedib: Germanicè: Leber.

Enarratio XXXVIII.

IEcur aſininum, quod toſtum comitiali morbo conueniat, id à tota ſubſtantia conuenire credibile eſt, quum iecur, ſanguis coagulatus eſt, craſſum præbens alimentum. Medicamẽta vero quæ comitiali morbo medentur, incidentis opus eſt, ſint facultatis, vt Galenus libro xj. de Facultatibus ſimplicium medicamentorum capite de ſanguine adnotauit. At caprinum iecur aſſatum, & ipſius ſaniem, ad eadem valere, ad quæ Dioſcorides notat, ſubſcribit Galenus lib. à nobis citato: obnoxium tamen tam caprinum *A ſininum iecur.* *Caprinũ iecur.*

prinum quàm hircinum iecur epilepticis esse, imo illo comesto, morbum irritari, ac de nouo moueri tradit Galenus quoq; lib. prædicto: Proinde qui hircinum iecur tanquam sanum laudant, animaduertant etiam atq; etiam moneo. Porro aprinum iecur, id est porci syluestris, ad ea quæ Dioscorides tradit valere, credere est: canis vero rabidi iecur, ad ea non valere quæ tradit Dioscorides testatur Galenus eodē citato libr. xj. imò omnes mortuos esse, qui eo solo vsi fuerant eodem capite confirmauit. Nec id mirum videri debet, quum ex iecore canis rabidi, venenum inter cætera veneni genera potentissimum paretur, vt ipsi nouimus. Mergi hepatis non meminit Galenus: At Paulus Aegineta lib. 7. suę medicinæ, siccum & potum calculos eiicere tradit, sed vt opinor textus ille corruptus est, quum loco earum vocum, secundas eiicit, vt scribit Dioscorides, calculos in eo legitur. Cæterum & si Galenus mergi iecoris mentionem nullam fecerit, fecit tamen de illius ventre, quum dicat: Ventrem mergi quidam commendant tanquam medicamen concoquēs, & pepticum, idq; siue protinus elixum, siue arefactū comedas. At nos id experti vanam esse promissionem comperimus, sicut sane etiam quod de interna tunica gallinarum memoriæ est proditum. Aiunt enim quidam si ea arefacta bibatur, iuuare stomachicos.

Aprinum iecur.

Mergi hepar.

Mergi venter.

Quum igitur, de iecore animalium agimus, lupinum prętermittere extra rationem erit, quū de illo hodie multi ambigunt, dubitantq;, nec sane immerito, quum Galenum in eo dubium ac fere sibi ipsi contradicentem animaduertant. Dubitant igitur, an iecur lupinum, hepaticis, id est eparmale affectum habentibus, siue in fluxu hepatico, hydrope, vel alia quauis affectione iecoris conueniat. Et quod sic, cum Galeno libr. de Compositione medicamentorum secundū locos. 8. & eiusdē numeri capite, respondent, vbi ait: Videntur autem hæc iuxta totam substantiam efficacia esse, non secundum vnam aut alteram qualitatem, quale est & lupinum hepar, cuius abunde experimentum habemus, & subdit: teritur enim exacte hepar lupinum, & datur drachma vna, cū vino aliquo dulci. Porro libro vndecimo de Facultatibus simplicium medicamentorum dictis contraria innuere videtur, quum de

Lupinum iecur.

illo

illo nullam habere experiẽtiam tradat, quum dicat: iecur lupinum sæpenumero in medicamentum indidi hepaticum, quod ex eupatorio conficitur, neq; tamen quòd mentione dignum sit, amplius præstare comperi, ad illud videlicet cõparans, quod sine ipso componitur. Hæc Galenus, in quibus nullam de iecore lupino experientiã habuisse inquit, quæ dubio procul, contraria illis à nobis citatis è libr. viij. de Compositione medicamentorum secundum locos videntur, imò sexto lib. huius citati voluminis, capite 2. tradit ipse Galenus, in compositione quadam Archigenis, oris crustis dicata. De lupino hepate non habeo quod dicam, ob quæ multi vt dixi, in hac re ambigui dubiiq; sunt, imò quod Gale. sibi ipsi contradixerit, clamant: Quibus nos pauciſsimis respondemus, & primo apud Galenum nullam esse contradictionem: fatetur enim Galenus libro. 8. κατὰτόπους lupinum iecur hepaticis conuenire, quod & vndecimo de Facult. simpl. non negat, imò si quis interius aduerterit, inueniet hoc dicere, videlicet, quòd tanta ineſt vis iecori lupino, quanta medicamento ex eupatorio pro hepaticis confecto: vel aliter respondemus Galenum nunquam de illo experimentum habuisse, quousq; locum illum, libri de Compositione medicamentorum κατὰτόπους attigit, ita enim illi euenire posse arbitramur, veluti & morbis, quibus nonnulla hodie innotescunt, quæ antea ignorabamus.

Conciliatur Galenus.

DE CERVI MASCVLI GENITALE.

Græcè, αἰδοῖον ἐλάφου: Latinè, pudendum cerui: Hiſpanicè, vergalho de ceruo: Italicè, verga del ceruo: Gallicè, verge de cerf:

Enarratio XXXIX.

NOn solum contra viperæ venenum Virga cerui valet: sed etiam vt testatur Rasis, ad colicas affectiones, & vrinæ retentionem, vel vt aliis placet, ad stimulandam venerem. Cæterum, circumfertur hodie lapillus quidem ex India ad Lusitanos primo aduectus, vt plurimum, magnitudine & figura glandis colore cineritio, ad cyaneum inclinante, multis compositus laminis, quem cerui

Virga iecur.

Lapis bezaharticus.

cerui lachrymam quidam, alijvero lapidem belzahart appellant, & illum tanquam præstantissimum ac diuinum antidotum, cõtra omne genus veneni approbant. De quo Abinzoar libro sui Theisir testatur, se illo quendam deploratũ à pernicioſissimo ingurgitato veneno liberasse, cui granorum hordei trium põdere belzaharti, in quinq; vnciis aquæ cucurbitæ propinauerat. Nam æger ille illico in auriginem icteritiam dictam deuenit, in qua bilis vigebat, pro qua infringenda ac domanda, antidotum in cucurbitæ aqua dedit. Quo vero modo lapis iste gignatur, aut vnde gignatur, non alienum erit inquirere. Glorioſus Abinzoar, eo citato loco, hunc quem modo citaturi sumus, ordinem insequitur. Nam cerui vt testatur Plinius capite 32. libri octaui, cum serpentibus habent pugnam, ita vt inuestigent cauernas, & eas narium spiritu extrahant, renitentes: quod libro xxviij. cap. 9. prope finem confirmauit, dicens: exitio iis (hoc est serpentibus) esse ceruos nemo ignorat, vt si quæ sunt extractas cauernis, mãdant. Hoc innuit Regius Propheta Dauid in psalmo, cùm dicat: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum ita anima mea desiderat ad te domine. Nam post esum serpentium, in orientalibus regionibus, vbi prægrandes reperiri solent, tunc vero ea infestus siti, ceruus præsto ad stagnantes aquas confluit, in quibus immersus, natura ita docente, velut Tantalus in mediis fluctibus, sitiens, non bibit, nam siquid aquæ deguſtaret, illico concideret mortuus: interim ad eius oculos humor defluit quidam qui paulatim crassescit, cogitur, & coagulatur, atq; in glandis magnitudinem excrescit, quem postquam ex aquis exiuit ceruus, deciduum homines quærunt, & tanquam rem pretioſissimam seruant, lachrymam cerui appellantes, vel potius lapidem belzaharticum, id est, lapidem antidotum. Hodie vero Lusitani nostri, qui ex India multa referunt, quæ hucusq; de isto tradidimus lapide fabulosa esse testantur, quum illum potius, è stomacho vel cuiusdam animalis corde extrahi, pro firmo contendant, quod ita esse certum est: quum lachryma cerui lapillus alter est, coloris mellei, latus, in pyramidem tendens, à paucis huc usq; visus, quem nos, quum hæc scribimus, ob oculos habemus & Belzaharticus dictus ad ea valẽs, ad quæ lapillus ex cor

Abinzoar.

Lapis belzaharticus ex stomacho animalis extrahitur.

ex corde vel ſtomacho animalis extractus. Datur enim ad minus pondere triũ granorum hordei, nonnunquam contra venena in oleo, vel aqua naphæ, potu, contra febres peſtilentes magno datur iuuamento in aqua nenufaris, vel acetoſæ, vel alia frigida: puerorum vermes extirpat, vigente febre, in aqua portulacæ datus, vel ſine febre in vino potus, experti ſumus, rebellem pleuritidem huius potu domari. Complet enim opus ſuum lapis iſte aliquando per vomitum, nũnunquam vero per ſeceſſum, plerunq; tamen per ſudorem. Nunc quũ hæc literis commendabamus, illuſtris Domina Beatrix à Luna, mulier opulentiſsima, Venetiis agens, lapillum vnum ex iis quos deſcribimus ab Indiæ animali extractũ à quodam nobili Luſitano, qui apud Indos Prorex fuerat, centum & triginta aureis ducatis emit: erat enim lapillus ille, vt hoc quoq; dicamus oualis ferè magnitudinis. Cæterum, non ab re quoq; eſſet, in præſenti poſtquàm de præſtãtiſsimis antidotis contra venena egimus, de vnicornio quoque memoriam facere, ſed quoniam capite de cornu cerui, de illo ſermonem facimus, ideo ſuperſedimus, lectorem ad citatum locum relegantes.

DE VNGVLIS ANIMALIVM.

Græcè, ὄνυχες: Latinè, vngulæ, vngues: Hiſpanicè, vnhas de animal: Italicè, vnghie: Arabicè, chafit, ſtes, & dalef, Gallicè, ongles.

Enarratio XL.

SVnt enim vngues animalium, ex iis medicamentis, quę paratu facillima dicuntur, præter tamen vngues aſini & captæ, de quibus Dioſcorides in præſenti agit, à Raſi ſummo Arabum medico, bouis quoq; laudantur, præſertim manuum, ad lactis euocationem, modo vſti & in cinerem redacti, in liquore aliquo, poti dentur, non minus quoque mulæ vngulæ pro ſterilitate inducenda, ab eodem commendantur. *Vngues animalium.*

DE EQVORVM LICHENIBVS SIVE CALLIS.

Græcè, λειχῆνες ἵππων: Latinè, lichenes equorum, calli

calli equorum: Italicè, porri delle gambe de i caualli: Hiſpanicè, impigenes de los caualos: Arabicè, zeide: Gallicè, cals, ou porreaux de cheual.

Enarratio XLI.

Loch equorum.

PEdum equorum lichenes, ad cuiuſuis feræ morſum quoq; valere tradit Galenus libro xj. de Facultatibus ſimplicium medicamentorum.

DE VETERVM CALCIAMENTORVM CORIO.

Græcè, καθυμάτων παλαιὰ δέρματα: Latinè, veteramenta, corium veteris calceamenti: Hiſpanicè, ſuella de zepatos viegos: Italicè, ſcarpe vecchie: Arabicè, geldalatiche: Gallicè Sauates.

Enarratio XLII.

Gattinaria hiſtoria.

FVmum veterum calciamentorum, matricis ſtrangulationibus valere, omnes vetulæ nouerunt, quo ſerpentes quoq; fugari certum eſt, de quo Marcus Gattinaria admirandam enarrat hiſtoriam, quum dicat: in agro quum quidam aperto ore dormiret, vipera per os ingreſſa eſt, quæ multis adhibitis remediis, nunquam à corpore profligari potuit, tandem ſuffumigiis ex iis veteribus calciamentis apparatis, & naribus admotis, illico vipera per anum exiuit, quæ an vera ſit hiſtoria, dubito, quum Hippocrati remedia hæc ignota non eſſe, ſciam, qui lib. v. de Morbis populariter vagantibus, ita de quodam, qui ſerpentem dormiẽdo deuorauit, & mortuus fuit, dixit: Adoleſcens (inquiens) quidam multo meraco poto, ſupinus in habitaculo quodam dormiebat, huic ſerpens arges appellatus, in os ingreſſus eſt, & ſane quum ſenſiſſet, & loqui non poſſet, dentibus ſtridit, & ſerpentem deuorauit, & dolore magno tenebatur, & manus prætenſas adhibebat, velut qui ſtrangularetur, & iactabat ſeipſum, & conuulſus mortuus eſt.

Hippocratis hiſtoria.

DE GALLINIS ET GALLIS.

Græcè, ἀλεκτρυόνες: Latinè, gallinæ: Hiſpanicè, gallinas:

linas: Italicè, galline: Arabicè, Degedi, & giaziuduch: Gallicè, poulles, & gellines: Germanicè, Hennen.

Enarratio XLIII.

SVnt proculdubio in regionibus temperatis, gallinæ, optimum gignentes succum, secus autem in frigidis, veluti apud Germanos inferiores, apud quos experientia comprobauimus, gallinas illius regionis, carnes hircinis vel caprinis duriores habere, quæ malum, & vitiosum præbent alimentum, quo fit, vt ibi raro in cibi vsum veniant. Cæterum, gallinarum esculentum ius simplex, retinendi vim possidet, veluti gallorum subducendi, vt enarrat Galenus xj. lib. de Facult. simpl. medic. capite alectorides, quod animaduersum à practicis deinceps velim, qui post exactam medicamentorum purgationem, tanquam (lauatiuum vt dicunt) nihil præter ius gallinæ purgatis bibendum porrigunt, vt purgantium medicamentorum reliquias stomacho hærentes, descendere ad intestina faciat, quod sane contrarios effectus, vtpote adstringentes, non vero abstergentes, aut lauantes inducere, ipse Galenus expertus est. Porrò ius gallorum subducendi vires habet, & eo magis si polypodio, aut mercuriali, soldanela, aut cartamo, sena vel epithimo coquatur. Pullorum tamen gallinaceorum nõdum coëuntium ius, veluti eunuchorum gallorum, optimum esse pro prædicta exequenda operatione, credendum est, quod hodie admixto

Gallina.

Gallorum ius subducendi vim habet.

Iecur gallinaceorum.

ſaccharo, pro parandis ad expulſionem humoribus, delicatioribus damus, imò eorum teſtes & iecinora, tanquàm cibum corpori multum alimenti præbentem, extenuatis concedimus. Irridendi proculdubio ſunt illi, qui gallinaceorum iecur, tanquàm nutrimentum obſtructiones gignentem, deteſtantur: quum reuera extra Galeni mentem, & veritatem ipſam loquantur. Quòd verò Dioſcorides inquit, diſſectas gallinaceorũ carnes ſerpentium morſibus ſubuenire, id omnium conſenſu, hodie melius exequitur, ſi gallinaceorum deplumato ano, venenato morſui, gallinaceos viuos apponãt, vt inde tanquam ventoſa, ipſo ano venenum attrahant: ſed hoc opus, non vna gallina tantum fieri debet, ſed pluribus: quæ in vniuerſum venenoſæ inde manent, ita vt ſi canibus poſtea dentur, ſuperſtites non maneant, ſed certo peribunt. Item irridet Galenus eos, qui interiorem tunicam ſtomachi gallinarum, tanquam ſtomachicorum præſtans iuuamentum laudant, quam tamen Dioſcorides in præſenti ſummopere valere contendit. Cæterum tradit Plinius libro xxix. cap. 4. hoc mirum videlicet, dicens: non præteribo miraculum, quanquam ad medicinã non pertinens, ſi auro liqueſcenti gallinarum membra miſceantur, conſumunt illud in ſe, ita hoc venenũ auri eſt, & ſubdit quòd ſi collo gallorum circulus vitis imponatur, deſinẽt conſuetis horis cantare, ſed hæc forſan in præſenti potius omittenda erant.

Interior tunica ſtomachi gallinarum.

DE OVIS.

Græcè, ὠὰ: Latinè, oua: Hiſpanicè, hueuos, ouos: Italicè, vuoua: Arabicè, naid, beid, & Baid: Gallicè, œufs: Germanicè, Ey.

Enarratio XLIIII.

Candidũ oui.

OVum ex multis habetur altilibus: gallinarum tamen Dioſcorides in præſenti proſequitur, in quo album & luteum includitur: ex albo pullus gignitur: ex luteo vero nutritur, vt experientia quotidiana indicat, & Ariſtoteles ſcripſit lib. vj. de Natura animalium, cap. 3. quanquam Hippocrates, libro de Natura pueri prope finem, potius ex luteo generari, & ex albo nutriri contendat. Cæterum candidum oui frigidum eſt, ex quo & gyſo

mixtis,

mixtis, frons illita, narium sanguinis fluxus cohibetur. Hippocrates quoq; lib. iij. de Morbis cap. 20. quo frigefactoriæ potiones, contra ardentes febres describuntur, ita de candido oui tradit: ouorum trium aut quatuor, candidum in aquæ congio concussum bibat, hoc valde frigefacit, & ægrum ad aluum exonerandam cõturbat, eo quoq; mulierum facies poliuntur, & vulnera recentia curantur, non minus quoq; intestinorum vlcera ex eo & tracaganthο gummi, amilóue, ad cicatricẽ in dysentericis, modo per clysteres iniiciantur, reducuntur. Vitellus vero oui, fundamentũ digestiui vnguenti dicti est, quo passim chirurgici, vulnera, & vlcera sordida, rubra & ad statum sanitatis prope reducunt. Conficitur enim vnguẽtum hoc, digestiuum dictum, ex vitello oui, oleo rosaceo, & terebinthina, cui modo abstergere quoq; velis, addere possis, mellis rosacei colati portiunculam, vt alia plura præteream. Fit quoq; ex vitello oui, venenum irremediabile, quod subticere satius erit: non minus quoq; ex oui vitello, oleum conficitur, quo mulieres pro facie polienda passim vtuntur, & eo quoq; chirurgici insignieres, in vulneribus capitis, vbi cerebri meninges sunt affectæ, vtuntur. Cætera verò quæ de ouo traduntur, Galenus præ cæteris melius lib. iij. de Alimentorum facultatibus, memoriæ scripta reliquit, quæ ita habent, cap. xxij. gallinarum & phasianorum oua, omnibus sunt præstatiora: deteriora autem anserum & struthocamelorum: porro quę oua dicuntur tremula, ad nutriendum, omnium sunt præstantissima: sorbilia autem minus quidem nutriunt, sed subducuntur facilius, & pharyngis asperitates læuigãt, cocta vero, & ad coquendum sunt difficilia, & tardi transitus, corporiq; crassius alimentum largiuntur: his autem tardius permeant, & crassioris sunt succi, quæ in calidis assantur cineribus: quæ vero in sartagine sunt inspissata, pessimum habent modis omnibus alimentum. Porro quę suffocata appellant, sunt elixis atq; assis meliora, parãtur autem ad hunc modũ, vbi enim ipsa oleo & garo, & pauco vino conspersa fuerint, vas quo cõtinentur, cacabo aquam calidam habenti indunt, deinde vbi ipsum totum supernè obturarint, ignem substruunt, quo ad oua mediocrẽ consistentiam sortiantur. Cæterum, hic adnotare est, quòd

Vitellus oui.

oleum ex vitello oui

oua non ſemper gallinis ſubmittuntur, vt ex illis pulli gignantur, quum in terris frigidis, & regionibus nimis calidis, ſtercore obrutis ouis, aut furno tepente immiſsis, intra viginti dies, pulli naſcuntur, vt Conſtantinus Imperator in libro de Agricultura docuit. Non minus quoq; te ſcire decet, quòd vt oua recentia in Europa, antiquis meliora ſunt, ita apud gẽtes Bengallos Indiæ, niſi putrida aut in pullos ferè redacta fuerint, in cibi vſum nõ admittuntur, tantum enim recentia oua apud illos odio & contemptui habentur. Cæterum, ouum ſymmetro temperie frigidius eſt, cuius naturæ & ipſe vitellus eſt, vt refert Galenus lib. xj. de Facult. ſimpl. medic. erit igitur ouum frigidum in primo gradu, in quo & vitellus reponi debet.

Ouum frigidum in primo.

CONSTANTINVS.

OVorum apud medicos differentia eſt: ὦα ἁπαλὰ ἢ τρόμητὰ oua mollia & tremula, ῥοφητὰ Sorbilia: ἀυγοκηλικὰ Setho, ταγηνιστὰ Frixa, πνικτὰ Suffocata, Setho ἐξέφθα in aqua cocta, σκληρὰ dura. ἐφθὰ καὶ ὀπτὰ cocta & aſſa, de quibus Galenus libro iij. de Alimentis.

DE CICADIS.

Græcè, τέττιγες: Latinè, cicadæ: Hiſpanicè, ciguattregas: Italicè, cicala: Gallicè, cigale: Germanicè, Hevuſchreck.

Enarratio XLV.

CIcadæ cantatrices, notiſsimæ ſunt, de quibus legito Galenum libro vndecimo de Facultatibus ſimplicium medicamentorum.

DE LOCVSTIS.

Græcè, ἀκρίδες: Latinè, locuſtæ: Hiſpanicè, lagoſtas de tierra, gafanhotes grandes: Italicè, caualletti, ſaltelli, ſaiuppi: Gallicè, ſauterelles.

Enarratio XLVI.

Locuſta terreſtris.

LOcuſta terreſtris, animal notum eſt, & ſegetibus, ac fructibus maleficũ, quo non ſolũ Scythæ, ſed Aphricæ Iudæi etiã, in Lepti, ciuitate Cepta hodie dicta, & aliis variis locis veſcuntur. Hæc enim locuſta eſt, quam Diuus

Ioannes

Ioannes Baptista, quum in deserto esset, in victus vsum accipiebat, non vero herba raponeolus, quã locustã nonnulli appellant, neq; herbarum summitates quas Græci ἀκρίδας * vocant, sed de raponeolis, quum de rapis sermonem fecerimus verbum vnum vel alterum attingemus, de locusta vero animali plura apud Plinium legito.

CONSTANTINVS.

NVllus Græcorum, quod sciam, summitates herbarum ἀκρίδας vocauit sed potius nomine communi ἄκρα ἢ ἄκρα vt germina ἀκρεμόνας, βλαστήμας ἢ κυήμας vel κύμας. Sed Cymæ propriè de caulibus summitatibusq; cauliculorum brassicæ. Cymata etiam dixit Columella & ad aliarum plantarum summitates transferri potest: vt rapicia de rapis dixit Pli. li. xviij. cap. 13.

DE OSSIFRAGO AVE.

Græcè, φλὺς ἢ φῖνς: Latinè, ossifragus, aquila barbata: Hispanicè, quebranta vesso aue: secundum Albertum, auis ossifraga: Italicè, agroti dicitur, Gallicè, ossraye.

Enaratio. XLVII.

VAria de ossifraga aue referũtur. Nam Plinius lib. x. cap. 3. ossifragã, aquilæ halieti id est marinæ dictæ, filium esse tradit, dicens: halieti suum genus non habent, sed ex diuerso aquilarum coitu nascuntur, id quidẽ quod ex iis natum est, in ossifragi genus abit. Aristoteles verò lib. 9. de Natura animaliũ cap. 32. & 34. ossifragam auem aquilæ similem facit, & benignam, quæ non solum suos nutricat pullos sed optime etiã aquilæ, solet enim aquila *Ossifraga aua.*

ſuos pullos, cogente fame, adhuc parentis operam deſiderantes nec volandi adeptos facultatē, è nido mittere, quos oſsifraga benigne recipit, & tuetur, ac alit, dum quantum ſatis ſit adoleſcant, parū hæc oculis valet, nubecula enim oculos habet læſos. Albertus verò cognomento Magnus, longe aliam de oſsifraga ſententiam profert, inquit enim, oſsifragum auem aquaticam cygno maiorem eſſe, roſtro oblongo, ſed inferiori parte, adeo amplo, vt ſaccum quis, eius collum diceret. Hanc verò auem ſemel apud Belgas me vidiſſe recordor, pro qua educanda vetula quædam à Carolo Quinto Imperatore, ſingulis diebus, tres ſtuferos accipiebat, poſtea vero Ferrariæ alteram emortuā vidimus apud Ioannem Baptiſtam Cananum, anatomicū inſignem, & amicum ſingularem, ſed vt audio apud Senenſes auis hæc familiariſsima eſt: cæterum, non deſunt quidam, qui oſsifragum ab oſsifraga differre ſpecie dicant.

Albertus.

DE GALERITA.

Græcè, κορυδαλὸς: Latinè, galerita, alauda: Hiſpanicè, cucuyada: Luſitanicè, cotovia: Italicè, lodola, capellina: Arabicè, hanabroch: Gallicè, cocheuis, ou Alouette: Germanicè, vvalt herch.

Enarratio XLVIII.

Galerita auis.

GAlerita auis puſilla eſt, cuius duo genera, apud Ariſtotelem lib. 9. de natura animaliū, cap. 25. referuntur: Alterum terrenum, criſtatum, galerita, à criſta ex plumis in capite eleuata, appellatū, auis nobis in itinere plerunq; obuia, vermes & ſemina herbarum quærens, & quæ ex auiculis prima, ver pronunciat, & eam Luſitani noſtri à cantu ſuo, cutuuia, appellant, ita enim nomen hoc, auis hæc referre videtur, quam Dioſcorides in præſenti intelligit: Alterum verò genus gregale, nec ſingulare, more alterius, verum colore ſimile, quanquam magnitudine minus, & galero carens, cibo verò idoneum: eſt verò auicula hæc ex iis quæ optimè canunt, ita vt cum luſciniola certare de ſuauitate concentus dicatur, quam cōmuni voce, calandram omnes fere nominant, & de ea Galenus lib. xj. de Facultatibus ſimplicium medicamētorum agit, vbi vt

Calandra auicula.

in

in antiquo exemplari Græco legitur, passeribus qui pytgitæ appellãtur, similis est, sed & crista secernitur, & paulò maior est ipsis. Cæterum est & herba corydalis appellata, quam quoq; colicis multum valere Galenus ibidem testatur. Troglodytes verò, iuxta sepes & muros victum quæritans, longe alius est passerculus, qui nephriticis, & vesicæ calculo laborantibus vnice prodest, vt apud Aëtium legere est, vndecimo sermone suæ medicinæ, capite 9. quo ita legitur: Est autem passerculus minimus iuxta sepes, & muros victum quęritans, estque hoc animalculũ omnium auicularum minimum, ea excepta quæ regulus appellatur, similis est autem regulo in multis, præter quam quòd in fronte auricolores pennas non habet. Est etiam troglodytes, passer regulo paulò maior, & nigrior caudamque semper subrectam & albo colore, retro interpunctam habet. Magis item garrulus quàm regulus est, & sane iuxta summum alæ lineamentum cinerei amplius coloris, breues item volatus facit. *Troglodytes.*

DE HIRVNDINE.

Græcè, χελιδὼν: *Latinè*, *hirundo auis*: *Hispanicè*, *golandria*, *andorinha*: *Italicè*, *rondinella*, *rondine*, *Arabicè*, *thartaf*, *chatas*, *chataf*: *Gallicè*, *arondelle*: *Germanicè*, Schuualb.

Enarratio XLIX.

HIrundine nulla est nobis magis domestica auis, vt quæ in domibus nostris nidificat, cuius pullos sæpe dissecui, & lapillos in eorum stomachis inueni, magnitudine milij granorum, colore verò ad cyaneum declinantes. Verum hoc tempore practici, pro angina curanda discutiendáve emplastrum ex nido hirundinis collo imponunt, non sine magno & euidenti iuuamento, quanquam non desint aliqui, qui quum nidum ex terra & paleis compositum animaduertant, rebus, vt apparet, stypticis, illius admotionem timent, verentúrve ne forsan sua stypticitate, materiam intus retrocedere faciat: quo fit, solo nidi decocto, in quo cæterę res anginam discutientes miscentur, tantum vtantur: Sed reuera falluntur, quum omnia in hirundinis nido cõtenta, potius discutiendi vim, quàm con- *Hirundo.* *Emplastrũ ex nido hirundinũ.*

ſtrictoriam aliquã habeant. Priſci tamen omnes non uido aut aqua in qua incoquitur nidus, pro diſcutienda angina vtebantur: ſed potius, crematarum hirundinum cinere, quem deinceps vtinã medici pro extirpandis & remouendis anginis in vſum traherẽt medicũ. Curent igitur pharmacopolæ, pyxidẽ huius cineris plenã cõtinuo in apothecis ſuis habere, quum maximi ſit profectus & iuuamenti.

Cinis crematarum hirundinũ

DE EBORE.

Græcè, ἐλέφας: Latinè, ebur, dens elephantis: Hiſpanicè, marfil: Italicè, auorio: Gallicè, yuoire: Germanicè, Helffantin.

Enarratio L.

LOngum profecto eſſet hic de elephanto ſermonem habere, nec minus ſuperfluũ huius animalis effigiẽ, naturam ac mores deſcribere, præſertim quum Plinius ea omnia exacte depinxerit lib. viij. ſuæ Naturalis hiſtoriæ. Affertur enim animal hoc ſæpe ex India ad Luſitanos, cuius admirandæ magnitudinis dentes ebur dicuntur, & ex illis pectines, ſcutulæ, vaſcula, ac ſpeculorum circuli parantur. Valet enim eboris ſcobes, vt experientia comprobauimus, morbo regio laborantibus. Datur verò ventriculo vacuo, nonnunquã drachmæ vnius pondere, vbi non eſt febris, in vino: Secus verò in aqua cicoreæ & lupulorum. Confert quoque medicamen hoc diuturnis obſtructionibus, & remouet inſuper ſtomachi dolores: Vſus præterea ipſius in potu, mulieres ad concipiendum fœtum aptiſsimas reddit.

Ebur dens Elephãti.

DE SVIS TALO.

Græcè, ἀστράγαλος ὑὸς: Latinè, talus, porci talus, ſuis talus: Hiſpanicè, torniznelo de pie del puerco: Italicè, talone del porco, oſſo de la cauichia del porco, Gallicè, talon de pourceau.

Enarratio LI.

TAlus os pedis eſt, quod cruri inſeritur, & illud multi, cauilham alij verò os baliſtæ appellãt, falſo multi eum malleolum nominant.

Talus à malleolo differt.

DE

DE CORNV CERVI.

Græcè, ἐλάφου κέρας: *Latinè*, *cornu ceruinum*: *Hispanicè*, *cuerno de cieruo*, *punta de cieruo*: *Italicè*, *corno de ceruo*: *Gallicè*, *corne de cerf*: *Germanicè*, hirtz horn.

Enarratio LII.

COrnu cerui, præter tam multa ad quæ crematum Dioscorides valere tradit, hodie contra puerorum vermes passim datur, tum per se, tum quoque ad mixtum semini santonico, cum aqua portulacæ, vel decocto coriandri, vbi præsertim febris fuerit complicata, secus autem cum vino aut melle. De osse porro cordis ceruini quid in præsenti dicemus? quum præstãtissimum antidotum contra venenum & febres pestillentes sit: eius tamen loco pigmentarij os bubulum tradant, subtile & flexibile, quod ex capite bouis extrahunt, vt apud Venetos plerunq; id fieri percepi: plectendi merito balatrones isti sunt, omnium rerum peruersores, qui quum falsa & adulterina omnia reddant, nigrum pro albo vendentes, sic in hoc osse, quod facillime, & paucis nummis emere poterant, ne absq; fraude prætereant, mores suos exercent. Cæterum de cornu monocerotis, id est animalis, vnicornis dicti, nonnulla in præsenti dicemus, quum cornu hoc exoticum & pretiosissimum sit, & contra quoduis venenum efficax antidotum. Depinxit autem Plinius monocerotem, ferocissimum animal, libro octauo capite 21. sic dicens: Asperrimam autem feram monocerotem, reliquo corpore equo similem, capite ceruo, pedibus elephantho, cauda apro, mugitu graui, vno cornu nigro media fronte, cubitorum duum eminente, hanc feram viuam negãt capi. Hæc Plinius. qui de illius cornu viribus nihil quicquam memoriæ tradidit: At Albertus Magnus, libro vigesimosecundo, de Animalibus, monocerotem ab vnicornu differentem facere videtur, cui vtpote erranti non accedimus, quia monoceros animal, vnicornis, vt eius indicat etymon dicatur: sed rhinoceros animal, omnium consensu, differens ab vnicorne est, quod anno quinto-decimo supra millesimum quingentesimum, vniuersa

Cornu cerui.

Os cordis ceruini.

Vnicornium efficax antidotum.

Olyssippona, magno omnium applausu vidit, non nisi ex India ad Emanuelem regem inuictissimum Lusitanorum aduectum, & illud postea cum nonnullis elephantibus, potentissimus rex ille ad Summum pontificem, tanquam spectaculum admirandū misit, sed naufragio prope Massiliam amissa nauis, in mari fera periit, cuius corium ad Franciscum Regem Galliarum vt rem visu dignam accolæ attulere. Erat enim bellua hæc, figura & magnitudine bouis, latior tamen, mitis omnino, quæ conchis quibusdam variegatis per vniuersum corpus vestiebatur. Nam supra nares cornu semicubitale, carneā referens substantiam habebat, vnde rhinocerontis nomē illi inditum est, animal in vniuersum à monocerote, vnicorne dicto differens. Quale verò animal hoc vnicornis sit, præter ea quæ ex Plinio accepimus, nihil quicquam habemus: nec Lusitani nostri qui interiora Indiæ penetrarūt, de animali hoc aliquid nobis referre norunt: fatentur tamen apud Indiæ reges, cornu vnicornis, siue monocerotis, in maximo esse pretio, imò Medici Lusitani nostri, qui diu apud Indos artem medicam exercuerunt, & ad nos reuersi sunt, dicere solent, nullum apud Indos validius aut potentius antidotum, contra venenum & febres pestilentiales reperiri hoc cornu vnicornis, de quo & nos cū pluribus celeberrimis medicis, tam Hispaniæ quàm Italiæ, sententiam ferre possumus, quum illius scobē, scriptuli quantitate, in oleo contra epotum arsenicum dederimus, & per vomitum totum reiectum fuerit, & æger liber, & ab orci faucibus ereptus manserit. Datur quoq; in aquæ naphæ pro irritando vomitu, non minus in aqua nenupharis cōtra pestem, veluti in aqua acetosæ, vel quauis alia frigida, pueris vermibus vexatis in aqua graminis, vel vino, aut præsente febre, in aqua portulacæ, aut aqua decoctionis coriandri, trium granorum hordei pondere, certo datur iuuamento: complet autem opus suum plerunq; vomitu, aliquādo sudore, nonnunquā verò secessu. Hodie vero in ærario diui Marci Venetiis duo reconduntur cornua brachiali crassitudine, longitudine bicubitali pretij inæstimabilis, quæ semel in anno, Ascensionis die, cum pluribus & variis pretiosissimis rebus, omnibus palam ostenduntur. Eligendus verò est in isto cornu color niger, vel saltē subcineritius.

Item

Item curandũ ne nimis vetus cornu sit, quum dubio procul vires suas senio confectũ amittat, vt de metallis quoq; vetustis Galenus lib. j. de Compositione medicamẽtorum secundum locos innuit. Caueto tamen in eius electione, ne decipiamini, quum multi ex calce & aliis variis rebus, mixturam, ad formam cornu redactam, pro cornu monocerotis monstrent: alij verò balenæ os pro eo vendãt: Nec aures præbeatis illis, qui quum cornu vnicornis esse probare nituntur, in aquam ramentũ, aut scobem infundunt, quam illico sudare, aut in ebulitionem venire dictitant, quum illud ex quacunq; ossis scobe in aqua infusa, euenire percipere possitis, vt in ebore experire poteritis. Dignoscetis igitur verum vnicornis cornu hoc pacto: duos apprehendetis catulos, vel pullos, quibus venenũ aliquod in aqua vel vino dabitis. Alteri quorum scobem siue ramentum illius cornu, quod experiri volueritis, æquali vel maiori pondere, veneni illius quod antea dederatis: alteri verò non dabitis: Si verò cornu verum & legitimũ fuerit, ac veri vnicornis, dubio procul, catulus vel pullus cui ramentum alexipharmacũ dediſti, non morietur, alter verò omnino peribit: Ita enim Venetiis anno elapso periculum feci, de quodam cornu, libras duas ponderante, in duobus pullis columbinis, pro quo mercator duo millia ducatorum petebat, quibus arsenicum præbuimus, quorũ vnus, qui alexipharmacum non ebiberat, intra horã obiuit: alter verò qui ebiberat, quinq; superuixit horis, vnde iudicauimus cornu optimum & verum esse, nam arsenicum, corrodit, cuius venenum, pauca vel nulla antidota emendant, imò certi eramus, si homini datum esset, quòd liber euasisset quum patentiores vias habeat, per quas extrudi venenũ, aut vomitu, aut secessũ, aut sudore possit. Ab hoc verò experimento, Magnificus Bartholomæus Panciaticus, nobilis Florentinorum mercator, Florentiã cornu hoc, vt illustrissimo Duci, tanquam rem pretiosissimam, ac raram indicaret, secum adduxit: cui consului, vt illic cornu, in duobus hominibus suspendio paratis, experiretur. Cæterum, fertur, quum inopia aquarum, ad paucos amnes feræ in confinibus Indiæ se congregent, earum nullam prius ebibere velle, quousq; vnicornis aquas, suo cornu è venenatis salubres attingendo reddat, vnde argumentum

Nota veri vnicorni.

mentum desumptum est, contra venena valere.

DE ERVCA ANIMALI.

Græcè, κάμπη: Latinè, eruca: Hispanicè, Italicè, bruchi: Arabicè, riapsa: Gallicè, chenilles: Germanicè, Raup.

Enarratio LIII.

Eruca vermis.

ERuca vermis dirus olera erodens est, de quo Plinius libro vndecimo, capite trigesimo optimo breuiter sed confuse locutus fuit, quæ ex Aristotele mutuatus est, libro quinto de Natura animalium, capite decimonono, & ea de causa Aristotelem in præsenti adducamus, qui clare vt solet, ita loquitur: Nascuntur papiliones ex erucis, erucæ ex virentibus foliis maximeq; ex brassica: primum minus quid milio consistit in folio, mox vermiculi inde contrahuntur & accrescunt, tum intra triduum eruculæ afformantur, quę auctæ motu cessant, suaq; forma immutantur, appellanturq; tantisper chrysalides quasi aurelias dixeris: duro intectæ putamine sunt, ad tactum mobiles, meatibus araneosis obductæ, non os, non aliud ex membris, quod conspicuum sit, possident, longo post tempore, putamine abrupto euolant inde animalia pennigera, quos papiliones vocamus: itaq; primum dum erucæ sunt, cibo aluntur, atq; excrementum emittunt, at vero cùm in aurelias dictas transierint, nihil vel gustant, vel excernunt. & subdit: Fit ex quodam verme grandiore, qui veluti cornua gemina protendit, suiq; generis est, primum toto immutato, eruca, deinde quæ bombyx appellatur, ex quo necydalus, in validam, quæ varia formarum successio in semestri temporis spatio completur: ex hoc animalis genere bombycina illa, mulieres nonnullæ retorquendo in filum deducunt, deinde texunt, prima texisse in Co insula Pamphila Latoi filia dicitur. Hæc Aristoteles: in quorum vltimis verbis, bombyces sericeos effigiare visus est.

Aristoteles bombyces sericeos nouit.

DE CANTHARIDIBVS, BVPRESTIDIBVS ET PICEARVM ERVCIS.

Græcè,

Græcè, κανθαρίδες: *Latinè*, *cantharides*: *Italicè*, *Hispanicè*, *cantarides*, *cantarelle*: *Gallicè*, *cantharides*: *Arabicè Dherarie*, *cararihа*: *Germanicè*, Goldt keffer

BVPRESTIDES.

Græcè, βουπρῆστις: *Latinè*, *Bupreſtes*: *Hiſpanicè*, *Arebenta buei*, *vaqua loura*: *Italicè*, *bupreſti*: *Arabicè*, *Xoſoſtis*: *Germanicè*: Qualſter.

PICEARVM ERVCAE.

Græcè, πιτυοκάμπαι: *Latinè*, *erucæ picearum*: *Hiſpanicè*, *guſanos del pino*: *Italicè*, *bruchi de i pini*: *Arabicè*, *pytoriapſa*: *Germanicè*, Soltzvvurm.

Enarratio LIIII.

CAntharis, muſcarum effigie animal eſt, nocte tanquam ignis lucens, quod officinæ hodie ſub eodem nomine ad ciendas veſicas ſeruant, cui, an pedes, pennæ, & caput in eius exhibitione abiicienda ſint, antiquiſsima quæſtio eſt, dicente Plinio, libro vigeſimonono, capite quarto prope finem: Ipſarum cantharidum venenum, in qua parte ſit, non conſtat inter authores; alij in pedibus & capite exiſtimant eſſe: alij negant, Conuenit tantum pennas earum auxiliari in quacunq; parte ſit venenum, quod Dioſcorides quoque in præſenti confirmat, dicens: Retulerunt pleriq; etiam potarum cantharidum maleficio aduerſare remedioq; eſſe eiuſdem animalis alas & pedes, cui ſententiæ Hippocrates totus contrarius videtur, quum cantharides abſq; alis & capite, imo & pedibus concedit, vt apud ipſum eſt legere libro de Internis affectionibus, in regij ſiue arquati morbi dicti curatione, ita enim eo loco eius leguntur verba: Exhibeto & cantharides, ſine alis, & capite quatuor tritas, & in vini albi hemina dimidia dilutas, modico etiam melle affuſo, atque has bis aut ter in die bibat: libro quoq; de Natura muliebri, non longe à principio, idem ita inquit: cantharides quatuor bibat, pedibus, & alis, ac capite reiectis, & folio ſequenti vbi potiones & ſubditicia medicamenta, ſecun-

Venenum in cantharidibus qua parte.

Hippocrates.

das

das & menſes educentia deſcribit, ita retulit: Cantharides quinq; auulſis alis & pedibus ac capite, deinde tribolos ad mare naſcentes bibat, & cætera. Sed vt cæteros omnes prætereã locos, quarto de Ratione victus in morbis acutis, ipſemet Hippocrates textu 124. ita concludit, dicens: poculum hydropi, cantharides tres, abiectis ſingularum tum capite, tum pedibus, tum alis, in cyathis aquæ tribus terantur, atq; quum bibens laborauerit, calido perfundatur, vngatur prius, ieiunus bibat. Iis omnibus Galenus, tanquam certiſsimus experientiæ author, & naturę ſecretorum inueſtigator diligentiſsimus opponitur, confirmans cantharides non niſi integras propinandas eſſe, vt ex enarratione prædicti textus facile quis percipere poterit, & multo clarius libro vndecimo de Facultatibus ſimplicium medicamentorum vbi inquit: cum idoneis empiaſtris impoſitæ, adeo ſcabros vngues educunt, vt toti cadant: Cæterum præceptorum meorũ quidam earum nonnihil ſolet diureticis medicamẽtis iniicere: at nonnulli ſolas alas & pedes iniiciunt, alij contra: Cæterum nos totas indimus. Porro aptiores ſunt ex cantharides, quæ inuentæ in frumento, lutea tranſuerſim in alis cingula obtinent. An vero cantharides in potu prolotio euocando dandæ ſint, non mediocre dubium eſt, quum Plinius, citato loco dicat: Cantharides diximus, ſed in iis magna quæſtio, quoniam ipſæ venena ſunt potæ, veſicæ cum cruciatu præcipuo: & vltra Coſsinum quendam equitem Romanum amicitia Neronis principis notum, cùm is lichene correptus eſſet, vocatus ex Aegypto medicus ad hanc valetudinem eius à Cæſare, cùm cantharidum potum præparare voluiſſet interemit. Galenus porro, vt legitis, paucis ab hinc interpoſitis lineis, præceptoris ſui authoritate, earum nonnihil diureticis medicamentis iniici meminit. Conſulo tamen ipſe, ne quis audax in cantharidum exhibitione ſit, quum venenoſæ tam integræ quàm ſecundum partes ſint, vt experientia compertum habemus. Audiuimus enim nos, & vidit doctiſsimus ac maximus medicamentorum explorator Antonius Muſa Braſauola, quendam cui pharmacum datum fuerat, paratum in mortario, vbi antea cantharides piſtæ fuerunt, & totus excoriatus à faucibus ad anum vſq; euaſit.

Galenus cõtra Hip.

Cantharides integræ dandæ ſunt.

Cantharides an ſint dandæ in potu.

sit. Efficacissimæ autem omnium cantharidum habẽtur, quæ in fraxino nascuntur. Bupresti verò vt placet Dioscoridi, cantharidum genus est, virtute scilicet, secus autem figura, quum vermis digitalis sit longitudinis ruber, multis & nigris maculis pictus, & vt tradit Plinius libro trigesimo capite quarto : Animal in Italia rarum simillimum scarabæo longipedi, fallit inter herbas, bouem maxime, vnde & nomen inuenit, quod hucusq; Lusitani seruarunt, rumpentem bouem appellantes, deuoratum enim tacto felle, ita inflammat, vt rumpat: hæc cum hircino seuo illita lichenas ex facie tollit, synectica vi vt dictum supra est. At erucæ piceārum, vbi arbores pineæ sunt, reperiuntur. *Bupresti.*

DE SALAMANDRA.

Græcè, σαλαμάνδρα : Latinè, Salamandra: Hispanicè, Salamantegua : Italicè, ſalamandra: Gallicè, Salamandre: Germ. Molch oder olm.

Enarratio I V.

SAlamandra in aquis hodie potissimũ reperitur, animal venenosum, lacertæ magnitudine, subnigrum, de quo falsum fertur, in igne non cremari, vt Dioscorides in præsenti adnotat, & Galenus libris de Temperamentis illi subscribit, dicens: In igne aliquandiu incolumem viuere posse, sed si diutius in eo manserit, non secus ac alias res comburi, *Salamandra comburitur.*

comburi, id quod nos verum esse comprobauimus, Salamandram in igne iniicientes.

CONSTANTINVS.

Theophrastus de signis pluuiæ ostendit σαύραν etiam Salamandram significare, cùm dixit σαύρα ἣν καλοῦσι σαλαμάνδραν: de hac præter Aristotelem Aelianum & Nicandrum in Ther. & Alexiph. loquitur Plinius lib. 10. Cap. 67.

DE ARANEIS.

Græcè, ἀράχνη: Latinè, Araneus: Hispanicè, arana: Italicè ragni: Arabicè, hamdebut, & hanchebut: Gallicè, areigne: Germanicè, Spinn.

Enarratio LVI.

Araneorũ pluria genera.

ARaneorum plura sunt genera, ex quibus altera sunt venenosa, altera, veneno carentia, de quibus hoc loco Dioscorides intelligit. Ex venenosis vero phalangium est, cuius vna species, tarantola, à ciuitate Taranto hodie dicta, in qua, ditionis Regni Neapolitani frequens est, dicitur: ex cuius morsu mira sed non dictu falsa subsequuntur symptomata, quæ pati videmus huius animalis ictu percussos. Nam quidam plorant: alij rident, alij vlulant, alij stridٍent, alij saltant, quidam vero canunt, nonnulli tremunt, sed & alij dormiunt, alij vigilant, alij sudant, alij gestiunt, taliter vt demone ipsos correptos diceres. Quæ symptomatum varietas, à varia huius animalis natura euenire creditur, tametsi non desint aliqui qui potius ad dierum & horarum varietatem, in quibus animal hoc momordit reiiciant, sed omnium rationum hæc vincit admiratio, quòd huius animalis venenum, veneficiúmve, sono cuiusuis instrumenti musices mitigetur ac superetur, ita vt morsi, interim dum sonoram vocem illam audiant, coërcitum ac victum morbum, siue affectionem illam habeant, & tanquam liberi ac sani sint redditi: At si musicus instrumentum desinat pulsare, derepente ad symptomata redeunt prima, sed curatio, interim dum musices melodia viget, conficitur, theriacam, vel mithridaticum illis propinando, quousq; omnino ab affectione leuati sint. Cæterum Galenus de Theriaca ad Pisonem libro, vbi Democritum Damasippi filium & Epicurum

eurum philosophos redarguit, quia principium rerum omnium, Indiuiduum atq; Vacuum, Inaneq; esse opinabantur, nō minusq; Asclepiadē medicum dictis adiiciens, qui vt cæteri opinabatur, permutatis tamen nominibus, vt pro indiuiduo corpuscula, pro vacuo meatus dicat, refert, quis namq; artes ab animalculo araneo factas inspiciens non credit, etiam telam per dilucida adeo tenūi atq; fila parari, vt etiam aliqui dicant, texendi artem homines primum ipsi referre acceptā. Hanc verò araneorū telam, pro vulnerum sistendo sanguine, valere omnes norunt.

DE LACERTA.

Græcè, Σαῦρα: *Latinè*, *lacerta*: *Hispanicè*, *lagartixa*: *Italicè*, *lucertola*: *Gallicè*, *lesarde*: *Ger.* Heidex.

Enarratio LVII.

SVnt lacertarum plures species, oua, veluti serpentes, parientes omnes: alia parua, domorum parietibus & muris familiaris: alia maior, inter saxa viuens, quæ cum serpētibus, hoc est colubris, bellū habet, de quibus duabus Dioscorides intelligit: quia harum caput, palos, surculos, & corpori infixa spicula extrahit, præsertim contusum & loco admotum. Altera vero species maxima est, insulæ sancti Thomæ, æquinoctiali subiacenti admodum familiaris, veluti apud insulam Caprariam, alteram Fortunatarum: apud quas animalia hæc ingentis magnitudinis cernuntur, pro quibus interficiendis, bombarda, vel sclopettis aliisq; bellicis tormentis opus est. Sed has potius forsan inter crocodilos reponendas putarem, quia à crocodilis aquaticis nihil quicquam differāt. Cæterum stercus lacertæ, in vsu medico habetur, præsertim pro delendis oculorum nebulis, vt docti norunt medici, chirurgicive.

Lacertarū species.

Stercus lacertæ.

DE LACERTA, QVAE DICITVR SEPS.

Græcè, σαύρα: *Latinè*, *seps*, *Chalcidica lacerta*: *Hispanicè*, *salta rostro.*

Seps quid sit.

Enarratio LVIII.

SEps vt Dioscoridi & Nicandro placet, Chalcidica lacerta est, & illa quidē venenosa, parua variis coloribus depicta, muris & parietibus ferè semper adhærens, quam nostri Hispani timent, quia sæpe in hominum faciem saltat, & ea de causa illam sua voce, facie saltantem appellant: Romani verò, quia sub terra longo tempore anni permanet, eam terrantolam nominant. At Aëtius lib. xiij. cap. xxvj. longe aliud animal, per sepem intelligit, quum dicat: serpens qui seps appellatur, longitudine quidem duorum cubitorum reperitur, ex crasso autem in tenuem abit, recta verò ac tarde proserpit, caput habet latum, os acutum, vniuersum autem corpus multis albis notis respersum, & cætera.

DE SCINCO.

Græcè, σκίγκος: Latinè, scincus, terrestris crocodilus: Hispanicè, stinco: Italicè, stinco: Arabicè, Aschanchur. v. Schanchur.

Scincus.

Enarratio LIX.

SCincus tametsi à Dioscoride terrestris appelletur crocodilus, verus tamē hodie ex Nilo adfertur, quem officinæ stincum aut stingum vocant, lacertæ magnitudine, figura crocodili, cuius carnes renibus propinquas passim in electuariis venerem irritantibus immittuntur. Porrò illius

illius loco Venetiis, ſpecies quædam in lacubus vicinis naſcens venditur: minor tamen, & viribus ignauior. De crocodilo verò, quid dicturi ſumus, quum non ſolum in Nilo, ſed variis aliis locis reperiatur, animal quadrupes hominibus infeſtiſsimum, vt noſtri nouere caſtellani, qui in Perù terram nouam adnauigarunt. Veluti Luſitani noſtri quoq; in inſula ſancti Thomæ quotidie experiuntur, non ſine tamen eorũ magna iactura, vbi non ſolum quindecim cubitorum, vt Ariſtoteles ſed decem & octo, vt tradit Plinius, aliquando viſus fuit. Cauſam verò referre, cur crocodilus ſuperiorem maxillam mobilem habet, inferiorem vero immobilem, anatomici viri eſt, quum id oſsium in ſtructura, compaginéve eueniat, quæ contrario modo quàm in aliis animalibus connectuntur, vt anno ſuperiori Ferrariæ, quum caput crocodili diſſecuiſſet Ioannes Baptiſta Cananus, amicus noſter integerrimus, vir hac ætate cum ipſo Veſalio facile conferendus, percepimus. At cætera de crocodilo apud Plinium legito. Crocodilus

DE LVMBRICIS TERRESTRIBVS.

Græcè, τὰ τῆς γῆς ἔντερα: Latinè, terræ vermes, terræ inteſtina, lũbrici: Hiſpanicè, lumbrizes de tierra, minholquas: Italicè, lumbrichi: Arabicè, charatin, Gallicè, lumbris ou vers de terre, Germanicè, Regen vurm.

Enarratio LX.

LVmbrici vermes, quibus hamo affixis piſces capiuntur, notiſsimi ſunt, ex quibus oleum pro iũcturarum & neruorũ ſedando dolore, in officinis & extra officinas, paratur, quod vtinam deinceps, in balneo Mariæ fieret.

DE MVRE ARANEO.

Græcè, μυογάλη & μυγάλη: Latinè, mus araneus: Hiſpanicè, mus ganho, murganho: Italicè, topo ragno: Gallicè, meſarane: Germanicè, Ratten, *alij* Ziſsmauſs.

Enarratio LXI.

Mm. MVs araneus, vt tradit Aëtius lib.xiij.cap.14.colore similis est mustelæ, magnitudine autem muris, vnde & mygale apud Græcos nomen obtinuit, os autem oblongum habet, caudam exiguam, dentes tenues, ac eos duplici ordine sitos in vtraq; maxilla, quo fit, vt quatuor dentium ordines habeat, appellant autem Hispani animal hoc sua voce mus ganho, pro mure araneo.

DE MVRIBVS.

Græcè, μῦς: *Latinè*, *mures*: *Hispanicè*, *ratones*: *Italicè*, *toppi*, *sorgi*: *Gallicè*, *souris*: *Ger.* Mauss.

Enarrario LXII.

MVs animal omnia rodens, plures habet species, à quibus hodie nullum desumimus medicamentum, campestrem tamen multi pro delitiis in victu recipiunt.

DE LACTE.

Græcè, γάλα: *Latinè*, *lac*: *Hispanicè*, *leche*: *Italicè*, *latte*: *Gallicè*, *laict*: *Arabicè*, *Leben*: *Germanicè*, Milch.

Enarratio LXIII.

LAc sanguis biscoctus in vberibus animantiũ fœminarum est, quod ex triplici, dissimiliq; substãtia constat, scilicet, caseosa, serosa, & pingui siue butyrosa. Desumitur enim lac hodie non solum pro victu, sed medicinæ vsu, ab homine, à capra, à boue, à vacca, à bubulo, ab asina, ab equa & camelo. Primas humanũ obtinet, caprinum secundas: Ouillum vero crassum & pinguè est, & parum seri habet: at vaccinum crassum & cæteris pinguius est, à quo butyrum præcipue conficitur, ita dictum, quia à bouis lacte fiat: vnde Galenus x. lib. de Facultatibus simpliciũ medicamentorũ, capite de butyro, inquit: Miror autem quo pacto Dioscorides ex ouillo & caprino cõfici referat, ego namq; ex bubulo fieri noui, ac proinde nuncupatum esse butyrum existimo. Asininum autem lac, admodũ aquosum est, & serosum, in quo nihil quicquam pingue reperitur, & ea de causa, hecticis maximo iuuaméto datur: suillum quoq; lac crudum aqueumque est. Porro equinum & camelin

camelinum caseosum est. Cęterum dignoscitur optimum lac ex colore, sapore, odore, & ipsius substantia: ex colore, quia oportet albissimum lac sit, splendidum, clarũ, & minime liuidum: ex sapore, vt gustui sit suaue, non acre, non amarum, non acidum, non salsum, aut qualitatis alicuius excedentis particeps: ex odore, vt bono sit odore præditũ, vel saltẽ omnino odoris expers: ex substantia quoq; diximus, vt neq; liquidum neq; nimis crassum sit, sed substantia medium, quale est quod in pollicis vngue iniecta gutta, nõ cadit, sed simul adiuncta retinetur, & minime spargitur, tale enim optimum iudicandum est, & in optimum vertetur sanguinem, modo ab animante sana, & nouiter emunctum sit, ieiunoque stomacho bibatur, nec desuper aliquid vini vel nutrimenti acetosi, vel qualitatẽ aliquam excedentẽ possidentis sumatur: imò vt hæc omnia consequantur, opus est, vt stomachus lac bibentis, ab omni superfluitate mundus sit: quod si hęc non fuerint, lac proculdubio in pessimos vertetur humores, & stomachum & aluum turbabit. Datur enim lac maximo iuuamento iis quibus Dioscorides concedit, sed dysentericis præcipue, modo ferris candentibus ferucat, vt suadet Galenus, lib. x. huic dicato operi, nõverò ignitis marinis calculis, vt Dioscorides vult: sed lac nocet febricitantibus, caput dolentibus, oculorũ affectibus, paralysi, neruorum contractionibus, distillationibus, nephriticis, obstructionibus, dentibus, & gingiuis: quod cum ita sit, opus est ab ipsius bibitione dentes lauentur, sed optimum fore consilium arbitror, si lacti semper aliquid mellis vel saccari adiiciatur, ne in stomacho coaguletur, vel lateribus illius adhæreat. Quòd vero lac cum piscibus non sit comedendum, vulgatum iam est, quanquã tamen Galli & Germani consilium hoc floccifaciunt, non sine eorum tamen iactura, quum eorum plures elephantiasi, Mauritanorũ lepra corripiantur, vt apud Belgas per septenniũ percepimus. Verũ quod Dioscorides in præsenti asserit, de lacte canino, id Galen. tanquam falsum reprobat, lib. x. de Facul. simpl. medic. ad istum modum dicens: alij verò palam mentiti sunt, vt de lacte canino, quod in palbębris pilos renasci prohibeat, si prioribus auulsis, ei loco foret illitũ, vnde pillorũ radices extractæ essent. Cęterũ lac frigidũ temperatura est.

Lac dysentericis quo modo dari debeat.

Lactis nocumenta.

Lac caninum.

DE SERO LACTIS.

Græcè, ὀρὸς γάλακτος: Latinè, serum, lactis aqua: Hispanicè, suero de leche: Italicè, siero, aqua de latte: Gallicè Meſgue, ou laict clair. Germanicè, Molcken, ſcheyd milch.

Enarratio LXIIII.

Serũ tuius temperatura ſit.

SErum vna ex quibus ſubſtantiis lac cõſtat eſt: quod an calidum vel frigidum ſit, dubitant Authores, quã quæſtionem quum nullus hucuſq; Braſauola melius diſſeruit, illius verbis placuit ſubſcribere, quæ lib. iij. Aphoriſmorum ita habent, præſertim ſuper illis Galenianis verbis dicentibus: Hæc autẽ lactis pars, ſeroſa dicta, vim habet abſtergendi, inquit igitur Braſauola: ſerum abſterſiuum dicitur, propterea dubitandum videtur, quam qualitatem abſterſiuam habeat, & an ſerum tale ſit, vimq; exulcerãdi habere poſsit. Videtur in primo ſtatim diſputationis veſtibulo, ſi ſerum abſterſiuum ſit, calidam qualitatẽ habere, imò Dioſcorides ſerum nõ ſolum abſtergere dicit, ſed etiam è corpore humores educere, quod eſt caliditatis indicium, vnde & Galenus in iij. lib. de Alimentorum facultatibus, vbi de ſero pertractat, inquit: Veteres ad aluum exonerandam creberrima hac potione vſi ſunt, & de lacte ipſo tractans, cauſamq; cur ſoluat, aſsignans, inquit eſſe propter multum ſerum, quod habet admixtum in fine etiam huius partis, in qua de lacte agit, lac triplicem ſubſtantiam habere docet, caſeoſam, ſeroſam, & butyroſam: de ſeroſa parte loquens, inquit: craſsitiem humorum extenuat, & aluum ſubducit. Et in fine illius partis, in qua de acido lacte diſſerit, inquit: Tanto magis lac ſubducere, quanto plus habebit ſeri, hæc autem ſunt caliditatis opera, noſq; experiẽtia docet iecoris obſtructionem ſero aperiri, & ſingulis annis multi ex ſeri caprini potu ab obſtructione liberantur. Mauritani quoq; & Damaſceni medici ſerum calidum eſſe teſtantur. Meſue etiã dicit, aquam lactis, calidæ & ſiccæ complexionis eſſe in primo gradu, vſque ad ſecundum: & Auicenna, cap. 444. ij lib. de lacte tractans, inquit, quod natura eius aquoſitatis eſt calida, noſq; idem hoc medio ſuadere poſſumus, quia nullus eſt,

qui

qui non concedat, vrinam esse calidam. Vrina autem est aquositas sanguinis. At simile est in lacte serum, quod in sanguine aquositas, ideo eandem qualitatē habebit: à natura enim aquositas ad hunc finem generatur, vt sanguis per omnes corporis venas deducatur. Deinde illa aquositas reuertitur, & ad vrinæ meatus transit, atque exit, quia nullum aliud officium habet, nec nutrire potest: in lacte serum est hæc aquositas, quę lacti mixta est, lac enim nihil aliud est quàm sanguis in carne illa mammillarū glandulosa iterum coctus, quæ dum concoquit, rubrū colorem aufert, & album inducit: talis autem glandulosa caro frigida & humida est, vnde hoc quod in lacte serum dicitur, est sanguinis aquositas: quæ cum per vias vrinarias exit, vrina nuncupatur, quum verò vrina sit calida, & ipsa sit aquositas sanguinis, quæ serum dicitur, serum ipsum calidum esse oportet. Nec ad illud tanquam ad asylū fugiendum est, quòd vrina in renibus caliditatē acquisiuerit per quos aquositas illa quæ serum dicitur, non transiuit, quoniam & in ipsis mammis altera coctio facta est. Nec ad istud tutò confugere poteris, quòd mammarum caro frigida sit, quia id opus concoctionis lactis per caliditatem fit. Adde, quod in venarū dissectionibus, aquositas illa quę à sanguine separatur, calorem, saporem, & vrinæ substantiam habet, tamē ad renes adhuc non transiuit: nec tamen iremus inficias, illius aquositatis caliditatem in renibus magis intēdi, quum & ipsa suapte natura calida sit: quum verò ad renes profluit, & per meatum vrinarum exit, sanguinis dispositionem ostendere putatur, ex his igitur inferendum videtur, serum calidæ temperaturæ esse. At in oppositam sententiam, Galeni verba facere videntur, qui lib. iiij. de Simplic. medic. facultatib. cap. 16. vbi disputat, propter quid mel ob caliditatem validiorem amaritudinem cōtrahat: lac verò dulcius efficiatur, in illo capite dicit, lac ex tribus substantiis compositū esse, caseo butyro & sero: postea addit, at excrementū illud serosum & frigidum & humidū est, & in tertio lib. de Arte curandi, serum frigidum facit, & in septimo eiusdem de Arte curandi libro, idem colligi potest, imò & ad hoc probandum ratio quædā philosophica in promptu est: Nam Aristoteles in quarto lib. Meteororū, si is liber Aristotelis sit, docet, solum

Lactis diffinitio.

Galenus.

lum ea quæ frigida ſunt, liquida, coagulari per frigus. At illa enumerans quæ frigore coagulantur, inquit: vt ſunt quædam vina, acetum, lixiuium, ſerum, igitur ſerum frigidum eſt, tum ex philoſophi ſentétia, tum ex ratione ipſa quæ ita eſſe demonſtrat. In hac igitur ambiguitate, quid dicere oporteat, inexplicatum videtur: quoniam rationes & magnorum virorum authoritates hinc inde tanquam inſtructæ acies militare videntur, imò ſi calidum ſit quia euacuat, & abſtergit, erit in Galeno contradictio, qui in iij. lib. de Alimentorũ facultatibus, ipſum ſoluere dicit, in quarto autem de Simplicium medic. facultat. cap. 16. frigidum & humidum eſſe iudicauit, imò & in decimo de Simplicium medic. facultat. ipſum calidum ponit, quia & extergendi & ſubducendi vim habet: Nos igitur vt hanc controuerſiam eo meliori modo quo fieri poteſt cõciliemus, aliquam caliditatem ſero ineſſe dicamus, tamen non talem, tantáinve, quin à frigidioribus partibus ſuperetur, ratione huius caliditatis & acredinis cuiuſdam, non multum manifeſtæ, tamen quæ aliquo modo ſentiatur, ſi quis penſiculate guſtet, in ipſo vires ſunt attenuãdi, detergendi, & ſubducendi per aluum, ſuapte autem natura, & pro maiori parte frigidum & humidum eſt, ob maiorẽ mixtæ aquoſitatis copiam. Dioſcorides lib. ij. propter hanc paruam caliditatem & acredinem dicit ſerum efficacius in purgando eſſe quàm lac, & quod his datur, quos ſine acrimonia purgare volueris, quales atra bile laborãtes, comitiales, lepræ, elephantiaſes, & toto corpore papularũ eruptiones. Experientia verò frigidũ eſſe docet, propterea vulgus noſtrũ in menſe Maij, vt bilis calorem ſupprimat, & erumpentibus pruriginoſis puſtulis ſuccurrat, ſerũ copioſe propinat, ſed caprinum potiſsimum quærit, aut aſinum, & intentum aſſequitur: adde, quòd id lac apud authores frigidius exiſtimatur in quo plus ſeri inuẽtum ſit, vt de aſinino Galenus infert. Serum igitur frigidum eſſe conſtat, quod eius quoq; guſtus, qui inſipidus eſt probare videtur. Nec ratio illa te commoueat, vt ipſum calidum eſſe fatearis, quoniam abſtergat, etenim aqua ordei idem efficit, tamen frigidam eſſe conſtat, ſubducit verò ſerum ob modicam illam acredinem & caliditatem, quam in ſe habet. Hæc de ſero dicta ſuperſint, in quo & caliditatem

serum frigidum eſt, ſed ſecunda in parte calidũ.

Serum frigidum eſt.

aliq

aliquam, & aliquam acredinem ineſſe putamus, quæ abſtergit, & aphthas in puerorum ore facit, his autem modicis qualitatibus, Damaſceni & Mauritani illecti, ſerum calidum eſſe profeſsi ſunt, quum tamen abſolutè non ſit.

DE LACTE SCISSILE.

Græcè, σχιστὸν γάλα: Latinè, lac ſciſſile: Hiſpanicè, leche azeda: Italicè, latte acetoſo.

Enarratio LXV.

LAc ſciſsile, acetoſum lac eſt, quod hodierni Græci & Thurcæ in maximo habent vſu.

DE CASEO.

Græcè, τυρὸς: Latinè, caſeus: Hiſpanicè, queſo: Italicè, formagio caſcia: Arabicè, lubon, & gieben: Gallicè, formage: Germanicè, Keſen.

Enarratio LXVI.

CAſeus, vbiq; tanquam vinum, ſuas habet laudes, vetus verò calidus & ſiccus eſt, diſcutiendiq; vires poſſidet, vt ex Galeni præclara hiſtoria deprehenditur: recens verò, frigidus eſt, ac aſtringendi nonnihil virium habens. Proinde qui caſeo recenti, viperæ morſus curare nitũtur, toto vt dicitur aberrant cœlo. Athippace, equinus caſeus eſt, cuius Hippocrates meminit, lib. de Aere, aquis, & locis, vbi de Scythis agit, & lib. iiij. de morbis vbi Morborũ cauſas inquirit, dicens: Et habet hęc res ſimilitudinẽ ad id quod Schitæ faciunt ex equino lacte, lac enim in caua vaſa lignea infuſum concutiunt, illud autem dum turbatur, ſpumeſcit ac ſecernitur, & pingue quidem, quod butyrũ vocant, quum leue ſit, in ſuperficie conſiſtit, graue vero & craſſum deorſum ſidit, quod etiam ſecretum ſiccant, vbi verò concretum ac ſiccatũ fuerit, hippacen ipſum vocant.

Caſeus vetus calidus & ſiccus eſt.

Hippace caſeus equinus.

DE BVTYRO.

Græcè, βούτυρον: Latinè, butyrum: Hiſpanicè, mantequa: Italicè, burro, ſmalzo: Arabicè, zebd: Gallicè, beurre: Germanicè, Butter.

Enarratio LXVII.

BVtyrum, è pinguissima lactis parte fit, ita vt spuma lactis concretior dici possit, à boue sic nominatum, vt diximus, quia è bubulo lacte potissimum paratur, vt Gal. quoq; capite proprio, Dioscoridem admiratus dixit, facultatis enim cõcoquentis butyrum est, digerentisq;, præsertim in corporibus temperatura mediis, non verò duris. Nam corporum plane durorum tumores præter naturam hoc nequit medicamen digerere: At quæ in mollibus phlegmonæ, eas & concoquit, & digerit perfacilè. Nam parotidas & bubonas, & oris phlegmonas, aliaq; innumera prorsum illo solo curauimus, nimirum puerilibus corporibus, ac muliebribus perpetientibus. Sed & gingiuis puerorum dentientiũ, assidue illitum: nihilo imbecillius melle gingiuas extenuat, per quas exitus est dentibus, & alios omnes in ore affectus phlegmonosos, posteaquàm fluxio restiterit, digerit parirer & concoquit. Proinde cataplasmatis inditur, quæ extrinsecus imponuntur parotidibus, hypochondriis, & bubonibus: sed & in ventrẽ deuoratum, & ex eo distributum, magnifice confert, expuitionibus ex pulmone, idq; in pleuriticis, & peripneumonicis affectibus, cũ hoc quod eos etiã concoquat atq; si solum lingatur, magis quidem concoquit: verũ minus educit: Sin cum melle & amygdalis amaris, plus educit, sed minus concoquit. Cæterum fit quoque ex lactis suprema parte, ex quo butyrum conficitur, id quod vniuersa Italia, lactis caput appellat, Hispani verò natam vocant, cibus ori suauis, sed per se solus non admodum stomacho gratus, quum sua pinguedine, ipsum mollificet, relaxétve, & crassum præbeat nutrimentũ, ac ab stomacho cibum intempestiue descẽdere faciat. Proinde, cibus iste absq; sacc arovel melle nunquã comedatur cõsulo. Secernitur quoque ex sero cocto pars quædã, quã recoctã, siue pouinam Itali vocãt, Hispani verò recaseum, quasi alterum caseum dixeris, appellant: Cibus frigidus, bilioſis stomachis gratus, sitim extinguit, somnum conciliat, & fluxus bilioſos cõpescit, salitus quoq; cibus iste venditur præsertim apud Longobardos, qui sitim excitat, & pessimi ac crassi est nutrimenti. Porrò fuliginis butyri, cuius Dioscorides mentionem facit, nullus hodie vsus est.

Lactis nata.

Recocta.

DE

DE LANA.

Græcè, ἔριον: *Latinè*, *lana*: *Vulgò lana*, *Arabicè*, *ſauf*, *vel ſuf*: *Gallicè*, *laine*: *Germanicè*, Schmutzi guuollen.

Enarratio LXVIII.

LAna ſuccida, præcipuè ex ouibus extracta, rei medicæ conducibilis eſt.

OESYPVS.

Græcè, οἴσυπος: *Latinè*, *œſypus*. *ſuccidarum lanarum pinguedo*: *Hiſpanicè*, *iſopilho humido*: *Italicè*, *eſipo humido*: *Arabicè*, *ſenſe*, *ratab*: *Gallicè*, *graiſſe de laine ſurge*.

Enarratio LXIX.

OEſypus hodie in officinis corruptè iſopus humida vocatur, ſcilicet lanarum ſuccidarum pinguitudo, habet enim concoctoriam vim ſimiliter vt butyrum, & parum quid de diſcuſſoria, vt refert Aëtius ſermone ſecundo ſuæ medicinæ.

DE COAGVLO.

Græcè, πυτία, *vel* πυτύα καὶ ὄπος: *Latinè*, *coagulum*: *Italicè*, *caglio*: *Hiſpanicè*, *coaglio*, & *coalho*: *Arabicè*, *anfea*: *Gallicè*, *caillé*, *preſſeure*: *Germanicè*, Lipp.

Enarratio LXX.

COagulum ex multis & variis extrahitur animalibus, quod pro coagulando lacte, ex quo caſeus reſultat deſeruit. De quo Galenus lib. x. de Facult. ſimpl. medic. ita prodit: Coagulum omne acris & digerentis potentiæ eſt, atq; etiam exiccatoriæ, nam neceſſario id ſuperiora comitatur: ac leporis quidem coagulum comitialem morbum, ſi cum aceto bibatur, præterea profluuium muliebre ſanare proditum eſt, necnon coactum in ventre lac diſſoluere, id quod nos ſumus haud dubie experti, non ſolum in leporino, ſed etiam in aliorum omnium animalium coagulo, ſed & ſanguinem in ventre concretum ſimili modo epo

do epotum coagulum leporinum dissoluit, ac efficacius quidem cæteris, verum non solum, quum hoc omni sit commune coagulo.

DE ADIPE.

Gallicè, ϛlap: Latinè, adeps: Hispanicè, gordura: Italicè, seuo o vero grasso de animali, o vero assungia: Arabicè, menim: Gallicè, graisse & suif, Germanicè, Feysste, fette.

Enarratio LXXI.

DIffert à pinguedine adeps quòd crassior sit ac propterea animantibus totam naturam terrosiorem habentibus, vt bobus & capris, adeps prouenit: velut humidioribus, vt suibus bene habitis, pinguedo. Proinde pinguedo celeriter in igne posita, colliquescit, nec facile vbi semel liquata fuerit, rursus concrescit, aut cogitur: At adeps, nec facile funditur, liquescitve, & fusus celerrime congelatur. Porro adeps suillus aliorum omnium est humidissimus, ob idq; actione sua vicinam oleo vim possidet: verum qui mordicationes perpetiuntur, aut in recto intestino, aut in colo, iis potius caprinum adipem quàm suillum iniicimus, non quòd plus acrimonias obtundat, sed quòd cõcrescat citius: suillus autem instar olei defluat, quare caprinus potius dysentericis & tineosis iniicitur, quando morsum eorum mitigare est consilium. Cæterum, quum inter pinguedinem & adipem differẽtia sit, tu si voles, oleosam & pinguem in animalibus substantiam omnem, adipem appellato, vt pleriq; medici, sed & pinguem appellare totum hoc genus licet, vt ait Galenus libro xj. de Facultatibus simplicium medicamentorum.

Cæterum vtimur pinguedinibus pro leniendis, ac sedandis doloribus, emolliendisq; tumoribus. Ex auibus vero anserina partium tenuitate penetrabilior præfertur: Deinde gallinacea, mea tamen sententia: anatum & syluestrium anserum pinguedo siue adeps, ea quæ ab anseribus domesticis desumitur adipe tenuioris essentiæ dicẽda est, imò adeps & pinguedo agrestium animantium & volatilium, in vniuersum potẽtior est, quàm quæ ab animantibus quæ in vrbibus otiosè aluntur, extrahitur, modo

Auiũ pinguitudo.

speciem

ſpeciem ſpeciei cõferas:& quæ à maſculis, calidior quàm quæ à fœminis. Ex quadrupedibus vero leonina primas obtinet, deinde ex pardo, mox quæ ab vrſo habetur, tandem taurina:mox hircina, poſtea caprina, tandem bubula,deindevitulina,ac hœdina,ſuillavero ita habet,vt intra illam & anſerinam gallinacea medium teneat,vt ex Galeno deſumitur libro ſeptimo de Compoſitione medic. ſecundum genera. & 2.de Febribus ad Glauconem: damæ porro pinguedinem Dioſcorides tum Galenus, & Paulus prætermerunt, quum tamen pro emolliendis ſcirrhoſis tumoribus multum valeat. Cæterum Galenus libr. xj.de Facul.ſimplic. medic. inquit: Dioſcorides Anazarbenſis multa profecto bene dixit eorum quæ de medica materia memoriæ prodidit: ſignificata tamen vocum Græcanicarum non ſatis pernouit. Hic ergo quum ait, magis eſſe adſtrictorium adipem caprinũ ſuillo,ſiquidem acriorem ſignificare velit per magis aſtrictorium accipimus ſermonem ceu verum: At ſi illud talem habentem qualitatem qualem rhus, rheon, hypociſtis, balauſtium: haud verum eſſe ſermonem dicemus. Porro quoniam viperarum adipem vbi radicitus pilos ſub alis euulſeris, prohibere illos recreſcere illitum referunt, viſum eſt mihi eius facere periculum eſſe ſatius. Atvbi prout iubent feciſſem, mentitos comperi. Sicut etiam quod initia ſuffuſionum ſanet: Verum vrſorum adipem alopecias curare vere eſt proditum, quum tamen probatiora habemus ad eum affectum remedia. Porro quum dicant vulpinum adipem dolores aurium ſanare, nec dicant quos aurium dolores, ceu non noſcentibus ipſos diſtinguere, attendendum non eſt. Alij piſcium adipem laudant, tanquam ad ſuffuſiones aut quencunque alium affectum nominare velint, congruat, & cætera.

Adeps quadrupedum.

Damæ pinguedo.

Viperarũ adeps.

Vrſorum adeps.

Sed & hoc iterum repetere, non extra rationem eſt, quum quæ bona ſunt,bis & ter,vt Plato ſuadet, repetenda ſunt,hircino igitur & caprino ſepo,hodie pro cohibendis fluxionibus dyſentericis, priſcorum more, vtimur, ſed animaduertant medici,quod pinguedines emollientes, & parum digerentes pueris & fœminis, & carnes molliores habentibus conueniunt, quales ſunt, ſuilla, gallinacea, & vitulina: corporibus vero durã carnem & ſiccam poſſiden

Quæ bona ſunt,bis et ter repetenda ſunt.

sidentibus, vt messoribus, fossoribus, laboratoribus, & baiulis, digerentes potius pinguedines conueniunt, vt leonina, taurina, vulpina, pardi, hyenæ, damæ & similium animalium, inueteraſcens quoq; pinguedo recenti calidior & tenuior efficitur, ac proinde quoq; valentius deſiccans. Cæterum, omne pingue æſtuoſum eſt, & ſtomachum ſubuertẽs, pauci præterea nutrimenti vt ex Hippocrate elicitur libro ſecundo de Diæta, & & Galeno lib. iij. de Facul. almen. cap. 11. Verum, dubitant aliqui, an pinguedines, calidæ & humidæ natura ſint, vel potius ſiccæ: ratio huius dubitationis in hoc conſiſtit, quia in Aldino exemplari Græco legitur ξηραντικὴ, id eſt, deſiccatoria, ita vt legatur, omnis igitur pinguedinis facultas eſt calfactoria, & deſiccatoria: ſed revera textus iſte Aldinus corruptus eſt, quum loco θερμαντικὴ, ξηραντικὴ legendum ſit, ſic: omnis igitur pinguedinis facultas eſt humectatoria & excalfactoria, quã lectionem cõfirmat quoq; vetus interpres, & Galeni ſententia ita legendum monet, quum eo loco pinguedinum duas faciat cõparationes: alteram ad corpus humanum: alteram vero pinguedinum inter ſe: quum vero ad corpus humanum Galenus pinguedines refert, eas humidas eſſe tradit, vt eius indicant verba, quæ ita habent: Omnis igitur pinguedinis facultas eſt humectatoria & excalfactoria, humanorũ corporum, vbi nota verbum humanorum corporum, & ſubdit, vt res clarius comprehendatur: Nam pinguedo ſuis, vt ad nos quidem, largius humectare poteſt, ſed non æque excalfacere, ſicuti neq; oleum. Ex quibus ſatis manifeſtum eſt collatione facta ad corpus humanum, pinguedines calfactoriam & humectatoriam vim habere: quam Aëtius aduertens, ita libro ij. ſuæ medicinæ cap. 152. dixit, omnis pinguedinis vis eſt, humana corpora humectandi ac calfaciendi. Alteram vero comparationem facit Galenus pinguedinum inter ſe, quo fit, dicat, pinguedinum vna ſiccior altera eſt, id eſt, vna non ita humida eſt veluti altera. vt paucis igitur abſoluamus, lectio communis tanquam verior retinenda. Cæterum pinguedo in quantum pinguedo, calida eſt, quia ſanguinis vnctuoſa pars: inquantum vero à frigore concreta, frigida dicitur: quibus paucis Galeni varia dicta conciliari poſſent, vt alibi dicemus. Reliquum erit

Pingue æſtuoſum.

Pinguedinis duæ cõparationes

Pinguedo calida & frigida dici poteſt.

erit in præsenti citare, sepum, quod ex pinguedinibus hodie ad mulierum ornamentum paratur, quod Hispani sepum confectum, Itali vero pomatam vocant, cuius veram descriptionem talem habeto. Recipe adipis ceruini, vel illius qui ab hœdi renibus extrahitur, libras duas, pinguedinis suillæ recentis libram mediam, quas pinguedines à membranulis purgatas, albo vino lauato, deinde lineo panno exprimito: taliter vt à vino pinguedines sincere maneant, quas postea in olla vitreata, aqua rosacea semiplena infundito, modo aqua pinguedines cooperiat, quibus tunc addes, pulueris gariophyllorum vnciam mediam, nucis moschatæ drachmas duas, spicæ nardi grana quatuor, pomorum camusiorum mundatorum & incisorum numero octo, postea optime cooperta olla, lenibus prunis eam admoueto, atq; baculo interdum misceto, ferueréq; permittito vt aqua ad consumptionẽ fere deueniat: tandem deposita ab igne olla, contenta per linteum nouum in vas fictile rosacea aqua respersum percolato, feces tamen relinquendo, quæ percolata, iterum in alteram infundantur vitreatam ollam, quibus addas, olei amygdalarum dulcium vncias sex, ceræ albæ vncias quatuor, & ad ignem omnia liquefacta, iterum colato, & in vasculum vitreatum, rosacea aqua roscidum, cadere finito, demum omnia illa aqua rosacea moschata abluta, in vase vitreo optime cooperto seruato, quod albissimum sepum euasit minio tamen rubrum confici potest. Valet autem vt diximus, pro manibus & facie emolliendis, ac dealbandis, labiorum quoq; fissuras & narium ac manuum rupturas sanat, sed id validius efficit, si coralli pauxillum admiscueris illi. *Pomata siue sepum confectũ.*

DE MEDVLLA OSSIVM ANIMALIVM.

Græcè, μυελὸς: Latinè, medulla: Hispanicè, tuetanos, tutanos, Italicè, midolla & ossa: Gallicè, moelle, Arabicè, mochial & moch: Ger. Marck.

Enarratio LXXII.

DE medullis nihil quicquam melius aut elegantius dici potest, quàm quod Galenus de illis scriptum reliquit, *Medullæ.*

reliquit lib.xj.de Facul.simpl.medic.proinde illius verba subscribere in præsenti minime grauabor, quæ ita habet: Medulla vim habet corpora indurata & scirrhosa emolliendi, optimam sum expertus semper ceruinam, dein vitulinam: At hircorum & taurorũ, tum acrior est, tum siccior, itaq; durities scirrhosas mollire nequit: ex vitulina igitur & ceruina pessi componuntur, ad emolliendos veteros, & extrinsecus veteris medicamenta imponuntur, quæ ex medulla parantur, vim emolliendi habentia. Accipitur autem non solum medulla ex ossibus, quæ sane revera est medulla, sed ex spina etiam, quæ tum durior, tum siccior est altera, vtramq; autem hyeme collectam, in sicca editaque domo cum foliis lauri siccis repone, ne videlicet computrescat, & cætera. Porro in cibo medullæ sumptæ ad vomitum stomachos incitant.

Pessi ex vitulina & ceruina medulla parantur.

Medulla vomitum irritat.

DE FELLE ANIMALIS.

Græcè, χολὴ: Latinè, fel: Hispanicè, Hiel: Italicè, fiele, Gallicè, fiel: Arabicè, Sararae & Merara: Germanicè, Gall.

Enarratio LXXIII.

Fel.

FEl tanto potentius est, calidius, & quanto abanimali desumitur calidiori, proinde taurorũ fel calidius quã castratorum boum persentitur. Hodie autem ex felle, linimentum contra puerorum lumbricos ab omnibus fere paratur, cuius compositio, vt tyrunculi in re medica addiscant, ita habet: Accipe pomum narantium ab interna medulla excauatum, in quo infunde, fellis taurini vel hircini, aut saltem bouis, pro cauitatis capacitate, cui addas, aloes myrrhæ an. drachmam vnam, croci scriptulum vnum, & supra calidos cineres, calefiat, quo ymbilicus, & anus inungantur, interficit enim vermes, & secedere facit. Cæterum in felle taurino potissimum, & bubulo, lapillus quidam reperitur, quem Dioscorides & Galenus prætermierunt, magni tamen iuuamenti, vt apud nonnullos legimus authores. Nam in puluerem redactus & vino ebibitus, vesicæ calculos frangit, non minus quoque per nares impulsus visum clarificat, & oculorum ægilopas retrahit, ac epilepsiam emendat, modo per nares cum succo ma

Compositio contra lumbricos.

Lapis in felle repertus.

eo maioranæ vel radicis betæ impellatur, quòd vero lapillus iste ieiuno stomacho in iure capi exhibitus intrasset, obesumque corpus reddat, ac fedum faciei colorem detergit, experti sumus. Cæterum felle auratæ piscis, vel lucij, aut perdicis, gallive, in coitu mulieres illitę delectari certum est.

DE SANGVINE.

Græcè, τὸ αἷμα: Latinè, sanguis: Arabicè, dem: Italicè, sangue: Hispanicè, sangre: Gallicè, sang: Germanicè, Bluot.

Enarratio LXXXXIIII.

SAnguinis vanas promissiones Galenus comperit, quæ de causa, non eo vti satius est. Nam in primis, nec humano aut suillo vnquam vsus fuit, vt eius apparent verba, quum si quis sanguinem humanum morbo alicui vtilem esse dixerit, id in suillo primo experiri oportebat, quum similia effectus similes efficiant tradat, At Marsilius Ficinus, summus Platonicus, libro de vita longa, capite vndecimo senes potu sanguinis boni à iuuene temperato accepti, repueraſcere contendit, & ab aniculis dictis strygibus, argumentum desumit, quæ puerorum sanguinem, vt reiuueneſcant, sugunt, quæ vera esse credendum est vt multi alij celebres viri affirmarunt, sed præcipue Comes Mirandulensis, in eo doctissimo libello quem de strygibus edidit. Non minus quoque Arnaldus Villanouanus reprehensione dignus est qui in emplastro siue ceroto de pelle arietina, ad crepatos conscripto, sanguinem hominis ruffi admiscere mandat, ac si ab alio animali, efficaciori iuuamento desumi non poterat. Porro Antidotum quod à sanguinibus inscribitur, cõtra venena accommodatum est, vt apud Galenum & omnes fere Græcos videre est. Columbæ tamẽ sanguine, aut palumbi, turturisve Galenus in vulneribus capitis meninges attingentibus, nunquam vsus est, quum oleum rosaceum pro illa complenda operatione satis illi esset, dicit enim: Ego verò sexcentos noui eorum quibus Romæ perforata fuere capitis ossa, nec quicquam ab vsu rosacei, citra columbæ sanguinẽ offensos, & subdit: Itaq; melius inuenire nihil possis in capite perforato, quàm vt rosaceo probo vtare. Item pro san-

Marsilius Ficinus.

Stryges vere reperiũtur.

Arnaldus Villanouanus.

Antidotũ ex sanguinibus.

Sanguis columbæ.

guine in oculo cõcreto, eo quoq; nunquã fuit vſus, quum collyria ſunt plurima quæ medeantur hypoſphagmatis, & maxime quod plurimam recipit myrrham, quale eſt, quod à Damocrate compoſitum eſt. Ad eundem modum falſum eſt, quòd noctuæ, ſiue nycticoracis ſanguis aſtmaticis valeat, veluti quod quidam dictitant de ſanguine veſpertilionis, vt ſi virginis vberibus illinantur, plurimo tempore ea ab excreſcentia tueri, & pilos ſub alis enaſci prohibeat, quod Xenocrates tanquã falſum calumniatus eſt. Non minus quoq; quod de Galli vel gallinæ ſanguine ab aliis ferebatur, quod ſanguinis eruptioni meningum conferebat, tanquam inexploratum experimentum, prætermiſit, quum periculoſa ſit huiuſcemodi experientia. Agnorum quoq; ſanguinẽ comitiali morbo, potum non mederi tradit ibidem Galenus: quum quæcunque potu iuuant epilepticos, ea facultatis ſunt incidentis: At ſanguis agninus omnium minime talis eſt, hœdinus quoque ſanguis ab eo tanquam inutilis pro ſanguinis è pectore reiectione prætermittitur. Ranarum quoq; viridium ſiue terreſtrium ſanguinẽ euulſos ex palpebris pilos inunctum, eorum renaſcentiam non prohibere, vt nonnulli opinabantur, expertus fuit, vnde hic apud Dioſcoridẽ mendam eſſe certus ſum. At hircinus ſanguis præparatus, cõtra calculos renum & veſicæ datur. Cæterum inquit Dioſcorides, rabidi canis morſus, ſanguinis canini potu curari, cuius cauſam, quærens Marſilius Ficinus, loco à nobis citato, ita inquit: Galenus atq; Serapio morſum rabidi canis, ſanguinis canini potu curari dicunt: rationẽ verò illis aſſignare non placuit: ego igitur biduũ eam quæritans, opinor denique ſaliuam canis rabidi venenoſam impreſſam hominis pedi læſo per venas paulatim ad cor aſcendere more veneni, niſi quid interea diſtrahat: Si igitur interim canis alterius ſanguinem ille biberit, ſanguis ille crudus ad multas horas natat in ſtomacho, eum denique velut peregrinũ deiecturo per aluum, interea caninus ſanguis iſte ſaliuam caninam ſuperiora membra prehenſantem, prius quàm ad præcordia veniat, deriuat ad ſtomachum: Nam & in canino ſanguine virtus eſt ad ſaliuã canis attrahendam, & in ſaliua viciſsim virtus ad ſimilem ſanguinem proſequendum: Venenum igitur à corde ſemotum, ſanguiniq;

Sanguis nycticoracis.

Sanguis veſpertilionis.

Epilepticis medicamenta conuenientia.

Textus Dioſcoridis corruptus eſt.

Sanguis caninus opitulatur morſui canis rabidi.

guinique imbibitũ in aluo natanti, vnà cum sanguine per inferiora deducitur, hominemq; ita relinquit incolumẽ. Quorsum hæc? primo quidem vt rei tam occultæ succurrentem inter disserendum causam aperuerim, deinde, vt moneam, sanguinem potari posse, & quidem salubriter, atque in sanguine humano virtutem esse, qua humanum sanguinem attrahat, & mutuo prosequatur, ne forte diffidas iuuenilem sanguinem à sene bibitum trahi ad venas, membraq; posse, ibique prodesse quam plurimum. Reliqua verò de sanguine olim abunde disseruimus, in hoc quoq; capite præcipue quærendo, an sanguis anima esset. *Sanguis salubriter bibi potest.*

DE STERCORE ANIMALIVM.

Græcè, ἀπόπατος ἢ κόπρος: *Latinè, stercus*: *Arabicè, hebel*: *Hispanicè, estiercol*: *Gallicè, fiente*: *Germanicè*, Dreken.

Enarratio LXXV.

STercus alterum altero calidius est, secundum quòd à calidiori excernitur animali: caninũ, vt affirmat Galenus, anginam curat, & dysenteriã constringit, præcipuè in cocto lacte epotum: non minus quoq; medicamentis maligna vlcera sanantibus adiungitur. Porrò humanum, gutturis phlegmonibus & anginis mederi celebri historia scripsit Galenus, sed lupinum colicis affectibus magno iuuamẽto propinatur, præsertim album, super fruticibus collectum. Verùm ego, quum lupus interficitur, iubeo illius intestina cum stercore seruari, ac exsiccata & in puluerẽ redacta in potu contra colicas affectiones dare, non contemnendo profecto iuuamento. Caprarum verò stercus, acris & digerentis est facultatis, proinde strumis & scirrhosis tumoribus conuenit, præsertim in corporibus duris, & rusticorum: Secus autem puerorũ, ac mulierum. Extrinsecus quoq; pulticulæ modo ventri impositũ, ipsius doloribus subuenit: At bubulum exsiccatoriæ est facultatis, veluti columbinum causticæ, & exedentis potentiæ quod Abinzoar inter antidota contra pestem adnumerat, & de eo Gal. lib. iij. de Temperamẽtis historiam de domo in Asia combusta enarrat. Ciconiarum verò, comitiali morbo mederi, falsum Galenus inuenit: At lacertarum

Stercus caninum. *Humanũ stercus.* *Lupinum stercus.* *Caprarũ.* *Bubulum.* *Columbinum.* *Ciconiarũ stercus.*

vnice oculorum nebulas, eorumq; concursus sanguineos
Lacertorũ stercus. delere, certi sumus, de quibus omnibus Gal. consulendus est, lib. x. tam sæpe à nobis in hoc opere allegato.

DE VRINA.

Græcè, οὖρον: Latinè, vrina, lotium: Vulgò vrina, Arabicè, Baul.

Enarratio LXXVI.

Vrina. FRequenter hodie vrinæ vsus in clysteriis habetur, quum abstergendi vires obtineat, præcipuè pueri stomachum ieiunum habẽtis. At Galenus, vlcera digitorum pedis, maxime quæ ex illisione atque offensione essent inflicta, sæpenumero, vbi nimirum phlegmone careret, curabat: hoc præcipuè in seruis & rusticis, & in agro, & rure, vbi medicamentorum aliorum non erat copia: nec tantum in prædictis vlceribus, sed omnibus à thorace ad imos vsque pedes corripientibus, vti illa concedit. Capitis porro vlcera, aut faciei, ea lauari nõ assentitur Galenus veluti nec eam dare in potu. Proinde orthopnœq; curandæ gratia, eam ebibere, necessarium nõ esse tradit. Auicenna tamen, illius potu, nonnullos sanitati restitutos memorat, vt ex secundo sui Canonis libro capite proprio percipi potest. Cæterum vrina hominis omnium prope aliarum vrinarum est imbecillima, excepta ea quæ à sue castrato domestico mingitur, quum hæc humanæ persimilis sit. Aprorum verò valida est, vt eius acutus indicat odor, quam Florentini in propria vesica oleo admixtam ad fumum seruant, appendúntve, & ea mellis crassitudine inspissata, contra puerorum vermes vtuntur, nares & pulsus ac abdomen inungendo. Ex vrina verò chrysocolla conficitur, vt Galenus bis docuit, & nos ipsi experti sumus, quanquam vera chrysocolla minerale esse sciamus, quod potissimum ex India in Lusitaniã adferri solet. Cæterum laps lincurion dictus, electri species est, alio nomine quia plumas attrahit, pterygophoron appellatus, vnde qui lapidem istum vrinam lyncis siue lupi ceruarij esse opinantur, toto vt dicitur, aberrãt cœlo, vt capite de electro quoque meminimus: Respondet vrinæ saliua, cuius vis differens quoque est, tum in animalium speciebus, tum in eorum vnoquoque sano, & ægro, ieiuno & sitibundo, aut

Saliua.

contrà.

contrà. Etenim vt vrina & fel, sic & saliua sumpto quidem cibo imbecilla est, valida proculdubio & acris est eorum qui ingenti aut inedia, aut siti premuntur: sed in medio vtriusque est eorum qui probe concoxerunt, nondum tamen cibum potúm ve hausere, qua puerorum lichenes, id est impetigines curantur, non minusque illius causa, triticum ore mansum dothienes, id est furunculos concoquit, & digerit, porro saliuam, scorpios interficere, memoriæ tradidit Nicander, & Galenus vt verum quoq; approbat, quod nos ita esse quoq; experientia nouimus.

DE MELLE.

Græcè, μέλι: Latinè, mel: Gallicè, miel. & Hispanicè, Mele. Italicè, Mele. Arabicè, hael: Germanicè, Honig.

Enarratio LXXVII.

MEl, liquor dulcis, ab apibus condensatus, ac fabrefactus, vbiq; vulgatissimus est, quod rutili coloris Dioscorides & medici desiderant, qum tamen hodie albissimum primas obtinere sciamus, præsertim quod à nimia caliditate ita album traxit colorem: Nam album ob frigiditatem multam habens spumam, quod incoctum recte dixerimus, nõ bonum est. Reperitur enim præstans hoc mel tanquam butyrum albissimum apud Olyssipponenses: quod ex oppido Hueiras dicto aduehitur. Cæterum venenosum mel, varia symptomata inducens, variis in locis reperitur, præcipuè vbi apes rosa nerienis, vel flore aconiti, vel napelli cucullato, pastæ fuerint. Subducit autem mel crudum aluum magis quàm coctum, vt libro primo capite de Rosis diximus, quod desiccandi & excalfaciendi secundo ordine vires habet, facile enim calidis in corporibus in bilem vertitur: proinde pituitosis summum est iuuamen. Verùm, saccarum quod Dioscorides mellis genus, in India & Felici in Arabia prouenies facit, absq; verborum ambagibus & controuersia vlla, nostrum vulgatum & commune est succharum. Magna etenim succhari copia, & prouentus apud Indos semper fuit, & est hodie, vt quoq; Lusitani nostri fatentur: apud quos ordo ac modus illius conficiendi,

Mel venenosum.

Mel crudũ subducit aluum.

Succharũ antiqui cognouerũt.

non ita pridem fuit exploratus, quum succharum de locis ad locos in vtribus deferebant inclusum. Vnde non mirandum si Dioscorides & Galenus, cæteriq; qui de saccharo locuti fuerunt, tanquam de re illis non probe cognita & explorata locuti fuere, vnde succharum, mel, aut sal in harundinibus concretũ dixerunt: nec ab re, quum in ipsis harundinibus non quidem fistulosis, sed succo plenis, magno æstu, succus foris attrahitur, & ibidem ac resina, vel gummi, in ipsis harundinibus densatur ac cõcrescit, simillis omnino succharo cando dicto, hodie arte parato, vel sali dulci, vnde, multi illum salem Indicum appellabant: Nec tantum in India hoc euenire nouimus: sed etiã hodie in insulis Maderiæ, & sancti Thomæ, ac Fortunatis, quas Canarias dictitant, in quibus sicuti in nonnullis Italiæ locis, ac Aegypto, & noua terra Brasilio dicta, fertilis est prouẽtus, cuius modus conficiẽdi ac in turbinatas massas reddẽdi, nouus est, & antiquis plane ignotus: imò si verum fateri debemus, succharum olim in perexigua reperiebatur copia, adeo vt illius vsus, parua aut nulla erat cura, vtcunq; tamen sit, illius Varro meminit, iis carminibus.

Sal Indicus succharum est.

Varro meminit succhari.

Indica, non magna nimis arbore, crescit harundo,
Illius & lentis premitur radicibus humor,
Dulcis, cui nequeant succo contendere mella.

Floruit enim Varro Narbonensis, Latinę linguæ peritus ante Dioscoridem & Galenum, annis multis, qui iis carminibus adeo saccharum describit, ac suis coloribus depingit, vt nihil amplius desiderare queas. Illius quoq; Galenus noster meminit, non solum libris Simplicium, sed libro octauo Methodi medẽdi, capite quarto, vbi saccharum inter res febribus vt excessiue nõ calidas, conuenientes adnumerat, vt liquido cõstet, antiquorum saccharum, nostrum cõmune esse. Nec enim Manardus, aut Fuchsius, qui oppositum contẽdunt, audiendi sunt: quum nullis aut momenti alicuius rationibus fulciãtur, nobiscum autem Leonicenus agit atq; Curtius, aliiq; celebres viri, vt demũ concludere debeam, hoc saccharum Dioscoridis nostrum commune esse. Sed Dioscoridis tẽpore, parua admodum extabat copia, ita vt Plinius libr. xij. cap. 8. dicat, suo tempore ad medicinæ vsum tantum stare: nunc vero illius magna est copia, & ad multos venit vsus, ganeæ præsertim, quia

Saccharũ antiquorũ

Manardus & Fuchsius errant.

quia ſtomacho pergratũ ſit,& pectori profit, quod quanto albidius redditur, tanto magis caliditatis metas fugit. Succharum vero quod ex inſula ſancti Thomæ affertur, officinæ rubrum appellant, caliditatis primum gradum non excedens,ex quo Venetiis albiſsimum,reſinatum dictum,præcipue paratur.Porrò in ſucchari cõfectura, mel liquidum & craſſum quoddam remanet,quod remel dicitur,cuius magna copia ex inſula Maderiæ, Anthuerpiam florentiſsimum emporiũ aduehitur, & ex eo non niſi placentulæ popularibus hominibus dicatæ conficiuntur. *Remel quid.*

DE CERA.

Græcè, κηρός: *Latinè*, *Cera*: *Italicè*, *cera*, *Hiſpanicè*, *Ciera*, *Gallicè*, *Cire*: *Arabicè*, *hamaha*: *Germanicè*, Vvachſs.

Enarratio LXXVIII.

CEra vt teſtatur Galenus ſeptimo de Facultatibus ſimplicium medicamentorum, medium quodam modo tenet calfacientium, refrigerantium, humectantium,& deſiccantium:habet vero quiddam etiam eſſentię craſſæ atq; emplaſticum, quamobrem aliorum medicamentorum materia exiſtit: ipſa autem per ſe ex genere fuerit debiliter concoquentium, habet tamen quiddam digerentis, calidæq; potentiæ, quæ plurima melli inerat. *Cera temperata eſt.*

DE PROPOLI.

Græcè, πρόπολις: *Latinè*, *Propolis*: *Hiſpanicè*, *betun de colmena*, *Arabicè*, *Mum*: *Germanicè*, Vorſtoſs.

Enarratio LXXIX.

PRopolis fauorum ſtabilimentum, vt Plinio placet, eſt: quanquam Dioſcorides & Varro, circa alueorum foramina, per quæ apes ingrediuntur, reperiri tradant: de qua Galenus libro octauo tam ſæpe citato dixit: propolis modice quidem extergit,cæterum valide trahit: eſt enim eſſentia tenui, excalfacit porro ordine ſecundo completo, aut certe incipiente tertio. *Propolis.*

DE TRITICO.

Græcè, πυρὸς: Latinè, triticum, frumentum: Hispanicè, trigo: Italicè, grano, formento: Gallicè, Blé, ou froment vel fourment: Arabicè, henca: Germanicè, Vveytzen.

Trimestre. *Triticum.*

Enarratio LXXX.

Triticum. TRiticum vt bonum dicatur, optime maturum sit oportet, contumax frangenti, plenum, graue, lucidum, splendidum, auri colorem fere referens, ex tali enim trium mensium ætate, farina fieri debet. Nam præstans triticum plus farinæ reddit: deterius vero minus. Porro farina recens calida est, vetus vero frigida, qua de causa mediæ ætatis eligenda est, ex qua panis quinq; genera, vt placet Galeno libro primo de alimentis, parantur. Omnium purissimus siligineus est, ex silligine, parte subtiliori

tiliori farinæ tritici factus: secundus autem panis similagineus dicitur, ex similagine paratus, farina tritici, non tam perfecte pura, quàm hodie è Græcia, ad nos Turcæ & Græci homines aduehunt, farinam scilicet granulosam, albissimam, arenæ similem, quam semolam vel similam vocant, quam Galenus dixit esse difficilis coctionis, ac obstructiones gignentis, vt libro quinto de Sanitate tuenda, vbi senum regimen describit, legere est: tertius panis, autopyros, cum ipsis furfuribus coctus & conflatus, ex toto tritico dicitur: quartus, sordidus ex multis furfuribus confectus: quintus, totus est furfuraceus, canibus tantum deseruiens. Vt autem panis optimus dicatur, opus est, sit bene fermentatus, bene subactus, optime pinsus, mediocriter salitus, ac iuste coctus, non est edendus calidus panis, quia æstuosus est, & capiti & ventriculo nocet: nec multorum dierum coctus, quia natiuam caliditatem humiditati naturali coniunctam deperditam habet, vt ex Hippocrate libro secundo de Diæta desumitur. Panes porrò caseo, aut butyro, lacteve confecti difficilis coctionis sunt, & in epate obstructiones parientes, cum oleo verò parati, sulphuri, vt Auerroi placet, similantur. Maza quoque oleo frixa, aut clibano, vel sub cineribus cocta, veluti quoque azymus panis, maximè obstruunt, & multum lædunt, melle tamen hæc comesta, ab noxiis suis temperantur, remittunturque, veluti ex farina triticea omnes paratæ placentæ, vt tradit Galenus libro quinto, de Sanitate tuenda, & primo de Alimentorum facultatibus, capite tertio. Triticum aqua coctum, difficilimè in stomacho coquitur, vt ex Galeni historia percipitur libro primo de Facultatibus alimentorum, capite septimo, qui fame vrgente cum duobus adolescentibus suis, semel in rure comedit. Est demum triticum, vt refert Galenus libro octauo de Facultatibus simplicium medicamentorum calidum primo ordine, non tamen nec resiccare, nec refrigerare manifesto potest: habet verò etiam quiddam lentoris obstruentisque naturæ. Ex eo verò oleum ferramentis candentibus extrahitur ad multos vsus accommodatum, vt ex variis authoribus percipi potest. Non hic tamen

Panis quinque genera.

Tritici temperatura.

silentio prætereundus est panis dissectus, & aqua lauatus, quem hodie succharo respersum febricitantibus concedimus vt Galenus olim quoq; suis propinabat ægrotatibus, quũ optimi sit nutrimenti, vt ex curatione Sexti filij Antonini Imperatoris apud eundem Gale. lib. de Præcognitione percipitur, vt librum primum de Alimentis tam sæpe repetitum sileam, in quo illius abunde laudes describit. De fermento vero Dioscorides abunde differit, & ea de causa de illo nihil quicquam agimus.

DE HORDEO.

Græcè, κριθὴ: Latinè, hordeum: Hispanicè, cenada: Italicè, orzo: Arabicè, Shair: Gallicè, orge: Germanicè, Gersten.

Enarratio LXXXI.

Hordeum.

HOrdei duplex species reperitur, altera communis, equis & iumentis in cibo deseruiens: altera verò Gallis, & nonnullis Italię populis familiaris, granum scilicet habens ab spicæ paleis facilè explicabile, vnde ordeum mundum appellari meretur, Granum per omnia ferè grano tritici simile, sed crassius & albidius, ex quo ptisanam olim pręparari crediderim, quum cibo idoneum sit, & hodie quoq; sorbitiunculæ ex eo febricitantibus conuenientes conficiantur. Vnde Manardus Ferrariensis, hãc hordei differentiam parum aduertens, in totam ptisanam, & hordei vsum, tanquam reprobum damnauit. Reuera tamen ex

isto

isto hordeo mũdo à Galeno nudo dicto, ptisana ita valida & potens ac antiquorum ptisana parari posit, quę duplici modo conficitur, colata, & nõ colata: Non colata ptisana ea dicitur, quando hordeum totum probe decoctum, cum ipsa aqua manet: Colata verò, quando ab hordeo probe decocto, expressio fit, quam cremorem ptisanæ nonnulli quoq; appellant: quanquam Galeno succum ptisanæ eam aliquando appellare placuit: tametsi nõ ignorem aliquos, qui differentiam, inter ptisanam non colatam, & cremorem ptisanæ faciant. De ptisana verò Galenus libro de Euchymia & cacochymia ita tradit: Ptisana probe ex optimo hordeo confecta, inter cibaria omnia prorsus omni noxa caret: nutrit tamen quàm panis minus: de qua plura legito lib. de Ptisana Galeno inscripto, ac lib. de Ratione victus in morbis acutis. Humectat enim ipsa ptisana, vbi plurimũ intumuerit coctione longa vt refert Gal. lib. de Alimentis, cap. de hordeo, quod & de aqua hordei idem dicendum crediderim. Nam hordeum in exiccando & refrigerando primi est ordinis, habetq; pauxillum absterſionis, vt Hippocr. lib. ij. de Diæta non procul à principio tradit: At secundum se totum hordeum à paleis non purgatum, magis abstergit & purgat: decorticatum verò magis refrigerat, & aluum sistit.

Herdeitẽperatura.

DE ZYTHO ET CVRMI.

Græcè, ζῦθος, κόρμι: Latinè, zythum, curmi, ceruisiæ genera: Gallicè, cernoise, biere: Germ. Bier.

Enarratio LXXXII.

HAbet vnaquæq; regio, vini loco, suas sibi deputatas potiones. Nam Aegyptus olim vt testatur Plin. lib. xxij. vltimis verbis: zythum habebat, Cantabria verò ex pomis in hunc vsq; diẽ suam cæreã parat: Angli, Flandri, multi Germani, Boëmi, atq; Galli nonnulli ceruisiam parant ex hordeo & tritico lupulorum adiectis floribus, in aqua maceratis: aliquando simplicem, nonnunquam verò lauri baccis compositã. Est proculdubio ceruisia optimus potus, & febricitãtibus cõuenientissimus, præsertim simplex. Quia lupulus, quẽ Dioscо. & Gal. præterierunt, & salictarium, siue reptitiũ lupũ Plin. appellat, iecori maxime conuenit, & illius obstructiones curat, ex quo hodie syrupus

Zithum. Cærea. Ceruisia.

pus in officinis instructioribus paratus habetur, veluti & aqua per campanam siue lambicum destillata. Nam herba ipsa vt paucis dicam, in vniuersa Germania, & Flādria, ac Anglia seritur, non nisi pro hac cōficienda ceruisia, quanquam sua sponte in topiariis passim proueniat, folio vitis aspero, allia, & vinum, fricato subolente: vnde herbam hanc calidam aliquantulum esse affirmaré, tametsi Ioan. Ruellius, natura frigidam, peramplo suo volumine, eam constituit: sed qua fulcitus methodo, ignoro. Huius enim stolonibus, ac asparagis in acetariis vtimur. Vocat autem herbam hanc Hispania luparum, Italia verò lupulum, & nonnunquàm, quia arboribus circūuertitur, verticem. At ebur, in zytho madens tractabile, & plicabile fieri, vt falsum prætermittimus.

DE ZEA.

Græcè, ζεὰ: *Latinè*, *zea*, *semen*, *spelta*: *Longobardicè*, *alga*: *Arabicè*, *hais*: *Italicè*, *biada*: *Hispanicè*, *spelta*: *Gallicè*, *espeautre*: *Ger.* Speltz *alij* dinckel.

Zea.
Spelta.

Curmi.

Enarratio LXXXIII.

ZEa, quæ olim priuatim semen à Latinis dicebatur, hodie spelta appellatur, & eius duas dignoscimus species, equis & mulis in cibum venientes, de quibus legito caput 89. huius præsentis libri.

DE CRIMNO.

Græcè, κρίμνον: *Latinè*, *crimnum*, *granum tritici*, *vel spelæa crasso modo tritum*: *Hispanicè*, *farina ator colada*

colada, rolum: Germanicè, Grieſs.

Enarratio LXXXIIII.

QVum enim triticũ, vel ſpelta, zea dicta, craſſo quodammodo moluntur pinſunturque farina reſultans crimnon dicitur, ex qua quondam Romani pultem parabant, & ea panis loco vſi fuere, vt refert Plinius libro decimo octauo capite octauo.

DE OLYRA.

Græcè, ὄλυρα: Latinè, olyra: Hiſpanicè, centeno blanquo: Italicè, ſegala bianca: Gallicè, du ſeigle blanche: Germanicè, Rocken vnd korn.

Enarratio LXXXV.

OLyra, ſemen eſt, in Orientalibus præcipuè regionibus naſcens, quod Hiſpani centenum, Itali verò ſegalam appellitant, quod ideo centenum Hiſpani nominant, quia ab vno grano centena enaſcuntur, hoc verò falſo quidam ſiliginem appellitãt, quum ſiligo puriſsimum optimumq; triticum ſit. Apud Plinium tamen, centenum hoc, ſiue ſecala, farrago dicitur, vt libro xvj. cap. 18. videri poteſt, nigrum omnino & aſpectu triſte. Nam olyra, dubio procul candidũ eſt, ex quo poſt triticeos panes, optimi conficiuntur, quibus ruſtici in Hiſpania, veluti nobiles ſeptentrionales cum butyro aluntur, à quibus tiphini panes, à tipha ſic dicti, parum differunt: qui, referente Galeno, calidi adhuc furni caliditatem retinentes, minime verò duri, trium quatuórve dierum, edendi ſunt. Eſt enim tipha ſemen in Aſia frequens, parum à zea differens, quod Aſiani ſua voce brizam vocant, vt dixit Galenus j. lib. de Facultatibus alimentorum, capit. decimotertio. Animaduertat tamen candidus lector, quòd tipha à typha differt, nam tipha ſemen de quo diximus eſt: typha verò iuncus quidam, de quo ſuo dicemus capite.

Olyra.

Farrago ſegala eſt.

Tipha à typha differt

DE ATHERA PVLTICVLA.

Græcè, ἀθήρα: Latinè, athera: Hiſpanicè, papas: Germanicè, Brey, Muos.

Enar

Enarratio LXXXVI.

Athera differt à crimno.

ATHera, puls ex zea in tenuissimum pollinem sub mola redacta est, quam hodie quoque non solum ex spelta, sed tritici & milij farina, pro pueris & adultis, Germani & Lusitani cum lacte, vel melle parant. Differt enim crimnon ab athera, quod crimnō ex non bene molita & pista farina paratur: athera vero ex subtilissima.

Tragus.

DE TRAGO.

Græcè, τράγος: Latinè, tragus: Arabicè, Sult: Germanicè, Hamelkorn.

Enarrat. LXXXVII.

TRagus, semen farri, aut zeæ persimile describitur, quod olim ex Orientali plaga aduectum erat, nunc verò eo caremus. Hippocrates porro lib. secundo de Diæta, tragū cum olyra idem facit.

DE BROMO.

Græcè, βρῶμος: Latinè, auena: Hispanicè, auena: auea: Italicè, Biada, vena: Gallicè, auoyne: Arabicè, Churtal: Germanicè, Habern.

Enarratio LXXXVIII.

Auena.

AVena, granum vulgatissimum est, iumentorum cibo deseruiens, ex cuius farina, Germanorum nonnulli pulticulam parant, quam muos ab illis nominari, capite

Auena.

capite de Athera diximus. Est enim semẽ hoc calidum, digerendi vim possidẽs, id quod ex gustu patet, leuiter enim est acre, vnde & ex eo liquet, quòd phlegmonas induratas, & egilopas sanat. Est enim semen hoc, vt Hippocrati placet, natura frigidum, vt verò Galeno libro primo Alimentorũ calidum: Nam hæc de qua agimus auena, domestica est, & cultura elaborata: de syluestri verò, sua sponte in agro veniente, quarto libro, capite de ægilope, videndum est.

Galenus ab Hipp. discrepat.

DE ORYZA.

Græcè, ὄρυζα: Latinè, oryza: Hispanicè, atroz: Italicè, riso: Gallicè, ris: Arabicè, ars & arzi: Germanicè, Reyss.

Enarratio LXXXIX.

ORyza, in genere frumentaceo etiam adscribitur, hominum non aspernandum edulium, quo pro compescenda aluo passim vtimur.

DE CHONDRO ET FARRE.

Græcè, χόνδρος: Latinè, alica, altera spelta, far: Italicè, scandella, farro: Arabicè, chandaros.

Enarratio XC.

CHondrus, vagum nomen est, nam quandoque valentissimum significat triticũ, quod Hispani triticum à Candia: Lusitani verò canorum: Itali autem album, siue caluisium triticum appellant, ex quo panes albissimi hodie

Chondri, nomen vagum.

Alix quid

die parantur, in quo significatu apud Galenum semper reperitur, pulticula verò ab hoc tritico parata alix vel chondrus appellatur. In alio verò significato chondrus reperitur, zeę id est speltę specie quandā significans, quę in spica alas duas tantum habet, id est duos ordines, in quibus granum continet, qua de causa, dicoccum quasi duo habens grana vel duos ordines, à Dioscoride vocatur, quum tamen in hordeo quatuor comperiantur, hoc autem frugis & zeæ genus, ab Italis scandella dicitur, ex qua far paratur, quanquam ex Galeni chondro, far quoq; parari sciamus. Huius verò scandellæ pulticula halica appellatur. Olim granum hoc gypso siue creta conseruabatur, veluti hodie zinziber rubra terra, à qua quū pro cibo sumebatur, optime lauabatur, vt meminit Gal. li. j. Alimēt. cap. 6.

DE MILIO.

Græcè, κέγχρος: Latinè, milium: Hispa. milho miyo: Italicè, miglio: Arabicè, giaures: Gallicè, mil, ou, millet: Germanicè, Hirss.

Sorgi.

Milium.

Enarratio XCI.

Milium, vulgo notũ ſemen, quod foris impoſitum in ſacculis, colicis doloribus, idoneũ eſt remediũ, Verùm Galenus ipſum refrigerare primo ordine, tertio verò exiccare lib. 7. fatetur: Poſteriores verò illi vires refrigerandi, in tertio gradu, ſiccandi verò in ſecundo aſsignarunt. At ex illius farina cũ lacte placentæ parãtur, quas ruſtici in victu tanquã Deorũ ambroſiam habẽt: non minus quoq; panes ex ea cũ melle conficiunt, quibus ruſtici præcipuè Portugallię maxime oblectãtur, & eos ſua voce boroas appellitant. Cæterũ aliud milium craſſum eſt, figura & colore maliguetæ, ex quo Italiæ infima plebs panes conficit, & illud ſua voce, meleguã, vel ſorgũ, veluti Luſitani, milium zaburrũ vocant: vnde Ruellius hic taxandus venit, qui panicum apud Italos meleguam appellari dixit. *Milium.* *Ruellius fallitur.*

DE PANICO.

Græcè, Ἔλυμος: *Latinè*, *panicum*: *Hiſp.* *paniz*, *painſo*: *Italicè*, *panico*: *Arabicè*, *dochon*: *Gallicè*, *paniz*: *Ger.* Heydenfenich, oder fenich.

Panicum.

Enarratio XCII.

Panicum.

IN Hiſpania, & vniuerſa Italia, panicum ſuauius quàm in Aſia prouenit, vt refert Gal. lib. j. de Facul. aliment. cap. 151. & vt li. 6. de Facul. ſimplic. medicam. ait, ex leguminum genere eſt, milio ſpecie ſimile, facultate certe pauci nutrimenti, & exſiccatoria, ſiſtit quoque nonnihil ventris fluxus, ceu ipſum etiam milium, ſi vero foris illinatur exſiccat atque refrigerat, At huius farinam, ad eoſdem vſus, ruſtici vſurpant, ad quos, milij.

DE SESAMO.

Græcè, σήσαμον: Latinè, Sesamum: Hispan. Iorgilim, alegria: Italicè, Sisamo: Gallicè, Sisame, ou Iugliome, vel Iugioline: Arabicè, sensera.

Enarratio XCIII.

sesamum stomacho gratum.

NOn tam contemnẽdum Sesamum in cibo est, quàm hic à Dioscoride & Græcis describitur: quum re vera sesamum gratum stomacho esse percipiamus, abunde corpora pinguia efficiens: ex quo placentulæ sesamoides cum melle, non quidem crudo, vt Galeni tempore, sed discocto hodie conficiuntur, stomacho admodum gratæ. Ex eo verò oleum, apud Græcos & Turchas in maxima copia hodie paratur: in cibo secundum locum bonitatis post oleum oliuæ habens. Nascitur autẽ sesamum, vt propriis vidimus oculis in planta quadam tricubitalis altitudinis, caule quadrato, folio parietariæ sed ampliori, siliculis triquetris: in quibus semen obcluditur sesamum dictum, quod moderate calidum esse Galenus libr. viij. de Facult. simpl. medic. fatetur dicens: sesamon non parum in se continet viscosum & pingue, quare emplasticum est & emolliens, ac moderate calidum. Eiusdem facultatis est quod ex eo conficitur oleum, & herbæ quoq; decoctum similem vim obtinet, cætera vero apud ipsum libr. j. de Facul. alimen. cap. xxx. legere ne pigeat.

Oleum sesaminum.

DE LOLIO.

Græcè, ἄιρα: Latinè, Lolium: Hispanicè, yoio: Italicè, Loglio, Gallicè, yuraie: Arabicè, Zeuen: Germanicè, Raden, Iuualch:

Enarratio XCIIII.

QVi mecum olim lolium pseudomelanthiũ esse opinabantur, omnino retrahendi sunt, quum revera, lolium granum pernicioſissimum inter triticum & farraginem hordeúmve nascens, sit: non vero pseudomelanthium dictum, flosculus scilicet purpureus, segetibus frequens. Est igitur lolium, quod Hispani & Itali seruata voce, parum tamen corrupta Iolium appellant, granum scilicet farragini, secale dicto, persimile, quod quum anni

consti-

constitutio parua, pluuiosa, & plus iusto humida est, multum innasci contingit, quinimo tunc triticum in lolium vertitur. vt Galeni pater agriculturæ, studiosior factus, adnotauit, vt de eo Galenus vltimo capite libri primi de Facul. alimen. memoriæ commendauit. Est enim lolium, vt eodem loco idem meminit, ingratissimum perniciosissimumq; hominibus, capitis grauedines, dolores, & vertigines faciens, imò homines ipsos furiosos, & cæcutientes reddens: Vnde & merito Aristoteles, in libro de Somno & Vigilia, inter ea quæ capitis grauedinem efficiunt, lolium adnumerat. Curandum igitur est, triticum optime à lolio purgetur, quum eius esu succorum prauitas maxima gignatur, à quibus tot tantaq; dicta mala oriuntur: eius tamen farina, ad curandas nomas, veterа vlcera, gangrænas, lichenes, strumas & lepras multum valet. Cæterum spica lolij, parum à phœnicis herbæ spica differt, & nisi quis exacte instructus in re herbaria fuerit, proculdubio inter vtranq; discrimẽ ponere nesciet. habet enim lolium, folia super spicam, phœnix vero non habet, calidum enim lolium est, in principio tertij ordinis excalfacientium, secundi vero extremo exiccantium, vt Galenum adnotasse legimus lib. vj. de Facul. simpl. medic.

Triticum in lolium vertitur.

Lolij farina.

Phœnix.

Lolium calidum in 3. siccum vero secũdo.

DE AMYLO.

Græcè, ἄμυλον: Latinè, amylum: Hispanicè, Italicè, amido: Arabicè, nixe: Gallicè, & Hisp. amydon: Germanicè, Ammelmel, amlung.

Enarratio XCV.

Amylon.

AMylon ex tritico fit, sic dictum quòd sine mola conficiatur, hodie verò indocte aromatarij amidum vocant, quod natura frigidum est: vt tradit Gal. lib. viij. simpliciuin, capite de tritico: Similem quoq; panibus lotis facultatem habet, vt ipsemet scribit lib. j. de Alimentorum facultatibus, ex eo verò & succharo, sauonea pectoris & pulmonis vitiis accommodatum medicamentum paratur. Nam amyli quoq; in re medica multus vsus est: miscetur enim maximo iuuamento clysteribus ad dysenterias & bilioſos fluxus faciẽtibus, quia qualitatis expers est, & adstrictionis particeps.

DE FOENO GRAECO.

Græcè, τῆλις, βόκρως: Latinè, fœnogræcum, fœnum græcum: Hiſp. alforuas, alholuas: Italicè. fien greco: Arabicè, olba: Gallicè, fœnigræc, ou ſenegre: Germanicè, Bocks horn, oder kuohorn.

CONSTANTINVS.

FOenumgræcum à Græcis authoribus, multis vocatur nominibus, dicitur τῆλις περὶ καρφῶν καὶ αἰγόκερας περὶ βόκερας Theophraſto lib. iiij de hiſtoria plantarum Cap. 5. Necnon Galeno (tametſi Menetheus adnotarit hac voce etiam Anagallidem ſignificari) Latinum etiam nomen habet, nam quia corniculi inſtar ſiliquatur, vocatur etiam à Columella libro vndecimo, ſiliqua. à Plinio vero lib. xxiiij. Cap. 8. in quo recenſet Fœnigræci vtilitates in medicina, nominatur Silicia: cuius hæc verba: Nec Fœnogræco minor authoritas quod telin vocant, alij carphos. Aliqui buceras, alij ægoceras, quoniam corniculis ſemen eſt ſimile, nos Siliciam. quam idem author libr. xviij. Cap. 21. Sicuti & phaſeolos, tradit occari tantum, non autem runcari.

Enarratio XCVI.

Fœnumgræcum.

Fœnugræcum calidũ 2. ordine, ſiccum primo.

FOenumgræcum, ſemen vulgatum eſt, in ſiliculis corniculatis, cuiuſdam herbæ trifolio perſimilis, naſcens: quod referẽte Galeno lib. viij. Simplicium, calidum eſt ſecundi ordinis, deſiccat primo. Proinde feruẽtes phlegmonas irritat, acerbatq; : quæ verò minus ſunt calidæ & magis duræ, eas digerendo curat. Verum admiſcendũ eſt fœnogræcũ decoctionibus & medicamentis pectori conuenientibus, vt ex Gal. deprehẽditur lib. j. de Facul. alimẽ. cap. 25.

DE

DE LINO.

Græcè, λίνον: *Latinè*, *linum*: *Vulgò*, *lino*: *Arabicè*, *bazarichichen*: *Gallicè*, *lin*: *Germanicè*, Flachs.

Enaratio XCVII.

Linum.

Lini semen temperatè frigidũ est.

NOn opus est quicquam de lino dicamus, quum vbiq; vulgatissimum sit, cuius semen ad eosdem ferè vsus medicos vsurpatur, ad quos fœnugræcum deseruit, eo tamen lini semen temperatius est, quum Hippocrate teste, libro secundo de Diæta, comestum aluum sistit, habet & quiddam frigefactoriũ. Quibus verbis Paulus subscribit: Galenus tamen, in primo ordine quodammodo calidum, ac humiditatis & siccitatis medium tenens, libro septimo simplicium collocat: At ex eo confectum oleum ad neruorum ægritudines multum valet.

DE CICERE.

Græcè, ἐρέβινθος: *Latinè*, *cicer*: *Hispanicè*, *grauancos*: *Italicè*, *cice*, *ceci*: *Arabicè*, *chemps*: *Gallicè*, *pois ciches*: *Germanicè*, Zysern.

Enarratio XCVIII.

Cicerũ tria genera.

TRia hodie cicerum genera reperiuntur, alba, rubra, & nigra: Alba in victus vsu cæteris meliora sunt: nigra verò & rubra, rei medicæ expetuntur, præsertim arietina, quæ nigra & parua sunt, arietina dicta, quia ca-

Arietinum cicer.

Cicer.

Cicerum vires.

put arietis figura referant. Ex ciceribus autem satius est ipsorũ succum in aqua coctum bibere, vt cõsulit Galenus lib. j. de Facultat. alimen. cap. 22. & nos ipsi in praxim duximus: de quibus Galenus sexto de Facultat. simplic. medicam. ita loquitur: Cicer legumẽ est flatuosum, copiosi nutrimenti, aluo mouedæ habile, ciendæ vrinæ idoneum, lacti & semini generando aptum: prolicit verò & menses: Cęterum quod arietinum dicitur, efficacius vrinã prouocat, cuius decoctum renũ calculos frangit: Reliquum erebinthorũ genus eadem vi pollet, puta attrahendi, digerendi, incidendi, extergendi, sunt enim calidi & modice sicci, participes item amaritatis: cuius vi & lienẽ & iecur, & renes expurgant, psoraſq; & lepras & lichenes extergunt, tum parotidas, & testes induratos discutiũt, tum vlcera maligna cum melle sanant. Viridia nanq; cicera, ab effrenatis pueris, & gulosis hominibus vbiq; hodie comeduntur, quæ excrementosum alimentum, & humidum præbent, non minus frixa sale, vt tempore Galeni quoque ac fabæ parantur: quæ licet flatum deponant, concoctu tamen sunt difficillima, & succi crassi alimentum corpori exhibent, vt de aliis omnibus latius Galen. libro primo de Alimen. facultatibus capite nono disserit.

Cicer viride.

DE FABIS.

Græcè, κύαμος: *Latinè*, *faba*: *Vulgò*, *fava*: *Gallicè*, *febue*: *Arabicè*, *Bachale*: *Germanicè*, Bonen.

Enarra

Enarratio XCIX.

Faba.

Κύαμος, faba oblonga, aliquantulũ plana, compreſſaq; facie, in ſiliquis, nunc ternæ quaternæq; naſcuntur, nigro vmbilico, ſeu oculo, ita magnæ, vt duæ drachmã vnam pendãt, qua ratione, noſtratem fabam, diuerſam ab antiquorum faba eſſe certo crediderim: & primo quòd ita res ſe habeat, mõſtratur, quia antiquorũ fabę, non latæ, planæ, aut oblongæ ſunt, imò potius rotundę ac admodũ paruæ, quod ex Galeno elicitur lib. j. de Facultat. aliment. capite de aphaca & vitia, vbi inquit: Horum ſeminum figura non rotunda veluti fabarũ, ſed aliquantulum latiuſcula ſimiliter lenti, ex qua comparatione ſimilitudinéve facta, ſatis percipitur, fabas antiquorum, rotundas paruasque eſſe. Item Galenus lib. xj. de Facult. ſimpli. medic. oniſcos, multipedes vermes, etiam cyamos, id eſt fabas appellari tradit, hac tantum de cauſa, quia dum contrahuntur, fabarum figurã imitantur: nunc verò eaſdem beſtiolas in rotundiſsimas pilulas conuolui experientia indicat, cui ſubſcripſit Scribonius Largus, ac Paulus lib. vij. ſuæ medicinæ, quum dicat: oniſci vermes in humidis locis agunt, & tacti in orbem ſe conduplicant: iis Dioſcoridis verba ſuffragantur capite de iunipero, in quo illius ſemina rotunda, fabis comparare videtur. Prætereà deſcribunt authores caput, cui titulus eſt, ſi faba, vel aliud quippiam rotundum in aures ceciderit. Quibus omnibus ſatis conuincitur, quòd antiquorũ faba exigua rotundaq; ſit. Accedũt quoque dictis, quod libello Galeno inſcripto,

Antiquorũ faba exigua & rotunda erat.

Obolus quid.

de ponderibus & menſuris, legimus, in Aegypto cyamo obolus ſemis, id eſt, Aegyptia faba ſemi obolum pōderis habet. At obolus drachmæ ſexta pars eſt, ita vt fabam Aegyptiam duodecimā drachmæ partem habere ſtatuat, quum ſemioboli pondus habeat, ſed quum faba hæc Aegyptia multò maior ſit, quàm hæc à Dioſcoride & Græcorum nonnullis deſcripta, ſequitur fabam hanc Dioſcoridis admodum paruā eſſe, quum ſemiobolum nondum ponderare tradat. Sed quòd faba Aegyptia, Dioſcoridis hac deſcripta faba ſit maior, ſequentis capitis verba atteſtantur, quæ ita habēt: comeditur viridis faba hæc, etiam nigreſcit ſiccata, maiorq; communi faba eſt, ex quibus verbis luce meridiana clarius patet, quòd fabæ hæ Græcorum, multum à noſtratibus ſunt differentes, quum noſtrates, non tam obolum, quàm ſemi drachmam ferè ponderent, quare antiquorū fabas à noſtratibus diuerſas eſſe, nemo deinceps dubitabit. Cætera verò de fabis, legito apud Galenum, & Eraſmum Roterod. libro Chiliadum. Sunt enim fabæ frigidæ & ſiccæ, ac flatuoſæ, vt libro vij. de facult. ſimpli. medicamentorum legitur.

DE FABA AEGYPTIA.

Græcè, κύαμος ἀιγύπτιος: Latinè, Faba Aegyptia: Hiſpanicè, inhame: Italicè, faba de Egitto.

Enarratio centeſimi capitis.

Faba Aegiptia inhame eſt.

REcte admodum tradit Dioſcorides Aegyptiæ fabæ radicem, olim homines comedere, quum hodie ſciamus, ea, multo plures quàm tritico aut fruge altera ali. Nam innumeri ferè dixerim Aethiopum populi, Nigritarumq; ampliſsima regio, hanc radicem in cibo, panis loco, tantum habent, quam ſua voce, inhame vocant, radicem albam, quam meliorem dicunt: ruffam verò minus bonam, brachialis craſsitudinis, magnitudinis verò vulgarium raporum: quam crudam, & ſub cineribus coctam, aut aqua elixam, per ſe vel cum oryza manduntr Nec enim in Aethiopia tantum, aut Aegypto, vbi colocaſium appellatur, radix hæc inuenitur, ſed in Luſitania, præcipuè apud Salatium, oppidum Setubalum hodie dictum, vbi in lacubus nonnullis perbelle creſcit, Dioſcoridis

dis hiſtoriæ in vniuerſum reſpõdens: nec minus Venetiis faba hæc Aegyptia, in nonnullis amœniſsimis hortis ſata cernitur, folio peramplo, nenupharino æquali, quod Ioannes Falconerius Anglus, vir doctus, & ſimpliciũ medicamentorum diligentiſsimus inueſtigator, mihi & doctiſsimo Braſauolæ tanquam rem raram Ferrariæ monſtrauit. Nos verò vt verum dicamus, millies hanc comedimus radicem, & illam quidem ſub cineribus coctã, cuius ſapor, caſtanearum ſapori reſpõdet. Nam alimentum penitus humidum radix hæc præbet, non minus ac radices aliæ, quæ ex inſulis Capiuiridis afferuntur, batatæ dictæ: quibus quoq; populi illi, loco panis vtuntur, & eas Olyſſipponenſes frequentiſsimè habent, & in victu pro delitiis ſumunt. Prætereo alias plures apud inſulam Maderię naſcentes radices quæ inter res nouiter inuentas adnumerari debent, de quibus volumen amplum confici poſsit. *Batata radix.*

DE LENTIBVS.

Græcè, φακὸς: Latinè, lens: Hiſp. lẽteyas: Ital. lentichie: Arab. hades: Gallicè, lentilles: Ger. Linſen.

Enarratio c 1.

ΦΑΚΟΣ, lens eſt, legumen vulgò notum, quòd comeditur & in cibi vſum hominibus venit: Cæterum diſſentionem inter Dioſcoridis interpretes habitam, prætermiſſam facimus, quum quidam, lentẽ cum ſuo cortice in cibo ſumptam aluum cohibere tradat: Alter verò, potius eam emollire fateatur: cùm reuera Galeno, ac Paulo, imò & Plinio adhærentes, fatendum eſt, lentem ſecundum ſui totũ, corpus adſtringere, ſed in præſenti mirari ſatis non poſſum, medicorum tam ſtupidam credulitatem (ne vecordem cæcitatem dicam) eorum præcipuè qui lentes ægrotis, maximo, vt dicunt, porrigunt ſuuamento, quum reuera, vt Antiquis placet, maximè obſint, & ſæua ſecum afferant ſymptomata: Sed quòd ita ſit, nemo eſt qui ignorat, quum omnes ferme noſtri ſeculi medici id maximè conentur, vt omnibus ægrotantibus, tertiana, quartana, ſcotomia, vertigine, ac cephalalgio, veluti aliis morbis, inter quos pleuritim nominare eſt, lentes, tanquam præſtantiſsimas ac boni ſucci, in victus ratione, dent: quòd

quantum errent, ac cõtra rationem agant, primo veterum testimoniis: deinde ratione vna aut altera demõstrabimus. Ne tamen Andabatarum more incedamus: sciant qui hęc legerint, si modo quis legerit, errorem, & malam consuetudinem istam, ex quibusdã male versis ac traductis Auicennæ verbis, Fen decima libri tertij, de Cura pleuritidis, effluxisse, quæ sic habent: Et maximi quidem erroris est, in potu tribuere infrigidantia vehementia, nisi in factis excolora, & non dentur in potu infrigidantia styptica, & cibi eorum sint sicut lentes, cum acetositate, & similibus. Hæc Auicennæ verba, quæ vt non solum, reliquis in ægritudinibus ansam, medici lentes concederent, sed etiam in pleuritide dederunt: quibus simul Rasis verba annectere possumus, libro ad regem Almansorem nono, capite de Cephalgia, id est capitis dolore, qui tapsil siue taxil ibi concedit. Est autem taxil, ipso Rasi teste libro suorum Synonymorum, cibus qui de lentibus coctis fit, quibus quoq; addere possumus sexcentorum aliorum Arabum confirmationes quorum authoritatibus fulciti hoc tempore practici, præcipuè Hispaniæ, omnibus ægrotantibus lentes dare nituntur: Sed quàm male agant, ac contra rationem operentur, indicemus, & primo, occurrit Galenus commentario primo, de Ratione victus in morbis acutis, enarratione decima octaua, cuius verba ita habent: Lens siquidem, & milium, & fœnogræcum tanquam medicamenta ob quosdã ventris morbos exhibentur, & non tanquam nutritura cibaria, hæc Galenus. Quibus percipitur, quòd lentes inter cibaria non reponuntur, ac inde nullatenus pro victus ratione ægrotis dandas fore concludendum est, quod sane Galenus diligens, quanquam ibidem non exposuit, alibi tamen non siluit, quin imo non minorem in hac re legem sanxiuit, illa Platonis, lib. ix. de Legibus, quæ habet, medici qui curantes sponte occiderint, morte plectantur. locus autem Galeni est, commentario citato, enarratione vero vigesima septima, vbi ni fallor suadet, monetq; capitali pœna, ne lẽtibus quisq; vtatur, sed præcipuè in pleuritico morbo, in quo & Auicenna eiusq; sequaces vnanimiter maximè laudant. Galeni igitur hæc sunt verba: Qui lenticulam ex aceto confectam pleuriticoin ea morbi declinatione, quæ nihil aliud quàm

Taxil quid.

Medici lentibus in pleuritide vti non debent.

quàm coctorum expuitionē desideraret, exhibuit: is non immerito languenti ipsi qui sequēte nocte suffocatus est, mortis occasionem dedisse est visus, imo lenticulam nemo qui mentis compos fuerit dederit. Hactenus Galenus, qui clarissime inquit, nullum medicum rationis participem esse qui lentibus alat ægrotantes pleuritide affectos: quòd si quis vero ita amusos, & irrationalis, declinante iam morbo, ægrotanti eas dederit, & sequenti die obierit, talem medicum mortis causam esse, tanquam legem adscribit, vt inde iudices, & recuperatores, damnum illatæ mortis vindicarent, sed hæc multo clarius Vetus traductio indicat, quæ sic habet: & medicus etiam qui dat infirmo, qui habet pleuresim, postquam declinat eius ægritudo declinatione completa, ita vt indigeat non aliqua rerum, excepto sputo illorum humorum qui digesti sunt cum sputo, lentes frigidas factas cum aceto, necessario putatur de eo, quia ipse est causa mortis eius, propterea quòd suffocatur in nocte secunda: Verumtamen, tu non inuenies aliquem ex iis quibus est ratio, qui lentibus cibet infirmos. Hactenus vetus traductio, quę vniuersalius quàm noua loqui videtur, nec sane immerito hæc à Galeno prodita sunt, quum lentes omnino pessimi sint nutrimenti, ac multarum affectionum causę primariæ, vt Dioscoridis præsentia verba indicant, quæ ita habent: Lens hebetat oculorum aciem, si eius multus est cibus, ægre eadem concoquitur, stomacho nocet, stomachum & intestina inflat, aluum cum suo cortice in cibo sumpta compescit, adstringēdi vis & natura ei est, ideoq; aluum sistit, cortice suo denudata diligenterque elixa, & prima in coquendo diffusa aqua. Aluum enim soluit primum eius decoctum: grauia etiam & tumultuosa insomnia lens facit, neruis, pulmonibus, & capiti inimica, felicior illi contra alui fluores sua vis est, Hæc inter multa Dioscoridis. Quibus Galenus libro primo alimentorum, & octauo de Facul. simpl. medic. subscripsit, qui iis in locis lentibus, adstrictoriam vim tanquam præcipuam tribuit, à quo nec Paulus dissidet, imo Auicenna ea omnia dicta confirmat, dicens lib. ij. sui Canonis: lens est inflatiua, & composita ex virtute constrictiua & abstersiua, & facit videre somnia mala, & stypticitas eius corticis est pluri-

Lentium natura.

Auicenna.

ma,

ma, & in ipſa tota eſt inflatio plurima,& inſpiſſat ſanguinem, vt non currat in venis, &ipſa minorat vrinam & menſtrua propter illud,& generatur ex ea humor melancholicus, & ægritudines melancholicæ, & fortaſsis res hordei eſt lei contraria. Raſis præterea libr.iij.ad Almanſorem cap.ij.non procul à dictis, inquit, lenticulæ frigidæ ſunt & ſiccæ,& ſanguinem generant melancholicum, corpuſq; deſiccant, ſperma quoque deſtruunt, atq; ſanguinem ſedant, cuius quoq; extinguunt caliditatem, infrigidant enim, atq; oculorum tenebroſitatem & melancholicas ægritudines efficiunt: præſertim quum aliquis in comeſtione eis frequenter vtitur, quod & in Aphoriſmis, vt verum,veluti multis aliis in locis,repetere voluit. Si igitur à lentibus tales oriuntur affectus,vt omnes fatentur, proculdubio earum vſus reprobus iudicandus eſt. Nam earum præcipuum iuuamentum, ſanguinem condenſare eſt,vt omnes ipſis vtétes,pro victus ratione ægrotantium fatentur: Nocumenta vero quàm plurima dicta ſunt, quare non mentis compos medicus cum Galeno dicendus eſt ille, qui propter vnum, tam multa obnoxia ac ſæua accidentia inducere ægrotis veritus non eſt, præſertim quum eius intentio reliquis non ita peſsimis medicamentis, aut cibariis perfici poſſet: ſed age, illas nullius, in medico vſu, commodi eſſe, indicemus,& primo prẽter tam multa quæ habent incommoda, pauca hæc atteſtantur, ægrè concoquuntur, prægrauant ſtomachum, difficillimum reddunt ventris officium,grauia & tumultuoſa inſomnia faciunt, quorum quodlibet ægrotis ſuperueniens,maximum eſt malum,& ægrum ad vitæ periculum trahens. Non me præteriit tamen, hac in re nonnullos extare,qui lentium ſubſtantia ægrotos non ali, ſed earum decocto tantum aſſerant, qui mea ſententia, non minore errore quàm cæteri comprehenduntur: Nam vt cætera mala lentibus omnes tribuunt, ſic earum decoctum primum, aluum proritare fatentur: qua ratione, reliqui earum iure ſiue decocto tantum vtantur, non vero ſubſtantia, ſuadent:ſed revera à ratione quàm maxime diſtrahuntur hi, quum & ſi earum decoctum ventrem ſubducendi vim habeat, non ea tamen de cauſa, vt rem bonam ægrotis propinare debent.Iure enim cenſendum eſt,quum lentes

Raſis.

tes pessimæ sint, earum quoq; decoctum pessimum esse, præsertim hodie, quum & si decocto earum ægri tantum vtantur, lentibus ipsis reiectis, quod difficile fieri est: ipsarum tamen cortices à decocto inseparabiles sunt, qui lentium corporibus peiores sunt, vt testatur Hippocrates, lib. iiij. de Ratione victus in morbis acutis, quum dicat: lens adstringit, atq; turbationem facit, si non detracto cortice ingeratur: cuius verba enarrans Galenus, ibidem ita inquit: Vocem hanc ἄμαδον turbationem quandam, & veluti pugnam quæ in ventre ex discrepantibus facultate cibariis oritur, significare dixi, quomodo & nunc significat, si cũ cortice adsumatur, vt pote quæ quàm caro ipsius longe coctu difficilior existat. Hæc Galenus. Quibus satis monstratur, lentium cortices, qui cum decocto eueniunt, lentium ipsarum corporibus peiores esse, atq; inde ipsorum decoctum, propter corticum admixtionem malum proculdubio censendum est. Dictis adde, quòd licet cortices decocto non misceantur, non eo tamen vti debemus, quum olim si lentium vllus erat vsus, præparabantur tamen oleo, garo, satureia, vel pulegio admixto, quod sane hisce temporibus minime fit, vel saltem alijs ipsas commiscebant eduliis, vt ptisanæ, illis contrariam facultatem habenti: ex quorum commixtione, quoddam præstãtissimum edulium componebatur, quod Græci sua voce φακοπτισάνλω vocant, vel potius betis adiungebantur, vt Heraclites Tarentinus consueuit, qui mixtum inde resultans, πτισσοφάκλω appellare consuebat. Quum igitur iis temporibus, nullo horum modorum, lentes præparentur, sanum consilium esse crederem, si ipsis nequaquam vteremur: quum per se sumptæ, malæ sint, imò omnino interdicendæ, vti fabæ inter Pythagoricos. Prædictis Hippocratis verba astipulantur libro de Ratione victus in morbis acutis, quum dicat, legumina omnia flatuosa sunt, & cruda, vbi ea omnia seu suam singulã malignitatem habentia, penitus à consortio bonorum ciborum eliminantur. Cui sententiæ Cornelius Celsus libr. ij. suæ medicinæ apertissime subscribit: quare nullatenus lentes esse dandas manifeste percipitur, atque id magis, quum quoq; illud sit notum ex Epidemiarũ libro, quam malè id successerit iis qui in æno legumina esitarũt, quod

etiam

etiam Galenus repetit lib. iij. Aphorismorum, aphorismo decimo septimo: quibus perpendere debemus, omnino noxium esse ægrotos ipsis leguminibus alere, inter quæ lentes præcipuè adnumerare est, quas non immeritò Iudæi tanquam funebre edulium, in cibo, luctus tempore accipiunt. Præterea cibi illi qui non conueniunt sanis, minus conueniunt ægrotis quatenus cibi sunt, sed nulla legumina quatenus cibi rationem subeunt, sunt sanis conducentia, vt ex Auicenna percipitur, cap. de eo quod comeditur & bibitur: & Hippocrate, vltimis verbis libri de affectionibus, quæ habent: cibaria & potus & obsonia exceptο pane, & maza, & carnibus, & piscibus, & vino, & aqua, reliqua omnia tenues ac debiles vtilitates exhibent ad augmentum, & ad robur, & ad sanitatem, tenuia item ac debilia mala ab ipsis fiunt: sequitur quod nec ægrotis danda sunt. Iis adde præcipuè lentes quum Galeno authore libro secundo de Locis affectis capite sexto, leguminum omnium maximè lentes inter melancholicos cibos numerantur. Animaduertant igitur, qui libros de Victus ratione febricitantium, inscribunt, in quibus lentes laudant, quanto deprehensi sint errore, præcipuè Brudus Lusitanus, qui etsi sæpe à me de hac re monitus fuerit, nunquam tamen à prauo errore & inueterato se abstinere & retrahere voluit, forsan patris sui secutus opinionem, qui Arabum maximus erat assecla, nomine Dionysius, qui olim cum Brisoto Gallo, de pleuritide longos habuit sermones. De qua re extant vtriusq; Apologiæ. Cæterum si quis nobis opponat Paulum & alios Græcos viros, lentes ægrotantibus dare, id verum esse fatemur, quum eas tanquam repercussorium medicamen concedunt, vt capite de dolore capitis proueniente ex vini nimio potu legitur, veluti pro exiccandis corporum humiditatibus, & sanguine condensando, illis Galenus & Hippocrates vtuntur. Vt receptui igitur canamus, firmiter asseueramus, lentibus nullatenus in victus vsu vtendum esse, quum atrabiliosæ sunt, vitiosum ac pessimũ succum gignentes, vt ex dictis luce meridiana clarius percipitur. Nec enim candide lector, te moueat Auicennæ authoritas à nobis allegata, quum proculdubio nobiscum agit, & ad Galeni mentem, à lentibus & rebus

Lens funebre edulũ est.

Brudus Lusitanus.

& rebus ſtypticis in pleuritide abſtinẽdum eſſe ſuadet, ita enim Bellunenſis lectio habet, & maximi quidem erroris eſt, in potu tribuere infrigidantia, vehementia, niſi in factis ex cholera, & dare in potu infrigidantia ſtyptica, aut dare eis in cibo lentes cum aceto, & ſimilibus. Hæc enim Auicennæ verba, ſic à lentibus pleuriticũ abſtemium eſſe mandant, vt nihil clarius dici, aut excogitari poſsit, vt olim Doctor Alteretus præceptor meus nunquam pœnitendus, Salmanticæ, primus, viua voce detexit.

DE PHASEOLO.

Græcè, φασιόλος: Latinè, phaſiolus, phaſeolus, dolichus, lobus, eruilia: Hiſpanicè, eruiyas fauas, eruilhas fauas: Italicè, rouiglione grandi: Gallicè, phaſeoles.

Enarratio CII.

Phaſioli.

Phaſeolus eruilia.

PHaſeolus ſiue phaſiolus, quadruplici ſyllaba ſcriptus, magna & non vulgaris eruilia eſt, magnam dico, ad differentiã alterius paruæ, & communioris eruiliæ, quam Galenus ochron appellat. Hæc igitur de qua agimus eruilia, à Theophraſto dolichus vocatur, quæ Galeni tempore, phaſeolus vel lobus appellabatur, quam vocẽ vel hodie adhuc Luſitani noſtri, maximi Græcanicarũ vocũ ſeruatores, incorruptam ſeruarũt, vocantes vtiq; eruiliam hanc, eruiliam fabam: nam quum fabã ſuperaddunt, ſiliquam magnã vel vaginam, qua eruiliũ iſtud grana ſua occluſa habet, ob quam quoq;

quoq; olim lobos appellari meruit, intelligũt, vnde Theodorus Gaza optimè admodum (vt mea fert opinio) hanc siliquam vertit, tametsi alteri quoq; legumini vox hæc conueniat. Crescit enim eruilia hæc ita procere, vt ex ea & tentoria, & scenæ ac tabernacula recte cooperiri possint, cuius siliquæ videtur magnæ, oblongæ, splendentes, & minime pilosæ: Communis vero eruilia parum propagatur, serpitve, cuius siliquæ semidigitales sunt crassæ & hirsutæ, quas Galenus, vt dixi, lib.j. de Facul. alimen. cap.28. ochron appellat, & de illis Hippocrates, libro de Diæta secundo, mentionẽ facit. Nam phaselus tribus syllabis inscriptus apud Dioscoridem smilax hortensis est, hodie phaselus nominatus.

Ochron eruilia vulgariũ.

DE OROBO.

Græcè, ὄροβος: *Latinè*, *Orobus*, *eruum*: *Hispanicè*, *Ieruos*, *hiezgos*, *cizylaon*, *eruilhaqua*: *Italicè*, *Mocho*: *Gallicè*, *ers*: *Arabicè*, *Kersene*: *Germanicè*, Vvicken, Eruen.

Eruum.

Enarratio CIII.

ORobum verũ pauci dignoscunt, quũ plerique eius loco eruiliam accipiunt, non sine ingenti tamen errore, etenim vero multi hodie album dant, albo, & rubro: nam album in eius paranda farina Dioscorides eligendum suadet, Galenus vero rubrũ potius desiderat, quum potentius albo sit, vt libr.j. de Facul. alimẽ. legitur, & de illius viribus octauo de Facul. simpl. medi. ita quoq; tradit: Desiccat quidem excessu secundo intenso, calfacit vero

Eruum rubrum eligẽdum.

Erui temperatura.

vero primo : porro quatenus amaritatis est particeps, eatenus incidit, extergit, atq; obstructiones expedit. Cæterũ si sumatur copiose, sanguinem per vrinas euocat.

DE LVPINIS.

Græcè, θέρμος : Latinè, Lupinus : Hispanicè, Entra muces, entra mocos : Italicè, Lupini : Gallicè, Lupin : Arabicè, Arinus : Germ. Feigbon.

Enarratio CIIII.

Lupini.

LVpini vbique sati, prospere crescunt, qui circa triticum, & segetes, seruntur, vt terram nidorosam, ad se, tanquam proportionanatum nutrimentũ trahant. Sunt enim vt tradit Hippocrates libro de Diæta secundo, natura robusti & calidi, verum per præparationẽ leuiores ac frigidiores fiũt & aluo secedunt. Galenus porro de lupinis ita tradit : Lupini dura ac terrestris est substãtia, quocirca ipse concoctu sit difficilis, succumq; crassum gignat est necesse, ex quo nõ probe invenis confecto crudus proprie appellatus succus aceruatur. Hęc de amaris. De dulcibus vero ita subdit. Cęterũ, quum inter parandũ quicquid habuit amaritudinis deponat, τοῖς ἀποίοις, id est, qualitatis quæ sensu deprehendatur expertibus, similis euadit : par igitur est ipsum neq; ad deiectionẽ, neq; vt adstringentia, ad fluentis ventris cohibitionẽ esse accommodatũ, & tarde descendere & difficulter deiici, ac pertransire, &c. Huius vero farina in officinis parata habetur, quę exterius vmbilico admota aliis admixta rebus,

Lupini calidi.

Lupini dudes.

puerorum vermes interficit. Cæterum, in descriptione syrupi de cichorea legitur, Lupinorum, loco, vt arbitror, lupulorum, tametsi lupini in eo syrupo merito iniici possint, quia extergendi digerendiq; ac iecur & lienem expurgandi vires possideant.

Syrupus de cichorea examinatur.

DE RAPIS.

Græcè, γογγύλη: *Latinè*, *rapum*, *rapa*: *Hispanicè*, *nabos*: *Italicè*, *rape*: *Arab. selgen*: *Gallicè*, *naueau*: *Theutonicè*, *rape*, Ruoben.

Rapum satiuum.

Rapum syluestre.

Enarratio CV.

Rapa.

SVnt esui communissima rapa, quorum oblonga quædam sunt, alia verò rotunda, alia alba, alia verò rubra, & ex illis quædam parua, nonnulla verò ingentis magnitudinis, vt singula. 50. & 60. pendeant libras, vt apud Sabaudienses cõspicitur, & Lusitanos, in oppido Sabugalio dicto: Nam apud Hispanos parua quædam oblonga reperiuntur, non nisi tenera, optima, & gustui perquã grata, quæ à loco vbi nascuntur, beyarana appellantur, quibus

Rapa beyarana.

Ferrar

Ferrarienſia non cedunt figura, colore, & ſapore, ac coctura. Rapa craſſum & flatuoſum generant nutrimentum, cocta verò præſertim cum carnibus non aſpernenda ſunt, quum optimum gignant ſanguiné, & venerem incitent, atq; vt nonnulli opinantur, viſum acuant. De quibus Gal. lib. vj. de Facul. ſimpl. medi. ita tradit: Gongylidis ſemen veneré excitat, vtpote ſpiritum flatuoſum procreans: Sic & radix coctu difficilis eſt, inflatq; & ſemen generat. Hæc Galen. Syluestre vero rapum apud Hiſpanos in aruis naſcitur, quod Itali non contenenda cura in hortis ſerunt, & eum omnes cõmuni voce raponeolum ſiue ripancum appellant, alij verò locuſtam, vt alibi quoq; meminimus, ex quo acetarium non aſpernendum parant.

Raparum natura.

Syluestre rapum raponeolum eſt.

DE NAPO.

Græcè, βρυὰς: Latinè, napum: Hiſpanicè, nabicas: Italicè, nagoni: Gallicè, nauet: Germanicè, Steckruoben.

Napum. *Radix.*

Enarratio CVI.

Napus bunias.

EST enim napum bunias dictum, raporum species, cuius semen antidotis contra venenum miscetur: animaduertat tamen diligens lector, quòd bunias napum, à bunio napo differt, de quo lib. iiij. sermo habendus est.

DE RAPHANO.

Græcè, ῥάφανος: *Latinè*, *raphanus*, *radicula*: *Hispanicè*, *rauano*: *Italicè*, *rauanello*, *radice*: *Gallicè*, *raue*, *ou rayfort*: *Germanicè*, Rettich.

Raphanus.

Raphanus syluestris.

Enarratio CVII.

Raphanus radicula dicitur.

RAphanum Columella radiculam appellat oleris vulgatissimum genus, quo ad ciborum prouocandam appetentiam, & vrinam promouendam vtimur, herba caule vno arboreo ferè vt in ruta conspicitur, assurgens: quare multorum Græci, δενδροκάναβον, quasi olus arborescens nominant, Nec gaza Theophrasti interpres aliter vertit. Huius præterea tria Plinius memorauit genera, leue,

leue, crispum, & campestre. Dioscorides quoque simul trium mentionem facit, hortulani, sylvestris, atq; alterius apios dicti, de quo in sequentibus sermonem habebimus. Porro hortulani seminis decocto, plerunq; Galeni consilio, ad prorritandum vomitum vtimur. Nam supremi raphani cortices, cibum in stomacho, vt aiunt coquere adiuuat, secus verò illius medullaris pars, quum terrestris & difficilis concoctionis sit: Si quid tamen in se caliditatis habet, id à corticibus traxisse credendum est. Verum Radicula vt tradit Galenus lib. viij. de Facul. simpl. medica. tertio gradu excalfacit, secundo vero desiccat, & vt lib. ij. de Facultatibus alimentorum legitur, eius radix ex iis est quibus assidue vescimur: estq; obsonium magis quàm alimentum nimirum quæ & ipsa cum manifesta calefactione attenuandi facultatem sortitur: nam qualitas acris in ipsa superat, sed caulis eius elixus magis nutrit quàm cruda radicula: pauciss imum tamen & ipse alimentum præstat. Mirari autẽ subit eos medicos & idiotas, qui non sine multorum incommodo, post cœnam, crudas eas esitandas tradunt. Hæc Galenus, qui Dioscoridi in præsenti omnino contradicit, quum eos taxet medicos, atq; idiotas, qui post cœnam coctionis iuuandæ gratia, crudas radiculas esitant, quum potius in principio cœnæ comedendæ sint, quæ verba vt nostis in vniuersum Dioscoridi contradicunt, quũ Dioscorides ex illis est, qui post cœnam, radiculas comedendas esse tradũt, quem sequitur quoq; Alexander Trallianus, pro quibus conciliandis authoribus, dicimus. Si ventriculus calidus sit, & facile fluat, nec ad flatum gignendum aptus sit, tunc radiculas in initio cœnæ esitare bonum esse: Si vero contrà, post cœnam satius esse. Hanc vero nostram conciliationem Simoni Sethi, vt verum dicamus, acceptam referimus. Sylvestris porro radicula, in aruis & campestribus nascitur, à satiua non multum ab similis.

Radicula tertio ordine calfacit secundo desiccat.

Galenus contradicit Dioscoridi.

Conciliatio.

DE SISARO.

Græcè, σίσαρον: Latinè, Siser: Hispanicè, chirilias Gallicè, Cheruy, Arabicè, Culcas: Germanicè, Geirlin & girgelin.

Siser ſatiuum.

Siser ſylueſtre.

Enarratio CVIII.

Siser quid. IN altum procere ſiſer creſcit, folio elaphoboſco vel apio grandiori perſimili, cuius radices apud Hiſpanos Luſitanoſq; in victu frequentes ſunt, quas Græca voce deprauata, ſuo idiomate chiriuias appellant. Qui verò ſiſer bauciam albam eſſe credunt, omnino falluntur, quum in ſiſeris centro, neruea quædam pars admodum dura reperiatur, & eam vt inutilem, quum radice vtuntur, reiiciunt: quam in baucia non videmus. Cæterum adeo guſtui gratæ radices iſtę ſunt, vt olim Tiberius Cęſar (vt narrat Plinius) eas ſingulis annis, è Germania Romã, pro ſuo victu afferre curauerit, de quarũ viribus ita tradit Gal. lib. viij. de Facul. ſimplic. medic. Siſari radix ſtomacho grata eſt, & vrinam mouet, ſecundo ordine excalfaciens, adiectam habens amaritatem quandam, cum leuicula adſtrictione.

DE RVMICE.

Græcè, λάπαθον: Latinè, Lapathus, lapathũ, lapatium rumex, lapathum acutum: Hiſpanicè, labaca: Italicè,

licè, rombice, Gallicè, doque, pareille ou patience, Arabicè, humadh. Germ. Mengel vvurtz.

DOMESTICVS RVMEX.

Domeſticum lapathon, domeſticus rumex, ſpinachia: Hiſpanicè, ſpinaques, ſpinafres: Italicè, ſpinachi: Gallicè, eſpinarts: Ger. Spinet, oder Binetſch.

OXALIS.

Oxalis, acetoſa: Hiſpanicè, Azederilha, azedas: Italicè, Acetoſa: Gallicè, Ozeille: Germanicè, Ampffer.

Enarratio CIX.

Lapatum acutum.

Rumicis plures ſpecies.

SVnt rumicis, ſiue lapathi, plures & illæ quidem vulgatiſsimę ſpecies, nam quædam quia in acutum, aut in mucronem, cuſpidemque eius folia tendunt, oxylapathon dicitur, quæ plerũque in locis humidis & aquoſis reperitur, & iſta quidem magna, aliquando vero parua, ſuibus & ſcrophis ſaginãdis apta. Nam hippolapathus vel grãdis rumex, foliis permagnis enulę ſimilibus, in aquoſis cernitur locis. Domeſticus verò rumex ſiue hortenſe lapathum, ſpinachia noſtra eſt: nec enim de hoc mirari eſt, quum ſpinachia alata vt acetoſa quædam eſt, quæ in hortis hodie ſeritur veluti olim quoq; exculta habebatur, ſpinachia dicta, quia ex Hiſpania forte primo allata in alteras regiones fuerit, aut vt ego credo, quia ſemẽ ſpinoſum habeat, quam Galenus merito inter olera, lib. ij. de

Rumex domeſticus ſpinachia eſt.

alimentorũ facultatibus collocat, & eam betæ non gustu modo, sed viribus similem facit, quæ omnia illi conuenire, manifestius est, quã à nobis explicari possit: Nec enim vnquam persuaderi potui vt crederem quòd lapathon, rumex vulgatus, in vsu victus aliquando veniisset, quũ herba insipida & palato ingrata sit. Oxalis verò, acetosa nostra est, quam Galenus oxylapathum vocat, cuius species plures sunt: nam quædam hortensis est, lata quæ in acetariis plerunque euenit: altera verò parua sagittæ modo alata, quæ plerunq; ad ruffedinem tendit, ex qua aqua per campanam elicitur, & in officinis habetur. Est & tertia, folio hederaceo acetoso, quam bisacutam recentiores vocant, in montibus & saxosis locis plerunq; nascens. Iis oxytriphyllon, id est acetosum trifolium, quod aleluiac vel acetosellam nonnulli appellant, adiungere est, de quo alibi sermonem habituri sumus: cæterũ, omnium harum herbarum acetosarum semen constringendi vires possidet.

Oxalis acetosa est.

Bisacuta herba. oxitriphyllon.

CONSTANTINVS.

HAllucinatur Amatus Lusitanus, dum sine authoritate, aut ratione contendit, lapathum satiuum esse hoc olus, quod recentiores spinachium vocant, & vernacula lingua dicimus, Des espinards, nam inter Lapathum & spinachia nulla similitudo in figura, saporibus aut facultatibus: quod facilè animaduertet quisquis cognitas has plantas mutuo conferre voluerit. Si veteres spinachiũ agnouissent, inter tot scriptores aliquid de eo nominatim legeretur. Manardus χρυσολαχάνα, siue atriplicis speciem esse ponit meliore ratione, quam tamen in solutũ non accipit Mathiolus Senensis, recentiores Græci σπανακίαν vocant: Architrenius verò Adrianopolitanus σπανακὸν quod in alio opere, à Tralliano τρόξιμον dici ostendemus & ab Arabum familia aspanar: non autem ab hispania eius ἔτυμον, vt Amatus comminiscitur, sed hoc illi nomen Indidit arabici sermonis proprietas. Falsum etiã quod adducit lapathum satiuum nec vescum esse aut edule, hoc communis vsus multis in locis confutat experientia. Sed est Hortensis oxalidis aliud genus, cuius nec Dioscorides, nec Amatus meminit: folio scilicet rotundo, & carnosiore quã vulgaris, sapore etiam in esculentis, iusculisq; quibus omphacij vices suo acore exhibet, gratiore.

DE LAMPSANA.

Græcè, λαμψάνα: Latinè, lampsana, napum syluestre, Hispanicè

Hispanicè, samarago: Gallicè, saunes blanches.

Enarratio CX.

QVi misera pauperie vexantur, apud Hispanos, lampsanam optime, vel inuite norunt, quum ad eorum mensas quotidie veniat, herba pedalis altitudinis, tria vel quatuor ad summum emittens folia hirsuta, napi similitudine: vnde olus hoc, Hispani saramago, quasi serum napum appellare solent. Dicitur quoque lampsana, quòd foliis humum lambat: nam eius folia terrã lambere videntur, illi semper hærentes, Galli quoq; olus hoc, saunas albas, quasi siluestres napos, nominant. Vnde rectè Dioscorides à Romanis napum appellari dixit. Nascitur enim herba in aruis, & locis, pręcipuè iam satis, cuius flos albus est, radix verò inutilis, estur enim herba hęc cocta, malum & pessimum gignens succum, ita vt de ea prouerbium feratur, vetulas interficere, & Galenus dixerit septimo de Facultatibus simplicium medicamentorum: equidem esa succos prauos procreat: at illita abstergendi nonnullam digerendique facultatem possidet.

Lampsana cur dicta.

CONSTANTINVS.

INter syluestres brassicas & Lapsana censetur, à Plinio lib. xx. cap. 9. pedalis altitudinis, hirsutis folijs, napi simillimis, nisi candidior esset flore. Coquitur in cibo, aluum leniter emollit. lib. verò xix. cap. 8. olus ab eodem esse traditur syluestre trium foliorum, diui Iulij carminibus præcipuè iocis militaribus celebratum. Alternis quippe versibus exprobrauere lapsana se vixisse apud Dyrrhachium, præmiorum parsimoniam cauillantes. vocatur etiam Lapsana ab eodem authore cyma siluestris, quæ ῥάφανος est ἀγρία vt statim exponemus syluestrem brassicam ita nominari, λαψάνη autem melius scribitur, quàm λαμψάνη: & Latinè lapsana apud Plinium legitur, non lampsana. λαψάνη enim dicitur quia rapam siue napum refert, rapum enim etiam Græcè dicitur λάψα, καὶ γόγγυλις quam etiam ex Galeno 2. de Alimentis vocare licet βουνιάδα. Ridicula est igitur etymologia quã profert Lusitanus, lampsanam scilicet dici, quòd folijs humum lambat: Græca enim vox est & λάμπειν, lucere significat, vt λάπτειν siue λάψαι pro lambere ponitur, à quo potius deriuasset si animaduertisset λαψάνην potius dicendum, quàm λαμψάνην. mala tamen esset interpretatio, quam & mulierculæ quæ segetes runcant refutarent.

Rectis enim folijs assurgit non autem pendulis & ad terram decliuibus, nullibi frequentior prouenit quàm in Northmanorũ meorum agro, à quibus vocatur des Quelloques, esturq; à tenuis fortunæ hominibus, vbi annona carior: aliàs boum gratissimũ pabulum. Magis apud nos floret vt brassica. Reprehendendus etiam Lusitanus, quòd inconsideratè scribat lampsanam ex Dioscoridis authoritate, à Romanis appellari napum: tribuit enim Dioscoridi, quod glossematum ignoto interpreti tribuendum, qui linguarum diuersas nomenclaturas singulis ferè Dioscoridis prefixit capitibus. in quo luto etiam volutatur Theodorus Gaza cùm ῥάφανον & ῥαφανίδα apud Aristotelem & Theophrastum vertit radiculam & radicem: nullum enim habet alium authorem quàm istum in Dioscoridem Græculum adnotatorem, quo probare possit radiculam Latinis esse Græcorum rhaphanum: rhaphani enim voce pro Latina vtuntur omnes rei rusticæ scriptores, Pliniusq; libro xix. cap. 3. & lib. xxv. cap. 5. struthion radiculam interpretatur herbam spinosam & caule lanuginoso lauandis Lanis succo idoneam. Sed nihil habet radicula fullonum herba, cum rhaphano simile. Cartilaginei namq; generis sunt rhaphani, qui cortice & cartilagine constant: multisq; eorũ cortex crassior etiam quàm quibusdam arborum. Amaritudo illi est plurima pro crassitudine corticis. Sed quia in hãc materiam orationis filo decidimus, quum præcedentibus capitibus vrgente librario, nihil potuerimus adnotare, hoc in loco rhaphanorũ, naporum, raporumq; naturam et germanitatem explicabimus, Plinium omnium artium præceptorem secuti. Sed prius de ipsorũ nominibus distinguendum, ῥάφανος, & ῥάφανον, est κράμβη id est, brassica: At ῥαφανὶς καὶ ῥάπονον καὶ ῥέφανον apud Ionas & Atticos, καὶ ῥαφάνη Homero in Ranis est rhaphanus, quam radicẽ & radiculam falsò vocasse Gazam ostendimus, Ruellium, multosq; alios. De hac vocum differentia vide Athenæum, Pollucem, Ammonium, Aristotelẽ de natura animalium, Alexand. Aphrodiseũ in problem. lib. ij. nolumus enim multorum exemplo, restincta siti, inuidiosè et malignè fontem polluere. Genera igitur rhaphani Græci fecere tria foliorum differentia, crispi, atq; leuis. Tertium syluestre est. Latini Algidense à loco, longum atq; translucidum & alterum rapi figura syriacum dictum, suauissimum ac tenerrimũ. At syluestre Græci agrion vocant. Pontici armon, alij leucem, Romani armoracion, fronde copiosius quàm corpore. Rhaphanos crudos dabant medici cum sale (methodicorum enim sectæ, vsitatissima cura fuit per ἀριμυφαγίαν) ieiunis

ad col

ad colligenda acria viscerum, atq; ita vomitionibus præparabant meatum. Item templo Apollinis Delphis, adeo cæteris cibis prælatus rhaphanus, vt ex auro dicaretur Rhaphanus, beta ex argento, rapum ex plumbo. Hoc oleris genus vtinã tam bene cognitum esset adulteris nostri temporis, quã olim mœchis fuit, quibus censura publica per podicẽ traiiciebatur: Quod expressit Aristophanes in Nebulis, cum dixit: τίδ' ὦ ῥαφανιδωθῆ γε παθόμεν & τίῤῥα τι τιλθῆ ἔξω τινὰ γνώμην, λέγεν, τὸ μὴ δυνήσεσθ' ἔτ' ἔναι; Et Catullus ad Aurelium:

Ah tum te miserum malique fati,
Quem attractis pedibus, patente porta
Percurrent rhaphanique, mugilesque.

Sed hæc antiquitatem sapiunt, cuius libros iam perductos ad vmbilicos, quod fœlix, faustumq; sit propediem publicabimus. Sed redeamus cum nostro Columella, ad rapinam & napinam, nimis enim hic locus irriguus, siccaneaq; postulant napi & rapa. Congeneres autem sunt hæ plantæ, nam, vt inquit Palladius, rapa mutatur in napos, in alio solo per biennium sata: alio verò napus transit in rapam. Varro verò et Plinius, ex semine brassicæ vetere sato, nasci aiunt rapam, & contra ex raporum brassicam. Et iam de rapis abundè dixisse poteramus videri (ne vt ille Marchion Græcus de raphano, sic & nos de rapo librum scriberemus) nisi medici masculini sexus facerent in his rotunda: latiora verò & concana fœminini, præstantiora suauitate & ad condiendum faciliora, quæ sæpius sata transeunt in marem. Nam, vt Plinius docet, lib. xviij. cap. 13. raporum genera Græci duo prima facere, masculinum, fœmininumq;, & ea serendi modo ex eodẽ semine, densiore enim sata masculescere, item in terra difficili. Species verò tres omniũ: aut in Latitudinem funditur, aut in rotunditatem globatur: quæ verò tertia species, Syluestris est radice in longum procurrente. hoc oleris genus inter cartilaginea, Græcis dicitur γογγυλὶς: Straboni quia rotundum & teres, ἢ γογγύλα βοτάνη etiam Galeno: λάψαρ etiam vocari tradidimus. Latinus est rapa, vel rapum Martiali: hinc & rapulum quod non pro paruo rapo, sed pro rhaphano mihi videtur vsurpasse Horatius 2. serm. Satyra 8. cùm sic cecinit: In primis Lucanus aper leni fuit Austro Captus, vt aiebat cœna pater: acria circum Rapula. Idem Satyra 2. Quum rapula plenus, atque acidas mauult Inulas. Rhaphano enim hæc omnia cõueniunt non rapo, nisi intelligas de rapitijs: id est, in rapis, quod in brassicis cyma. Quadrupedes enim Plinio teste libro xviij. cap. 13. & fronde

raporum

raporum gaudent, & hominiṅō minor rapaciorum ſuis horis gratia, quàm cymarum. quo loco legitur rapaciorū contra antiquorum codicum fidem, pro rapiciorum, vt rapicios coles fieri dixit Cato. Deniq; rapa Columella magis vtilia cenſet napis, quorum quinq; genera faciūt et praterea ſylueſtre cuius folia eruce ſimilia.

DE BLITO.

Græcè, βλίτον: Latinè, blitum, blitus: Hiſpanicè, bredos: Italicè, biedoni, blito: Arabicè, bachala, iamenia: Gallicè, blete: Germanicè, Maier.

Enarratio CXI.

Blitum.

BLitum, ignauum, & inſipidum ac fatuum omnium olus eſt, vnde inutiles, & rudes homines, blitos appellamus, & ita vulgare eſt olus, vt non cognoſcenti illud, obiiciatur, blitum te meritò dixerim, qui blitum ignoras. Naſcitur enim rubrum & herbaceum, & vt tradit Galenus, frigidum & humidum in ſecundo gradu, cui mea ſententia in coctura acetum vel res aliqua acetoſa adiungenda eſt, quum aliter ſtomachum ſubuertit, & vomitum prorritat.

DE MALVIS.

Græcè, μαλάχη: Latinè, malua: Hiſpanicè, maluas: Italicè, malua: Arabicè, chabazi: Gallicè, mauues: Germanicè, Pappel.

Enarra

Malua vulgaris.

Malua ſatiua.

Enarratio CXII.

MAlua à molliendo dicta eſt, velut Varroni placet, molua, quod aluum molliat dicitur, quæ vbiq; familiaris eſt. Satiua tamẽ priſci olim in acetariis cum lactuca ad emolliendam aluum vtebantur, vnde Martialis dixit: Vtere lactucis aut mollibus vtere maluis. & alibi: *Malua.*

Exoneraturas ventrem, mihi villica maluas
Attulit, & varias, quas habet hortus, opes.

Quibus quoq; multi, hodie ex oleo & ſale conditis, tanquam olere in cibo vtuntur, quarum decocto, in clyſteribus ad aluum ciendam, & vrinam prorritandam paſsim vtuntur. Cæterum, eſt & malua quædam: arboreſcens, flores, roſæ ſimiles, autumno gerens, quæ cum cæteris, parumper calfacit, ac emollit. *Malua arboreſcens.*

DE ATRIPLICE.

Græcè, ἀτράφαξις: chryſolachanon: Latinè, atraphaxys atriplex, aureum olus: Hiſpanicè, armolles: Italicè,

Italicè, armola, trapeſe, reppeſe: Gallicè, arroches, bonnes dames: Germanicè, Molten, oder milten.

Satiuus. *Syluestris.*

Enarratio CXIII.

ATriplex, chryſolachanon, quaſi aureum olus dixeris, appellatur: vnde Hiſpani aureum olus exprimere volentes, corrupte Armoles, eam vocant omnibus ſatis vulgatam herbam, quæ octauo die, à ſatu proſilit, folio aureo, vnde nomẽ traxit, craſſo, in acutum ſagittæ modo deſinente, à quo nec ſyluestris atriplicis folium multum deuiat. Nam ſpinachia, atriplicis ſpecies nõ eſt, quum lapathum hortenſe illam eſſe, prædiximus. Galenus porrò, de atriplice, ita prodit, lib. vj. de facult. ſimpli. medic. Humida & frigida temperie eſt: humida quidem ſecundi ordinis à mediis: frigida verò primi, quam vtiq; tepidã eſſe caliditatem poſuimus cuiuſmodi roſis ineſt, non tamen adſtrictionis eſt particeps, ſed aquea eſt, & minimum terrena, ſimiliter maluæ: quin & ventrem celeriter permeat, vt illa,

vt illa, ob lubricitatem. Hortenſes autem atriplex, & malua, quàm agreſtes: tum humidiores ſunt, tum frigidiores: proinde phlegmonis, & phygethlis incipientibus agreſtes magis conueniunt. Semen eius abſtergendi vim habet, itaq; icteritiæ ab obſtructione iecinoris ortæ: auxiliatur. Cæterum huius ſemen pondere duarum drachmarum vomitum & ſeceſſum prouocare, tradit Serapio, quam ſententiam veram eſſe nouimus.

Atriplex ictericis cõuenit.

DE BRASSICA.

Græcè, πράμβη: Latinè, crambe, braſſica, caulis: Hiſpanicè, colhes, couues: Italicè, caulo, verza: Arabicè, corumb: Gallicè, Chou: Germanicè, Rœl.

Braſſicæ primum genus. *Secundum.*

ALTERA SPECIES.

Lacuturris, caputium: Hiſpanicè, repolho, colhes morcianas: Italicè, caputio: Gallicè, Chou pomme: Germanicè, Cappes kraut.

Enarra

Tertium.

Quartum.

Enarratio CXIIII.

Brasßica. CRambe brasica est, de qua Satyricus dixit, Occidit miseros crambe repetita magistros. Cuius plures & variæ sunt species, quas Dioscorides vt hortis & culinæ familiares, silentio præteriuit: Plinius tamen verbosius eas prosequitur, libr. xix. cap. 8. vbi sabellicã maxime laudat, quam quoq; hodie in honore vniuersa Italia habet, admiranda foliorum crispitudine, & eam caulem florem appellat, primo ex Syria aduectam, iam nunc in Flandriam & alias exteras nationes transportatã, aduehitur: namq; vt dixi: semẽ istius brasicæ ex Syria, quod primo anno satum ex se prædictam emittit brasicam, ex qua postea semen ortum ac satum non quidem brasicam gignit, sed potius in rapam degenerat: quod aduertens Plinius, dixit libro decimonono capite decimo ex semine brasicæ veteris rapæ fiunt; proinde brasicam pro radice rapam habentem ex semine caulis floris in Italia sati oriri certum est: quod pauci hucusque adnotarunt, quo fit quoque vt semen hoc ex Syria delatum, primo anno, caulem

lem florem tantum producat: quum semen à caule illo ortum loco producendi caulem florem, rapam potius gignit, & illam quidem suauissimam, & cibo gratissimam. Est quoq; altera brassicæ species, quam citato loco Plinius & merito lacuturrem appellat, quia primo ex conualle Aricina, Lacuturre dicta, quia ibi olim lacus & turris fuerant, Romam traxit, in orbem porrectam, clausam, & apprime duram, quæ quum secatur per medium, innumero cernitur folio. Cæterũ discordiam inter brassicam & vitem, omnibus notam crederem, atq; inde brassicam in cibo sumptam, cõtra temulentiam & ebrietatem valere, Androcydes quidam putauit, quum tamen Aristoteles in problematis, non contrarietatis causa id euenire dicat, sed potius quia brassicæ succus dulcis discutiendi, & humores in aluum eliciendi vires possideat: quibus deorsum conuersis, sequax vini vapor ad ima deuocatur, & sic crapula aboletur. Syluestris vero brassica domesticæ similis est, foliis tamen crassis, & hyoscyami modo hirsutis, gustui amaris. De domestica vero, siue esculenta tradit Galenus libro septimo de Facultatibus simplicium medicamentorum, quòd deficcandi vim habet, tum esa, tum foris imposita, non tamen etiam admodum acrem, vtcunq; tamen quiddam abstersorium in se habet, & vt libro secundo de Alimentorum facultatibus ait, huius succus facultatẽ habet purgatricem, quanquam & partes in se brassica ipsa contrarias habeat, vnde quum quòd brassica soluat, cupimus, parum coquatur permittimus, quia in eo primo decocto, excretoria facultas transit, manente in corpore & brassicæ substantiã constringente, vt in lente quoq; fit. In huius porro viribus Galenus à Dioscoride discrepat: nam libro citato de Alimentorum facultatibus, visum brassicam hebetare tradit: Dioscorides vero, oculorum hebetudini, in cibo subuenire, & tremulis fatetur. Reuera tamen Dioscorides intelligendus est sic, brassica subuenit iis, quibus oculi hebetiores sunt, modo hebetudo illa à nimia eueniat humiditate, quia sua siccitate talem emendat hebetudinem, vt Galenus quoq; fatetur, quum inquit: lens itaq; & brassica æquali inter se mensura siccant, ob idq; visum hebetant, nisi forte totus oculus humidior fuerit, quam naturalis

Galeni & Dioscoridis discordia.

In coquendu herbu documentum.

ralis habitus postulet. Non præteribo tamen in coquendis esculentis herbis documentum à Galeno traditum, in hoc capite, quod sic habet: Huius ante omnia memor, nihil quod bis coquitur, oportere nec Aërem neq; aquam frigidam contingere: non enim poterit amplius etiam si diutissime coxeris plane tabescere: sed oportet vt paulo ante diximus, aquam calidam habere paratam, vt quum ex priore extraxeris, in illam protinus coniicias. Hęc Galenus. videant igitur boni coqui, quum herbas coquunt, ne illis inter coquendum, frigidam aquã superinfundant, quũ quoquomodo recrudescere, eæ videãtur. Ex caulibus vero siue brassica hodie in officinis, eclegma loch dictũ contra pectoris vitia paratum habetur: At brassica syluestris, quodammodo calidior sicciorq; domestica est, vt Galenus citato loco tradit.

Loch de caulibus.

DE BRASSICA MARINA.

Græcè, κράμβη θαλασσία: Latinè, Brassica marina, soldanella: Vulgo soldanella.

Enarratio CXV.

Soldanella

BRassica marina, omnium consensu vulgaris est Soldanella, hydropicis admodum conducibilis herba, quanquam nõ desunt hodie qui eam maximè vituperent, & hydropicis non conuenire contendant: ex quibus Cardanus quidam nominandus venit. Cæterum Mathæus Syluaticus, hic vt solet, pueriliter errat, quum credat chachile apud Serapionẽ Soldanellam nostram esse, vt ex foliis chachile à Serapione tributis, manifeste suus deprehenditur error, quæ proculdubio vsneæ aut nasturtij esse tradit, non verò aristolochiæ, qualia, soldanellam habere nouimus. Proinde emendandus hic Dioscorides venit, quum dicat, folia habet longissima, quod falsum esse, vt diximus, liquet, quum potius soldanella folia habeat parua, tenuia, rotundæ aristolochiæ similia, Sed error iste nõ aliunde vt credo venit, quàm ex Græco codice corrupto, in quo loco μικρὰ, id est parua, μακρὰ id est longa legebatur. De soldanellæ vero viribus ita Galenus lib. vij. tam sæpe repetito meminit, dicens: Non solum aluum deiicit, subsalsa & subamara existens, sed etiam ad externos corporis vsus idonea.

Cardanus

Dioscorides emendatur.

DE

DE BETA.

Græcè, τεῦτλον: *Latinè*, *Beta*, *olus siculum*: *Hispanicè*, *Aſelgas*: *Italicè*, *Beta*, *bietola*: *Gallicè*, *de la porée*, *bete*, *iotte*, *Arabicè*, *Selb*: *Germanicè*, Mangolt, pieſſen.

Beta. *Beta nigra.*

Enarratio CXVI.

REperitur hodie, præter duas betæ à Dioſcoride ſignatas ſpecies vna tertia, omnino rubra, alba tamen & nigra hortis familiares ſunt, alba ſic dicta, quia non multum herbaceum ac viridem colorem poſsideat. Hæc cocta bonam facit aluum, ac eam ſubducit, vnde Martialis dixit: & pigro ventri non inutiles betas. Huius quoq; decocto in clyſteribus maxime vtimur: ſed illius ſuccus pondere vnius libræ, pro laxando ventre, vbi alia non profuere medicamenta, primatum obtinet. Quo quoq; veluti maioranæ ſucco, pro expurgando per nares capite, quotidie vtimur, quod medicamentum Græci errhinum

Betæ tres ſpecies.

vocant, vt apud Galenum, de ista herba amplissime legitur, lib. viij. de Facul. simpl. medic. quum dicat: Beta nitrosæ facultatis est particeps, qua tum digerit, tum extergit, & per nares expurgat: Cæterum cocta nitrositatem exuit, euaditq; leniter digerens, ad detergendum tamen digerendumq; validior est beta alba. Hactenus Galenus, in quibus verbis Betam calidam potenter esse percipitur, præsertim in purganda à capite pituita, quam caliditatem in coctura exuit: & eam primum eius decoctum recipit, vnde educens aluum euadit. Cæterum, beta syluestris vt Plinio placet, limonium est herba, de qua lib. iiij. sermo habendus est, quanquam Galenus lib ij. de Facul. alimēt. cap. xliij. nullam esse betam agrestem, nisi quis lapathon ita nominare velit, tradat.

Beta calida est.

DE PORTVLACA.

Græcè, ἀνδράχνη: Latinè, Portulaca: Hispanicè, Verdollagas baldroegas: Italicè, Porcellana, procacchia: Gallicè, porcellaine, ou pourpié, Arabicè, Bachele: Germanicè, Burtzelkraut.

Portulaca syluestris. *Portulaca satiua.*

Enarratio CXVII.

HVius duo nota sunt genera, foliorum magnitudine tantum differentia, quæ in cibo sumpta exile, frigidum, & humidum, ac lentum præbent nutrimentum, refrigerat enim portulaca tertio ordine, humectat vero secundo, & ea de causa, illius stillatitia aqua, in officinis familiaris habetur. Datur enim pueris, vermibus correptis cũ febre, magno, vt experientia indicat, iuuamento. *Portulaca.*

DE ASPARAGIS.

Græcè, ἀσπάραγος: Lainè, asparagus: Hispanicè, esparagos: Italicè, Isparagi, Gal. asperges: Ger. Spargẽ.

Enarratio CXVIII.

Asparagi.

ASparagos in hortis serendi, nulla hodie apud Hispanos cura est, tantũ cãpestribus & sua sponte nascentibus contenti: At Itali, pręter campestres, hortenses habent asparagos, cibo gratissimos, præsertim Rauẽnates, qui quoque olim, in maximo fuerũt honore, vt ex Martiale deprehenditur, quum dicat, *Asparagi.*

Mollis in ęquorea quę ceruit spina Rauenna.

Non erit incultis gratior asparagis.

Verùm asparagos quum dicimus, stolones, siue tenellos cauliculos intelligimus, nõ vero spinis armatum fruticẽ, quos primis mẽsis, oxolæo conditos, mica salis addita comedimus, & ita facile ad ignem coquuntur, vt quum rem celerrime perfici cupimus, dicere soleamus, citius quã asparagi coquãtur. Cęterũ asparagi radix, inter radices diureticas adnumeratur, ita vt inter illas primatũ

obtineat, quod percipitur, quia illius qui comedit aſparagos, vrina maxime fœtet, ſtomachũ enim maxime iuuant omnes aſparagi, vrinaſq; cient, & parũ nutriunt, de quorũ temperatura, Galenus ita diſſerit, libr. vj. de Facul. ſimpl. medi. Aſparagus petræus abſtergendi vim habet, citra manifeſtam caliditatem aut frigiditatem: hinc iecur ac renes in farctu liberat, & maxime radices eius, & ſemen, quod & dentium dolores ſanat.

Aſparagi temperatura.

DE PLANTAGINE.

Græcè, ἀρνόγλωσσον: Latinè, Plantago: Hiſpanicè, Lhantem, tamchagem: Italicè, piantagine: Gallicè, Plantain: Arabicè, Liſen: Germ. Vvegerich.

Maior.

Minor.

MINORIS PLANTAGINIS

LATINA NOMINA.

Plãtago minor, Hiſp. lãgoa de oueya, lãgoade carnero: Ital. lãciuola: Gal. lãcelee. Ger. Klein vuegerich.

Enarra

Aquatica.

Media.

Enarratio CXIX.

GRæcorum ἀρνόγλωσσον plantago noſtratum eſt: ἄρνα Græci agnum vocant, γλῶσσαν vero linguam, id eſt linguam agni, cuius plura ſunt genera, duo tamen præcipua, maior & minor. Minor, anguſtioribus foliis, & nigrioribus, linguæ pecorum ſimilis, caule anguloſo, interdum inclinato, in pratis cum reliquis naſcens, quam officinæ quinq; neruiam, aut agni ſiue arietis linguá vocant: maior vero, foliis laterum modo incluſis, quæ quia ſeptena ſunt. Græci ἑπτάπλευρον vocauerunt. Naſcitur in hortis atq; vallibus nec non paludibus, & pratis, cuius plura alia ſunt genera, quorũ aliquot, diuino fauente numine, li. iij. attingemus. Cæterum plátaginis dotes in præſenti audire eſt, quas Gal lib. vj. vt ſolet, ſapienter admodũ perſequitur dicés: Refrigerat pariter & ſiccat in ſecũdo gradu, habetq; nonnihil auſterũ, ratione terrearũ partiũ. Porro medicamenta, quæ cũ hoc quod refrigerant, vnà etiã aſtringunt, ea & ad vlcera rebellia omnia, & ad fluxiones & putredi-

nes conueniunt,ac proinde & ad dyſenterias: Nam & ſanguinis profluuia ſiſtunt, & ſiquid aduratur, refrigerant, tum ſinus quoq; glutinant,& alia vlcera recentia,& vetera ſimul, atque in omnibus fere id genus medicamentis, primas tenet, aut certe nulli ſecundum eſt arnogloſſum, ob temperaturæ ſymmetriam,& cõuenientiam. Nam ſiccitatem obtinet morſus expertem,& frigiditaté quę nondum ſtupefaciat. Fructus etiã & radix ſimilis ſunt facultatis, niſi quòd tum ſiccioris, tum minus frigidæ: quin & ſemen ſubtilium eſt partium. Radices verò craſsiorum: at herbæ folia exiccata, ſubtiliũ partium exiſtunt, & minus frigidæ facultatis. Radicibus vtuntur ad dentium dolores tum mandentes, tum collutionibus incoquẽtes, præterea ad iecinoris renumque obſtructiones, non has tantum adhibent, ſed folia quoque,& multo magis ſemina.

DE SIO.

Græcè, σίον: Latinè, ſium, lauer: Hiſpanicè, rabacas: Italicè, gorgoleſtro: Gallicè, berle: Arabicè, Hamehamella: Germ. Bachbungen, vvaſsermereh.

Enarratio cxx.

Sion herba.

Sium.

SIon herba ſic dicta, quòd excutiẽdi vires habeat: in riuulis & locis aquaticis ſemper naſcitur, apio perquam ſimilis, quam crudam, aceto mulieres & pueri ineũte vere comedũt. Nam poſt aduentum auis cuculi dictæ, nõ amplius herbam eſui aptam, mulieres Hiſpanicæ dictitant, imò illam inutilem & tãquam ab aue dicta affectã prædicãt. Naſcitur enim aliquando cubitalis, ſtomacho admodũ grata, quæ & vrinam euocat, & veſicæ calculos excernit.

Plinius

Plinius porro huius herbæ vires, cũ facultatibus aquatici sisymbrij, id est cressonis confundit lib. xxij. eiusdem numeri capite. Ne tamen si temperaturam desideres, Galenum audi, lib. viij. de Facul. simpl. medic. ita dicentẽ: Sion quantum gustu odoratum est, tantum etiã excalfacientis facultatis est particeps, sed & digerit, & vrinam mouet, & calculos renum frangit, & menses euocat. *Plinius errat.*

DE SISYMBRIO.

Græcè, σισύμβριον: Latinè, sisymbrium, mẽta aquatica: Hispanicè, herua buena delhagoa: Italicè, balsamita, menta aquatica: Gallicè, mente aquatique Arabicè, sisnasbar: Germanicè, Bachmiintz, oder Fischmiintz.

Enarratio CXXI.

Sisymbriũ.

Sisymbrium.

EST enim primũ hoc Sisymbrium, officinarum balsamita, herba plerumq; in aquis, & locis humidis nascẽs, & quę facillime, vt refert Plinius li. xix. cap. x. in mentem degenerat, adeo suauis odoris, vt Venerẽ incitare certum sit, quo fit, nomen Veneris ei inditum sit, qua hisce temporibus homines in coronis plerunq; vtũtur, & seplasiarij male loco nepithæ eam vsurpant. De qua Galenus libr. viij. citato: ita tradit: Tenuium est partium, facultatisq; digerentis, calfaciẽtis, & exiccantis in tertio ordine,

quidam, ſemen cum vino exhibent ſingultientibus, tor-
Balſamina à balſamita differt. minaq; patientibus. Verum, ne quis nominis vicinitate decipiatur, ſciendum eſt, quod balſamina à, balſamita præſenti differt: Eſt enim Balſamina herba de qua Dioſcorides nullam penitus fecit mentionem, vulneribus glutinandis commodatiſsima, quã Hetruria Hieroſolymitanum pomum vocat, Myrabile Gallia, alij vero garantiam: quoniam, vt tradit Ruellius Gallus lib. ij. de Stirpibus, cap. cxxiiij. ſepti modo in hortis feneſtriſq;, per cancellos opere topiario digeritur. Ea tenuibus prælongisq; flagellis, vltro citroq; reptantibus euagatur, foliis vitis albæ articulatoribus, exilibus pampinis, ex alarum ſinu prodeuntibus, quibus illigantes ſeſe cancellatim vicinis implicant ſtatuminibus, flore cucumeris ex albo in luteum langueſcente, turbinato vtrinq; fructu, carnoſa cute & per verſus verrucoſa, ac rigidioribus bullis intumeſcente, cucumeris puſilli vel citrij ſimilitudine, malo verius ac tubere quàm grandi bacca, aut folliculo: aureus maturo color, cartilago intus punicea vel lutea, ſanguineuſq; ſuccus, pomum maturitate diſsilit, innanitaſque confracto patet, ſemina intus aliquot lenticulæ figura continens, ruberrima, ex quibus oleum exprimitur, ad vulnera præcipuum. Aliqui pomum oleo prius imbutum aliquot dies inſolant, deinde vel fimo vel terra tantiſper obruunt, dum prorſus intabuerit, ſic balſami vires glutinandis vulneribus adſciſcere pollicentur, inde tractum balſaminæ vocabulum, mirabile pomum Gallis dicitur, quod vel pulchritudine ſua vel inſolita nouitate conſpicientes in admirationem ſui trahat. Hæc Ruellius.

DE ALTERO SISYMBRIO.

Græcè, σισύμβριον ἕτερον: Latinè, ſiſymbrium alterum, aquaticum naſturtium: Hiſpanicè, berros, Gallicè, creſſon: Germanicè, Brunnen kreſs.

Enarratio CXXII.

Creſſones. ALterum ſiſymbrium, omnium doctorum hominum in re herbaria conſenſu, communes ſunt creſſones, ſic dicti, quia facile, & cito, in aquis creſcunt, folio pſeudo dict

do dictamni, sapore acuto, esui apta omnino herba, de cuius viribus & temperamento Galenus ita disserit lib. viij. de Facul. simpli. medic. sisymbriũ quod quidam cordaminem vocant, quandoquidem cardamomo simile quiddam gustu præfert, quũ siccũ est, tertij est ordinis excalfacientium & desiccantium: quum humidum & viride, secundi.

DE CRETHMO.

Græcè, κρίθμον: Latinè, crithmon, batis, baticula, crethamus: Hispan. perexil de la mar, vnhas de agnula yerua: Italicè finochio marino herba di san Pietro: Gallicè, de la creste marine, bacille, percepierre. Germanicè, Bacilen, Meerfenchel.

Enarratio CXXIII.

CRethmon vel batis, crethamus in officinis hodie dicitur, herba vbiq; nota, sua sponte prope mare crescens, foliis multidiuisis, pinguibus, oblongis, aquilæ vngues repræsentantibus, vnde multi Hispanorum, herbam istam, vnguem aquilæ appellant, quanquam alij petroselinum marinum, vel fœniculum marinum quoq; eam nominent, ac oxelæo & sale, vt cappares condiant, & in multas orbis partes cum aliis mercibus, venditum trahant: vrinam autem prorritat, & renũ ac vesicæ calculos comminuit, de qua Galenus libro septimo, de Facultatibus simplicium medicamentorum, ita tradit: Gustantibus salsum est, cum paucula amaritudine, quamobrem vis eius est exiccatoria & absterſoria.

DE CORONOPO.

Græcè, κορωνόπους: Latinè, coronopus: Hispanicè, guia belha: Italicè, stella: Gallicè, corne de cerf: Germanicè, Kraeenfuoſs.

Enarratio CXXIIII.

DIoscoridis coronopus, hodie ab hominibus doctis ea putatur herba, quàm pharmacopolę cornu cerui, & stel

Coronopus.

& ſtellam maris appellant, quæ quia multi diuiſa per terram ſpargitur, cornu cerui dicta eſt, & ex ea aquam per elambicum extrahunt. Aduertendum tamen duximus, quòd coronopus hæc, longe à coronopo Theophraſti differt. Eſt enim Theophraſti coronopus, herba ſpinoſa, & eſui minime apta: At de præſenti ita tradit Galenus libro ſeptimo de Facultatibus ſimpliciũ medicamentorum, Coronopodis radix cœliacis prodeſſe creditur manducata. Cæterum coronopus non eſt pes cornicis herba, vt quoque Mathiolus fatetur, quanquam, capite de batrachio ſibiipſi contradicat, vt legenti notum euadet.

Mathiolus ſibỹpſi contradicat.

CONSTANTINVS.

OScitanter Mathioli viri doctiſſimi ſcripta legit Amatus Luſitanus, aut maliciosè interpretatur. Mathiolus enim cap. de Coronopo & cap. de Ranunculo cõſtanter aſſerit pedem coruinum Italorum, id eſt Pie coruino, ouero pie di cornachia qui ranunculus eſt, nõ eſſe Coronopum. quod apertius in Latino opere Mathiolus oſtendit, miror tamen hunc locum à Luſitano non intellectum in libro vulgari lingua edito, cùm ſoleat nunquã laudato authore, integras paginas conuertere.

DE SONCHO.

Græcè, σόγχος: Latinè, ſonchus: Hiſpanicè, ſerraya, ſerralha: Italicè, cicerbita, creſpine: Gallicè, Letteron, ou palais de lieure: Germanicè, Moſs, genſs diſtel.

Enarra-

Sonchus aspera. *Sonchus non aspera.*

Enarratio CXXV.

SOnchos herba, ideo dicta est, quòd salubrē fundat succum, ἀπὸ τοῦ σῶαι χύσιν: Nam ebibitus stomachi rosiones lenit, & lactis abundantiam nutricibus submiuistrat, & multa alia commoda elargitur: quæ communiori voce cicerbita vocatur: & interdum parua est & tenella, inter herbas acetarium adornantes connumeratur: imò multi solam per se tantum, aceto sumunt: quum verò grandior fit, spinosa euadit, & minime esculenta, syluestri respondens. Vnde Galenus hæc animaduertens dixit: vbi adoleuerit sonchus ex spinosis plantis est. Cæterum viridis etiamnū & tener estur, perinde vt cætera olera syluestria. Hæc rursus illa herba est, qua mustela dimicatura contra serpentem se prius munit, adeo enim salubris est, & contra venenum valet.

Sonchos herba.

Cicerbita.

CONSTANTINVS.

SOnchum vel sonchus dicitur Plinio libro xxvj. cap. vltimo & libro xxij. cap. eiusdem numeri. Græcis est σόγχος & σίγχος apud

apud Theophrastum libro iiij. de hist. plantarum, dicitur autem σόγχος quasi σομφὸς, ab inanitate caulium quo nomine etiam vocatur cucurbita Sylvestris ob eandẽ causam à Plinio lib. xx. cap. 5. futilis enim etymologia quam affert Amatus. Soncho enim nigro vt morbos faciente Cleemporus prohibet vesci, de albo cõsentiens. Non ignoro tamen hæc Plinium nostrum prodidisse lib. xxij. cap. eodem: Estur inquit & sonchos, vt quem Theseo apud Callimachum apponat Hecale, vterq; albus et niger, lactucæ similes ambo, nisi spinosi essent, caule cubitali anguloso, intus cauo, sed qui fractus copioso lacte manet, multasq; recenset eodem capite sonchi albi vtilitates in medicina, inter eas & ipsum bibi cõtra serpentes scorpionesq;, radicem verò illini. Tamen non video vnde confinxerit Lusitanus sonchum illam esse herbam, qua mustela vt ait, dimicatura contra serpentẽ se prius munit. non enim id habet Dioscorides aut Galenus cum de soncho agit, 8. simplicium aut Paulus lib. vij. imò nec alius author, quod sciam, hoc enim Plinius rutæ ascribit. simili modo inquit ille lib. xx. cap. 13. contra serpentium ictus, vt pote cùm mustelæ dimicaturæ cum his, rutã prius edendo se muniant. non soncho igitur sed ruta mustelæ, vt cunila quæ bubula appellatur muniunt se testudines cum serpentibus pugnaturæ, vt ipse naturalis historiæ parens mihi testis est lib. xx. cap. 16. & lib. viij. cap. 27. Testudo inquit cunilæ, quam bubulam vocant, pasta, vires contra serpentes refouet: Mustela ruta in murium venatu cum ijs dimicatione conserta.

DE ENDIVIA.

Græcè, σέρις ἀγρία, κιχώριον, καὶ πικρὶς: Latinè, cichorium, intubum agreste, ambubeia: Hispanicè, almerones, cihoria: Italicè, cichorea: Arabicè, dumbebe: Gallicè, cichoree: Germanicè, Vueguuarten.

SECVNDA SPECIES

CICHORII AGRESTIS.

Græcè, ἡδυπνοῖς, ἀφάκη: Officinis, dens leonis, rostrum porcinum, tarraxacon: Hispanicè, dente de leon hierua: Italicé, gruni, radice, girasole: Gallicè, dent de chien, dent de leon, ou piss enlict: Germanicè, Pfaffenrœrlin.

ENDIV

ENDIVIA DOMESTICA.

Græcè, σέρις: Latinè, intubus, intubum ſatiuum, endiuia domeſtica, latifolia: Hiſp. endiuia: Ital. endiuia Gal. endiuie, Arab. Dumbebe: Ger. Endiuien.

ALIA DOMESTICA STRICTIORIBVS FOLIIS.

Græcè, σέρις: Officinis, ſeriola, ſcariola: Hiſpanicè, ſerraya enuide: Italicè, la ſcariola: Gallicè, ſcariole: Germanicè, Scariol.

Seris ſylueſtris.

Seris ſatiua.

Enarratio CXXVI.

DIffert endiuia à cichorea, tanquàm domeſtica à ſylueſtri: Nam endiuia, domeſtica & hortis familiaris eſt, ex qua aqua & ſyrupus in officinis parari debent: Sylueſtris verò, cichorea ſiue cichoreũ appellatur. Nam ſylueſtris endiuiæ dictę cichoreæ, duplex eſt ſpecies: quędam ambub

Endiuia à cichorea in quibus differat.

ambubeia dicta, siue cichorea libere nascens, quæ ex se tricubitales emittit virgas, fistulosas, difficulter frangibiles, flore cœruleo, interdum albo, quæ apparéte Sole panditur, & cum eo circumagitur: eo verò nubilo, aut nõ apparente, clauditur, & compressa videtur, vnde Ambubeiæ herbæ, aut solaris nomen accepit, non ideo tamen heliotropium, dicenda est, quum heliotropium longè alia sit herba, de qua suo loco plura dicenda sunt. Secunda verò cichoreæ species, illa est herba, quã leonis dentem pharmacopolæ, aut tarraxacon, vel rostrum porcinum appellant, & illam vniuersa Italia, in hortis tanquam celebre oxyporum, satam habet, quam multi quoq; cichoream appellant, & differentẽ à dente leonis herbam eam faciunt, quum tamen eadem fere sit, & in nihilo præter quàm cultura differant: vocat autem hanc Plinius hedypnoem, id est suauiter dormire, somnumq; irrepere facientem, non minusq; aphacam, lib. xxj. cap. xv. vt Theophrastus quoq; lib. vij. de Plantarum historia, cap. 7. Sed aduertẽdum est, quòd aphaca hæc multum differt ab alia aphaca, syluestri dicta vitia, de qua breui sumus dicturi. Domestica verò endiuia duplex est, altera latifolia, hortis familiarissima, & quæ terra obruta, alba reddita, hibernis mensis, oxelæo & sale, cruda, & cocta anteponitur, quanquam vniuersa Hispania, sic paratam eam nunquam quòd sciam, viderit, quam aliqui endiuiam, alij verò cichoream vocãt. Altera verò arctioribus foliis endiuia, à seri seriola, postea verò scariola nuncupata est. Cæterum, ab intybo siue intyba, corruptè endiuia deducta est, cuius omnes species in amaritudine conueniunt, maius & minus, vnde prouerbium, Intyba succesit ambrosiæ, & illud Virgilianum, amaris Intyba fibris. De quarum viribus, ita differit Gal. lib. viij. de Facult. simpli. medi. Seris, holus est subamarum, & magis quòd agreste est, id nanq; est frigidæ & siccæ temperaturæ, secundo excessu. At domestica magis quàm agrestis refrigerat: Porrò vtraq; astringentis qualitatis est particeps, vt condrilla, quæ est etiam sereos species.

Heliotropium.

Aphaca differt ab aphaca vitia.

Endiuia domestica latifolia alba fit.

DE CONDRILLA.

Græcè, κονδρίλλη: Latinè, condrilla: Hispanicè, Lusitanicè, leitugas, lechugas dentre los planos: Italicè, lattai

lattaiuola, latte dangelli: Gallicè, Lettron: Arab. candarel: Germanicè, klein ſonnen vuürbel.

Enarratio CXXVII.

Condrilla

EST proculdubio cõdrilla, intybi ſpecies, qua de cauſa Galenus capite citato, de ea ſimul cum aliis mentionem fecit, quanquam tamen lib. ij. de Alimen. facultatib. ipſe nõ inter ſeres, id eſt intybos, eam connumeret, ſed potius capite de lactuca, lactucæ cõdrillam olus ſimile facit: quo fit, uoſtri Luſitani, herbã iſtam in hunc vſq; diẽ lactucam appellent. Naſcitur enim inter ſegetes, & vineas, & aliis locis quoque, qua acetarij vice mulieres & homines ruſtici vtuntur. Ineſt autem huic condrillæ, folium endiuiæ ſimile, lac ex ſe quum rumpitur mittens, cui quoq; altera ſpecies ſimilis vbiq; cernitur, eaſdem fere cum intybis vires obtinens: dicitur autem condrilla iſta, ab Hiſpanis, lactuca inter ſegetes naſcens, vt differentiam inter vulgarem lactucam, & iſtam de qua agimus, faciant.

DE CVCVRBITA.

Græcè, κολοκύνθη, Latinè, cucurbita: Hiſpanicè, lacalabaca: Luſitanicè, abolara: Italicè, ſucca: Gallicè, courge: Arabicè, hara: Germanicè, Kürbs.

Enarratio CXXVIII.

Cucurbita

COlocynthæ, ea eſt cucurbita, quæ in cibi vſum quotidie venit, & multiformis conſpicitur, aliquando ventroſa, ſic dicta quia in ventre multum turgeſcit, nonnunquam curua, quandoq; vero tantæ longitudinis, vt modo nouem modo decem pedum viſa ſit, quæ ſæpe (natura artifice) ita eueniunt, quandoq; vero ab hortulano vinculo formantur, & finguntur, quum cucurbitæ qua coguntur forma, creſcunt, vt in harundine oblonga experti ſumus, quæ ſecundum harundinis longitudinẽ creuere: vnde merito, cucurbita à curuatura dicta eſt, quia facile in quamuis figuram dempto impedimento curuari poſſunt, non minus quoq; in amplis vaſculis immiſſæ, ventroſæ fiunt: Sic ornatæ, vt poſtea maturis, & ſiccis, ac inanitis, vaſorum vice, vtantur. Vnde Plinius Naturalis hiſtoriæ libro, dixit, nuper enim cucurbitarum vſus ve-

Rotunda. *Longa.*

nere, vrceorum vice, iam pridem etiam cadorum ad vina condenda. Columella quoq; de media inquit parte cucurbitæ, semen inuerso cacumine ponito, vt fiat incrementi vastioris, nam sunt ad vsum vasorum satis idoneæ, quod hodie in vsu videmus, atq; ipsis præcipuè vtuntur, qui per æstatem atque ardores maximos in agris negociantur. Medici nostri temporis cucurbitam, pro bona victus ratione febricitantibus præbent, quum humidæ ac frigidæ potestatis sit: meo tamen iudicio, repurgato ventriculo, edenda cucurbita est, quia facillime in eos conuertitur humores quos stomachus in se continet, vt author est Galenus lib. ij. de Facul. aliment. cap. 3. qui quoq; libr. vij. de Facul. simpl. medic. ita eius persequitur vires. Humida & frigida est in secundo ordine cucurbita, quare succus eius rosaceo mistus, aurium dolori contracto ex phlegmone, est vtilis: præterea restinguit sitim,

DE SATIVO CVCVMERE.

Græcè, σίκυος: Latinè, Cucumer, cucumis: Hispanicè,

nicè, cogombro: Italicè, cocomero, Gallicè, concombre, Arabicè, Chetha, Cer. Cucumern.

PEPO.

Græcè, πέπων: Latinè, Pepo: Hiſpanicè, Pepinos: Longobardicè, Cocomero, citruolo, Gallicè, Popons, Melons: Arabicè, Batocha, Germanicè, Citrullen.

Citrullus.

Cucumis marinus.

Enarratio CXXIX.

Cucumer.

CVcumer, non vbique ſatiuus reperitur, qua de cauſa multi non ſine ingenti errore, citrullum quem peponem eſſe certò ſcimus, cucumerem appellant, vulgarium forſitan voce ſeducti, qui in Italia fere vniuerſa, & Flandria ac Germania, citrullum cucumerem vocant, ſed vt dixi, non ſine magno, ne dicam pudendo errore, inter quos nouiſsimus extat Mathiolus Senenſis, in ſuo Dioſcoride Hetruſca lingua confecto. Eſt igitur Græcorum

Cucumis ſatiuus. *Pepo.*

cucumer, ſiue cucumis, dictus ſic, vt Varroni placet, quia facile curuatur, baculi craſsitudine, colore viridi, longitudine cubitali, & maiori, præſertim, ſi in flore exiſtens, in fiſtulam mittatur: tunc enim vt tradit Plinius lib. xix. cap. 5. mira longitudine, & ad fiſtulæ complementum creſcit: & hac de cauſa Columella anguinum cucumeré eum appellat, quia oblongus, craſſius, atq; inſtar anguis flexuoſus ſit. Naſcitur enim in ſimili planta, qua cucumer ſyluestris oritur. Cæterum eſt cucumer, natura frigidus & humidus, appetentiam concumbendi minuens, vnde ſycis à Græcis dictus eſt. Hinc de cucumere (quia textrices magna ex parte impudicæ ſunt) adagium ortum eſt: texens pallium mulier, cucumerem deuoret. Raro in Luſitania cucumer videtur: Secus auté in altera parte Hiſpaniæ, præcipuè apud Salmanticenſes, vbi in magna cernitur copia, hirſutus, colore omnino viridi, longitudine cubitali & curua. At pepo is eſt, quem officinæ ob colorem citri, in maturitate acquiſitum citrullum appellant, Græci

Cucumer anguinus.

Pepo citrullus eſt.

Græci verò illum πέπονα, id est maturum, Graia voce dixere, quam vocem Hispani vel hodie seruantes, nulla immutata litera aut syllaba, illum quoq; pepanum vocant, & eius supremam partem cõcisam, fronti æstus hora, in qua illum plerunq; comedimus, tanquam refrigerantem, admouemus, quod olim quoq; à Græcis fieri Dioscorides inuere videtur. Vescimur enim pepone Hispani, dum viret: nam postquam maturuit, & colorem luteum, citri maturi contraxit, tanquam cibo inutilẽ reiicimus, si quid tamen illius comedendum sit, eius suprema & cartilaginea pars tantũ pro victu, reiecta eius medullari parte, accipienda est: vt apud inferiores Germanos plerumq; fit, qui peponibus iis, non nisi maturis, contra Hispanorum consuetudinem, in victu vtuntur, quorum medullarem & interiorem partem, in qua semen continetur, tanquã improbam & malam reiiciunt, suprema & cartilaginea illa, crebris verrucis ornata parte, cõtenti, qui mos apud Græcos quoque fuit, vt ex Galeno deprehenditur, lib. ij. de Alimentorum facultatibus capite 5. vbi inquit: huc accedit, quòd in peponibus homines à carne intima in qua semẽ habetur, abstinent. Sed hæc ignorans Mathiolus, nihil in hoc capite præter alios vellicare facit. Subdit quoque Galenus eodem loco, in melopeponibus antè mandunt, id est carnem interioré, pro quo scire licet, quòd melopepones, hodierni sunt melones, quorũ varietas ingens est, quum alij cortice subtili teguntur, alij verò crassiori, & tardius maturi fiunt, quos Clodienses (Venetiis prope Riuumaltũ) vendentes, peponas appellant: alij autem intus sunt rubri, & illorum quidam muschatelli dicti, odore & sapore præstantissimi, vt apud Lusitanos, Abrantini dicti, ab oppido Abrantes dicto, quod Tagus aurifer præterlabitur, quibus Neapolitani respondent. Alij autem sunt albi, & illorum nonnulli hiemales dicti, quia per vniuersam hiemem suspensi in domibus seruantur, apud Salmanticenses frequentes, qui quoq; è Græcia in Italiam hodie aduehuntur. Sunt quoq; præter istos, melones aquei dicti, quos angurrias multi appellant, alij verò, bateccas, Turcæ, carpuzes. Thusci, præter omnem loquendi cõsuetudinem, cucumeres nominant. Dicuntur verò melones aquei, quia intus aquam habeant, quam cum interiori substantia, adiecto succh

Mathiolus errat.

Angurria

ſuccharo Mauri & Turcæ, vigente æſtu, pro refrigerandis ventriculis, in continuo victus vſu habent, magnæ enim ſunt anguriæ iſtæ, ventroſæ, lucidæ, colore virides, quanquam nonnullæ paruæ reperiantur, multis variegatæ coloribus, quarum omnium, interior pars dulcis admodum eſt, qua febricitantes, ſitim arcere conantur. Sunt præterea, vt plures alias præteream ſpecies, Saracenicæ quædam, vel Tranſmarinæ dictæ cucurbitæ quas nonnulli pepones appellãt, aliæ exterius albæ, alię verò ſubluteæ, omnes craſsi & peſsimi nutrimẽti: & ea de cauſa à ruſticis in hieme tantum comeduntur, Frigidæ enim & ſiccæ, temperatura ſunt, veluti priores omnes ſpecies, quas crudas comedere ſolemus, frigidæ & humidæ, in ſecundo gradu: Attamen, ſi quis aut ſemen aut radicem arefaciat, haud etiam humidæ fuerit naturæ: ſed iam deſiccantis, idq; in primo quodam ordine, aut in ſecundo incipiente, vt latius Galenus dixit libro citato de Facultatibus alimentorum. Porro, cucurbitam ac omne genus peponis vel eorum ſemina, ſaccaro hodie condiri, magno ægrotantium oblectamento, vel tonſores norunt, nedum aromatarij.

CONSTANTINVS.

SVperioribus notis in Amatum noſtrum, nobis rapina atq; napina egreſsis, non ineptũ fore arbitror ſi etiam cucumerarium ingrediamur, Et ſi hortulum hunc publicum adhuc arentem, communibus authorum aquæ viuæ fontibus, vel etiam priua & non conducta ciſterna irrigemus: modicè tamen per elices & ſulcos aquarios in colliquias humore deriuato. amãt enim cucurbitæ atque cucumeres aquam, non tamen nimis copioſam: atque irriguo nihil eſt elutius horto, iuxta Horatiũ. Nunc igitur vt moroſus holitor à ſocijs informatas areas & licet cylindro æquatas reformat, ſic quia mihi non placet aliorum ſcriptorum, huius etiam cartilaginei generis, cucurbitarum ſcilicet, cucumerum & id genus ordinatio atque per areolas diſpoſitio, omnia explantabo atque aliter digeram, prout viſum erit hæc oluſcula lecturo commodius. Primum de cucurbita quæ Dioſcoridi eſt κολόκυνθα, Galeno κολοκύνθη & Ariſtophani in Neb. κολοκύντη vel etiam ipſi Galeno in gloſsis ἀπωειδὴς κολοκύνθη, aliquid dicendum eſt. Ea igitur aut eſt ſatiua, aut Sylueſtris: ſatiua duum eſt generum, Cameraria et plebeïa. Cameraria reptantibus flagellis & viticulis tanquam manibus admota quæq; complectens, in altum ſe ſubijcit, vt ſæpe per aſpera par

ta parietum scandens in tectum vsq; , natura sublimitatis auida conscendat. Sic cui per se standi vires non sunt, alterius adminiculo fulcita statim maxima comparet: & leni foliorum vmbra subiectum locum opacat, cameras ac pergulas operiens. in hac, tenui pediculo libratur aurea pondus immobile. At Plebeia longis sarmentis per terram expansis humi perreptat, & parum assurgit sua humilitate contenta: soliis tamen luxuriat, & hospitem locum suis floribus conuestit, omniq; modo fastigiatur cucurbita, vaginis maximè vitilibus, coniecta in eas postquam defloruit. Crescit enim qua cogitur forma, plerumq; & draconis intorti figura: libertate vero pensili concessa, iam visa est, testante Plinio, nouem pedum longitudinis. Cucurbitæ cum aqua tanta naturæ conuenientia & consensus, Græci vocant Sympathiam, quanta cum oleo repugnantia atq; insitum odium, quod ijdem antipathiam nominarunt. Subiectum aut admotum ne attingat, auertitur, & se ipsam contrahit, quasi olei attactum exhorreat: vt autem aquam attingat, velut siticulosa, crescendo festinat sese promittens admirabilitate naturæ. Inter cucurbitarum varietates, quædam est ventrosa: nam in ventrem crescens mira amplitudine turgescit, eaq; ἄπιος est fatua & insipida, quæ in balneis vrceorum vicem præstitit, & cadorum ad vina condenda. Alia est quæ in longitudinem admirabilem excrescit atq; extenditur, à quibusdam etiam anguina appellata. Cucurbitarum præterea numerosior vsus, & primus, caulis in cibo. Cortex etiam viridibus deraditur dum tener est: in cibisq; salubriores quæ pendendo creuere. Lagenariæ vero Cucurbitæ dictæ, vsum viatores nouerunt, quibus lagenæ officio fungitur: Sed ipsa primùm ita artificio fungitur, funiculo dum crescit astricta qua parte desyderatur angustior. Nec nobis silendæ sunt Cucurbitarum genera indicta maioribus, & vt credibile, etiam incognita. Indica dico, tanta varietate naturæ quasi ludentis ad admirationem sui, vt difficile sit exprimere. Sunt & turbinata subrotunda, parua, & veluti anguina vernatione, pluribus in locis per plagulas interlita, carne constant firmiore, pulpaq; in qua semina vt phaseolorum cuidam generi, rubicundissima. Nunc ad sylvestres conuertatur oratio. Syluestris Cucurbitæ duplex species: vna somphos à Græcis appellata, inanis, vnde & nomen, digitali crassitudine, non nisi saxosis nascens. Colocinthis vocatur altera, ipsa plena, sed minor quàm satiua: viticulas & folia humi strata profert satiui cucumeris similia, incisa, vt habet Dioscorides: qui cùm de flo-

ribus taceat, tamen florum etiam conuenientiam cum cucumere, amentita Dioscoridis authoritate, de suo adiicit doctissimus Matthiolus, hac sylvestris cucurbita purgatoriam vim habet, dicitur; à Dioscoride lib.iiij.Cap.78. κολοκυνθὶς ab Hippocrate κολοκυνθὴ ἀγρία, ἢ σικύη καὶ σικυώνη: & apud ipsum legas τῆς σικυώνης σπέρμα pro pulpa spongiosa Colocynthidis, Galeno in glossis interprete, tametsi σικυώνη & σικῦς hortensem cucurbitam alijs significent. Rufus medicus, cuius opuscula impressa, de græco transtulimus, σικυωνίαν vocat Colocynthidem, quam etiam alij σικύαν πικρὰν, κολοκυνθαν ἀγρὸν, ἢ ἀλεξανδρίνην nominarunt. A quibusdam hæc pituitaria dicitur: pituitam enim vacuat, etiam Alexandro Aphrodiseo teste in præfatione primi libri problematum, quamuis ex Plinij libr.xxiij.Cap.1. Sciamus pituitariam esse Astaphidagrian siue staphin, vuam tamineam falso nominatam.

CAPVT II.

CArtilaginei generis est, extraq; terram cucumis, siue cucumer. Varroni lib.iiij.de lingua Latina cucumeres dicti à curuitate, quasi curuimeres, quorum semen Theophrasto lib.vij.de historia plantar. σίκυος dicitur. Sed fructus & planta σίκυος, vt etiam Galeno 8.Simplic. qui Dioscoridi σίκυς. Eius duplex genus est, hortense & sylvestre. Satiuus Cucumis herba est prælongis sarmentis in ramos vitis modo se spargentibus, folio rotundo, cucurbitæ aliquãto minore, flore luteo, Particulatim autẽ cucumis floret, sibi ipse superfloreſcens, & sicciores locos patitur, candida lanugine obductus, magisq; cum crescit: fructus oblongus est, & vbi maturuerit planus, maculisq; distinctus, cuius naturam mirè expressit Poeta cùm dixit: tortusq; per herbam, cresceret in ventrem Cucumis. mira voluptate, vt refert antiquitatis summus obseruator Plinius, Tiberio principi expetitus. Nullo quippe non die contigit ei, pensiles eorum hortos promouentibus in Soles rotis, olitoribus: rursusq; hybernis diebus intra specularium munimenta reuocantibus. Cucumerum Græci tria genera fecere: Laconicum, Scytalicum, Bæoticum. Ex his tantum Laconicum aqua gaudere. Est & Cucumis agrestis σίκυος ἄγριος Græcis dictus, multò infra magnitudinem satiui. ex eo fit medicamentum, quod vocatur elaterium, succo expresso è semine, inquit Plinius lib.xx.Cap.2. vel ex fructu, vt habet Dioscorides lib.iiij. Cap.155. in quo docet parandi modum, & magnificat vterq; author cum Theophrasto, elaterij vsum in medicina, quo nullum

diutur

diuturnius medicamentum, nec quod magis ætatem ferat. in summa agrestis cucumis, à satiuo, fructus tantum paruitate differt. Est enim oblongæ glandi similis, qui maturus non sine colligentium periculo, in oculos contentum succum eiaculatur, crepansq; dissilit, simul atq; attingitur. De genere eius est Cucumis scorpionius dictus, Anguininus etiam, siue erraticus.

CAPVT. III.

CVcumeres cum magnitudine excesserint, pepones vocari tradit Plinius: Ecce inquit, cum maximè noua forma eorum in Campania prouenit, mali cotonei effigie forte primò natum, ita audio vnum, mox semine ex illo genus factum, melopeponas vocant. Mirum in his, præter figuram coloremq; & odorem, quòd maturitatem adepti, quanquam non pendentes, statim à pediculo recedunt. Quibus verbis profectò significantur, Melones: sunt enim vt Palladius author est, de genere Peponum, à mali Cydonij figura quam referunt. nomine composito, Melopepones appellati. A peponibus autem differunt, quia pepones maiores sunt, striati magis, magisq; succulenti, Sed minus grati: carne molliore, & semine pauciore. πέπονες igitur ipsi sunt, qui de Peponibus tantopere rixantur, cùm melones nihil aliud sint quàm μηλοπέπονες Græcis, de genere Peponum. Pepo vero Græcis vocatur πέπων & σίκυος πέπων Aristoteli in Probl. Sect. 20. quæst. 32. Polluci etiam lib. vj. quem etiam σπερμαξίαν vocari tradit. Galenus vero 2. de Alimentis composito nomine dixit: σικυοπέπονα. Peponum autem permulta sunt genera, quæ sapore & figura distinguntur. Est enim ventricosus pepo qui à pediculo ad oculum vsq; striatus & canaliculatus. Alius etiam quem fœminam vocant, minus striatus. Sunt item qui Hircini & vulgò turchici: fiunt & succrini dicti, artificio, seminibus moscho aut saccharo imbutis, At qui citrulus medicis dicitur, quasi citreolus, quod citrei mali in forma & colore sit æmulus, sapore cucumerem refert, & folia habet multis incisuris diuisa alarum aut pennarum instar. Quin etiam ex Campania & Melita Siciliæ insula pepones asciti sunt, quos bothecas vocat Italia, folio melonum sed latiore: fructuq; multò crassiore, strijs obscuris, crasso pediculo contra ac in melonibus. hij fructus versicolores sunt, alij albicant, alij virescunt magis, qui maturi dulces fiunt atq; ab ægris in febrium ardoribus vehementer expetũtur. Tandem sunt & hyberni pepones qui in area & solo non matureſcunt, sed flaueſcunt solaribus appensi.

magnaq; voluptate in hyeme comeduntur. Nostra Gallia iam ferè hæc omnia agnoscit genera, sed alia alibi: quæ subtilius & enucleatius in iusto opere explicabimus. Nam hæc tantum sunt specimenis gratia, à nobis proposita lectoribus.

DE LACTVCA.

Græcè, θρίδαξ: *Latinè*, *lactuca*: *Lusitanicè*, *alface*: *Hispanicè*, *lechuga*: *Italicè*, *lattuca*: *Arabicè*, *cherbas*: *Gallicè*, *laittue*: *Germanicè*, Lattich.

Crispa.

Capitata.

Enarratio CXXX.

Lactuca. DIcitur lactuca, vt Palladio in Ianuario placet, quod abundantia lactis exuperet, quod quidem lac ventrem mouere leuiter, olim credebatur, quare apud veteres, in primis epulis veniebat, vt Martialis sequenti carmine testatur, quum dicat. Prima tibi dabitur, ventri lactuca, mouendo Vtilis: de qua quoque ille dixit, Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum, Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes? Syluestris verò longiori caule in campis

Syluestris.

pis nascitur, folio satiuæ simili, sed spinoso, præsertim quum ad complementũ peruenit, Satiua verò quæ in victus vsu quotidie venit, vt refert Galenus, humidum frigidumque est olus, non tamen extremè. Dicenda igitur lactuca, humida, & frigida est secũdum aquæ fontanæ frigiditatem, & vt lib. ij. de Facul. alimen. legimus, hoc olus, succi est quã alia omnia laudabilioris. Nã quum reliqua omnia sanguinem gignant pauciſsimum, ac praui succi, lactuca nõ multũ quidem generat, id tamen nec mali succi est, neq; omnino laudabilis. Porrò dum essem iuuenis, ventriculusque mihi infestaretur bile, lactuca qua ipsum refrigerarem vtebar: quum verò ad ætatem declinantem perueni, hoc ipsum olus fuit mihi contra vigilias auxilio, quæ senibus esse annexæ videntur. Habet itaque lactuca succum quidem frigidum atque humidum, minime tamen prauum, quare nec concoctioni resistit, nec perinde vt reliqua olera, ventrem cohibet sicuti neq; etiam prorritat.

Lactucæ temperatura.

DE GINGIDIO.

Græcè, γιγγιδιον: Latinè, gingidium, charefolium: Italicè, cerefolio herba: Gallicè, cerfueil: Germanicè, Kerbelkraut.

Enarratio CXXXI.

Gingidiũ charefoliũ est.

RECtè mea sententia, Ruellius Gallus, & post illum Fuchsius, in suo herbario, gingidium charefolium esse,

Gingidium.

esse, opinati sunt, quum reuera inter se maximè conueniant, est igitur gingidiũ chærefolium, herbula, nõ diu è Syria, & Cilicia in Italiam aduecta, & inde in alias regiones trãsportata: quãquam ad Hispaniã nondum quòd sciam peruenerit, syluestri pastinacę similis, tenuior tamen, & amarior, & culinæ satis commoda, radice sub albida, aliquantulum amaricante, floribus candidis, semine in siliquis exiguis, oblongo, angusto, & acuminato, quæ ideo chærefolium dicitur, quod foliis luxuriet. Quòd verò Hispani, herbulam hanc, in hortis suis hucusque satam non habeant, id in causa mihi esse videtur, quod coriandro viridi maximè vtantur, id ferculis quotidie infundendo, quod tamen vniuersa Italia, & Germania, ac Gallia, respuunt, & tanquam noxiam herbam horrent, cuius loco hanc amplexantur, chærefolium dictam, quæ in vniuersum alia est, ab ea quam Plinius chærefolium appellat. Huius porro vires, Galenus libro secundo, de Facultatibus alimentorum. cap. quinquagesimo quinto: & sexto libro, de Facultatibus simplicium medicamentorum, enarrat, dicens: Gingidium gustu amarum & astringens quum sit, temperie calidum frigidumque videtur: Secundum verò vtramque qualitatem, desiccatorium est, cætera porro, stomacho amicum existit.

Chærefolium Plinij.

DE SCANDICE.

Græcè, σκάνδιξ: Latinè, scandix.

Enar

Enarratio CXXXII.

Scandix.

SCandicem gingidio similem herbam, nobis diligentissimus vir Ioānes Falconerius Anglus, primò Ferrariæ indicauit, nec enim illam aliis nominibus appellari nouimus, qua de causa nomēclaturasalias non adiecimus.

DE CAVCALIDE.

Græcè, καυκαλὶς: *Latinè*, *caucalis*, *daucus agrestis*: *Hispanicè*, *queyones*, *ierua*: *Italicè*, *pitrosello saluatico*: *Gallicè*, *persil sauuage*: *Germanicè*, Rauch bibernell.

Enarratio CXXXIII.

ADeo caucalis herba, daucum refert, cum figura, tum foliorum incisura, & vmbella, vt meritò Daucus syluestris à multis appelletur. Nascitur enim hæc vbique, in aruis, folio inferiori petroselino simili: superiori verò, inciso, minuto, vt in fœniculo, cernitur, vnde ab Italis, petroselinum aggreste, herba ista dicta est. Præterea, huic similis folio & vmbella alia est herba, caule hirsuto, cuius radices rotundæ, nucum magnitudine sunt: exterius nigræ, intus verò albæ, & esui aptæ, quas pueri in Hispania, frequentissime comedunt, & eas, eadem voce, qua iuncum auellanam appellari diximus vocant, nusquam quàm in Hispania à me visas: nec mirum, quum, vt ait Virgilius. Nec verò terræ ferre omnes omnia

Caucalis herba.

Caucalis.

omnia possunt. Cæterum de caulide, ita prodit Galenus libro septimo, de Facultatibus simplicium medicamentorum, quidam daucum sylvestrem nuncupant, est enim ei adsimilis gustu simul ac viribus, excalfacit enim vt ille & desiccat, tum vrinam ciet, & muria ad repositionem conditur.

DE ERVCA.

Græcè, εὖζωμον: *Latinè*, *eruca*: *Arabicè*, *ergit*: *Hispanicè*, *aruga*: *Italicè*, *rucola*, *rucheta*: *Gallicè* Roquette: *Germanicè*, Vueiss senff.

Enarratio CXXXIIII.

Eruca. ERuca tam domestica quàm sylvestris communissima est herba, quæ plerunque in acetariis venit, & ideo eruca dicitur, quia in gustu erodat: euzomos verò, quia iura commendet, detque illis gratum saporem. Venerem enim eruca mouet, qua de causa, à poëtis salax eruca appellatur: de qua Galenus libro secundo de Alimentorum facultatibus capite quinquagesimo tertio, ita inquit: hoc olus manifestissime calfacit, semenque gignere creditur, & coëundi excitare appetitum, capiti etiam dolorem infert, præsertim siquis ipso solo vescatur: hactenus Galenus. Quibus, tu adde, modo quo eruca vescitur, calidus tempera-

tura

Satiua.

Syluestris.

tura sit, quum si frigidus fuerit, tantum abest vt illi dolorem capitis inducet, vt potius magnum adducat iuuamen.

DE OCIMO.

Græcè, ὤκιμον: *Latinè, ocimum: Arabicè, berendaros: Hispanicè, albahaca: Italicè, basilico: Gallicè, basilic: Germanicè,* Basilig.

Enarratio CXXXV.

NOn solum in hortis satum ocimum videtur, sed passim ad feneſtras figulinis vasis repositum, quod mulieres ob fragrantissimum quem habet odorē fouent, vnde ocimū ab ὄζω verbo quòd est redoleo, deductum est. Reperitur enim gariophyllatum dictum suauioris odoris, sic dictum quòd nescio quid gariophylli redoleat, propriè verò basilicon minutis foliis ornatum, acinos est, de quo tertio libro sermonem faciemus. Cæterum in ocimi *Ocimum.*

Ocimum mediocre.

Ocimum maius.

ocimi viribus multi diſsident, Galenus tamẽ cui habenda fides eſt, ſic de eo lib. viij. de Facult. ſimplic. medic. tradit: Ocimum ex ſecundo eſt ordine calfacientium, habet autem recrementitiã humiditatẽ, proinde nec commodum eſt, quòd in corpus ſumatur: cæterum foris illitum ad digerendum & concoquendum idoneum eſt. At Simeon Sethi, de eo ita quoq; iudicium ſuum fert, quum dicat, baſilica ocima, olfacta, cor, & caput iuuant, ſi aqua irrigantur humidiora fiunt, & ſomnum cõciliant, ſemen eorum cardiacis affectibus ſuccurrit, animi mœrorem ex atra bile ortam, in hilaritatem & lætitiam mutat.

Acinos quid.

Simeon Sethi.

DE OROBANCHE.

Græcè, ὀροβάγχη: Latinè, orobanche, erui angina: Hiſpanicè, yerua vaqua: Italicè, herba lupa, coda di leone, herba tora: Gallicè, pain de lieure, Jenien: Germanicè, Sommervuurtz.

Enar

Enarratio CXXXVI.

Orobanche.

Orobãche caulículus est.

NAscitur orobãche inter legumina, hordeum & canabin, pedalis altitudinis, caulículus, & minoris ad ruborem declinans, sine foliis, hirsutus, pinguis, tener, asparagi modo crassus, flore subrutilo, ad album declinante in totum hypocisti similis, nam radix illi, tenera, pollicaris crassitudinis est. Orobanche ex maleficio nomẽ traxit, quòd videlicet, legumina, præcipuè orobum, inter quę nasci diximus, strangulet, non illis, se circumligando, vt Theophrastus dixit, sed tantum inter ea nascendo, vt experientia indicat. Dicitur verò herba hæc, nonnullis, herba tauri: ab aliis autem herba vaccæ, eo quòd vacca quum eam comedit, illico ad taurum accedit, non minus quoq; cynomorion appellatur, quòd canis genitale membrũ referat, nam vna parte crassa videtur, alia verò subtilis. De qua ita Galenus lib. viij. de Facultatibus simplicium medicamentorum inquit, breuissimè, siccæ frigidæq; tẽperaturæ est, in primo ordine.

DE TRAGOPOGONE.

Græcè, τραγοπώγων: Latinè, tragopogon, barbula hirci: Hispanicè, barba de cabron, yerua, nozelhas: Italicè, sassefrica: Gallicè, barbe de bouc: Germanicè, Bocksbart.

Enarratio CXXXVII.

Tragopogon.

EST dubio procul herba hæc similis omnino herbæ erici, præsertim illa flores purpureos emittens: nam altera

ra luteos potius flores producit, sed vtriq; radix est parua, bulbosa, aliquantulum oblonga, auellanæ magnitudine, dulcis, esui apta, quam pueri in Hispania in campis eradicantes, à similitudine paruarum nucum, nozellas appellitant, & illarũ esu maxime oblectantur. Dicitur enim herba hæc barba hirci, quia in calice, nescio quid hircinam barbam repræsentet, quanquam Hermolaus Barbarus vir alioquin doctissimus, parum hoc animaduerterit.

Hermolaus taxatur.

DE ORNITHOGALO.

Græcè, ὀρνιθόγαλον: Latinè, ornithogalum: Hispanicè, leche de gallina yerua: Italicè, latte de gallina: Gallicè, churles: Germanicè, Klein erdtnuss.

Enarratio CXXXVIII.

Ornitho, galon.

Ornithogalon.

SCatent vniuersi campi fœno referti, ornithogalo herba, Dioscoridis picturę omnino respondente. Nec minus quoq; inter segetes reperitur herba hæc, sine foliis caulem producens, tenerum, subtilem, tribus quatuórve agnatis, & ipsis etiam tenellis, ex quibus flores prodeunt primo aspectu albi, sed postea penitius introspecti, exterius herbaceo, intus verò tantum lacteo colore deprehenduntur: in medio quorum postea tanquam in pillula semen seruatur, pistrinæ accommodatum, quum id panibus tanquam melanthium iniiciant: Radices quoque huius herbæ dulces sunt, bulbosæ, in victus vsu quotidie venientes, non minus ac castaneæ, quas rustici deficiente annona, non prætermittunt, famem, crudis & coctis propulsantes.

DE

DE TVBERIBVS TERRAE.

Græcè, ὕδνα: Latinè, tubera: Hiſpanicè, turmas de tierra: Italicè, i tartuffi: Arabicè, ramech: Gallicè, truſles: German. Morchelen, hirtz brunſt.

Enarratio CXXXIX.

PArit intra ſe tubera tellus, ſine caule, ſine foliis, aliiſve agnatis, quæ peſsimum & terreſtrem præbent nutrimentum, & vt tradit Auicenna neruis & ſtomacho inimica ſunt, qua de cauſa, conſulto iure carnium pinguium tubera elixanda ſunt, vel vt Platinæ lib. de Obſoniis placet, vino lota ſub cineribus coquēda ſunt, ac ſale & pipere aſperſa, adhuc calida in conuiuiis, poſt eſum carnium comedenda. Erūpunt enim, vt obiter hoc dicamus, tubera tonitru, vnde Aquinas poeta dixit: Et facient lautas optata tonitrua cœnas. *Tubera.*

DE HORTENSI SMILACE.

Græcè, σμίλαξ κηπαία: Latinè, ſmilax hortenſis, phaſelus: Hiſpanicè, fejones: Italicè, fagiuoli, faſeli: Arabicè, lubia: Gallicè, faſeoles: Germanicè, Faſelen, Vuelſch bonen.

Enarratio CXL.

ADeo clare phaſelus vulgatiſsimum legumen à Dioſcoride in præſenti deſcribitur, vt non multis opus ſit comprobationibus. Nam renum figura legumen hoc cernitur, aliquando rubrum, aliquando verò album, non nunquam quoq; nigro colore compunctum. De quibus omnibus hic Dioſcorides ſimul agit, non verò, vt quidam putāt, de vno tantum genere, pluribus variegato coloribus, quod hodie, Italia phaſelū Turcicum appellat, vt cap. 101. abunde diximus. cæterum coquuntur hodie in Italia pro cibo, teneræ ac viridis cum ſemine phaſeli ſiliquæ, veluti quoq; olim fieri Dioſcorides meminit. Cæterū, flatuoſum nutrimentū phaſelus gignit, nec omniño malum. *Phaſelus.*

DE MEDICA HERBA.

Græcè, μηδική: Latinè, medica: Hiſpanicè, alfaſe, eruaye: Arabicè, cot, & alfaſafat: Gallicè, ſaint

foin, foin de bourgongne: Grand treffle.

Enarratio CXLI.

HAec non vbiq; prouenit herba: at in regno Valentino apud Hispanos, abundantissime crescit, vbi quoque illius serendæ diligens, pro saginandis iumentis cura habetur, quam Arabica voce, alfalse, vel alfasasat appellare solent, in Gallia quoque eam nasci Ruellius est author, vbi trifolium magnum, aut potius Burgundiæ trifolium appellari tradit. Dicitur tamen herba ista Medica, quòd ex Media, in Italiam olim adducta fuerit, vbi quoque magna diligentia, pro iumentorum pabulo serebatur, sed nunc quòd nouerim, vniuersa Italia ea caret.

DE APHACE.

Græcè, ἄφακη: Latinè, Aphace, syluestris vitia: Gallicè, vesseron, Arabicè, apaki: Germanicè, Feldvuicken.

Enarratio CXLII.

Aphaca.

NAscitur in pratis & prope sepes aphace herba, caule quadrato, folio lentis, aut campestris eruiliæ, flore subrubro, sed postea siliculas quasdam emittit paruas, in quibus semen, ad speciei conseruationem recondit. Nam aphaca, apud Theophrastũ longe alia est herba, vtpote cichoreæ altera species, quam dentem leonis, aut tarraxacum, vel altarraxacũ appellari diximus. Porro Fuchsius in præsenti errat, quum aphacen, os mundi, herbam esse dixerit, quum proculdubio, os mundi,

Aphaca en diuia species.

Fuchsius errat.

folia

folia maiora habeat, filicis modo alata, herba in altum éreſcens, & ea de cauſa, à multis ſpectaculi gratia in hortis ſata habetur: Hódié verò áphacé, in Hiſpania nõ ſeritur, quia vbiq;, & in omnibus campis, præcipuè fœno refertis ſua ſponte naſcatur, vt audio tamen, in nonnullis Italiç locis, illius, non minus ac alterius cuiuſq; leguminis cura ſerendi habetur, de qua Galenus libro ſexto, de Facultatibus ſimplicium medicamentorum, ita inquit: Aphace áſtringit, edituráue vt ipſa lenticula, ægrius tamen concoquitur: Cæterum valentius deſiccat, & moderati caloris eſt, cætera verò legito lib. j. de Facult. alimen. cap. 6.

DE PORRO CAPITATO.

Græcè, πράσον κεφαλωτὸν: Latinè, Porrum capitatum: Hiſpanicè, Puerros: Italicè, porri: Gallicè, Poureaulx: Arabicè, Curat: Germanicè, Lauch, ſchnitlauch, & bryſslauch.

Porrum capitatum.

Porrum ſectiuum.

Enarratio CXLIII.

Praſum porrum. *Praſium marrubiū.*

PRaſum, porrum eſt, praſium verò marrubium, cuius inaduertentia Plinius quandoq; lapſus fuit. Agit igitur Dioſcorides de porro capitato, non quidem quòd ab aliis communioribus radices habentibus longas differat: ſed potius, quia olim in iſto capitato, maior ſuauitas & & teneritudo quàm in cæteris, percipiebatur. Parabatur autem porrum capitatum, id eſt, capitis latioris, vtpote cepæ modo incrementum habens ſequenti modo: quum enim tranſplantabatur, folia à radicibus auferebantur, ac ſubtus parum tegulæ, aut cuiuſuis alterius teſtæ ponebatur, ne porri radix in altum creſceret, ſed magis cepæ modo lata fieret, de quibus, & cepis, ac aliis, Galen. lib. ij. de alimentorum facultatibus cap. vltimo ſermonẽ fecit, cùm dicit: corpus enim calefacit, & craſſos in eo humores extenuat, glutinoſoſque incidit, bis tamen aut ter in aqua decoctum, acrimonia ſpoliatur, quanquam nec ſic quidem vim perdit extenuandi. At Simeon Sethi, porrum calidum & ſiccum in ſecundo ordine conſtituit, dicens quoq;, vrinam cit, & mali ſucci eſt, aſsidue comeſtum viſus hebetudinem efficit, difficilia inuehit ſomnia, & ſtomacho nocet, genitale ſemen calefacit, & capitis dolores excitat, iecur, renes, & veſicam ledit, confert ad hæmorrhoidas, bis verò aqua coctũ & aceto, & garo & oleo, cuminóq; cõditũ, ſalubre eſt, iis qui frigido ſunt ſtomacho.

DE AMPELOPRASO.

Græcè, ἀμπελόπρασον: Latinè, ampelopraſum, vinearum porrum, agreſte porrum: Hiſpanicè, ayos de las vinhas, puerros de las vinhas: Italicè, porro ſaluatico, porrandelo: Gallicè, porreau de chien, porreau ſauluage: Arabicè, Nabati: Germ. Vuildlauch.

Enarratio CXLIIII.

Porrum vinearum.

DIcitur ampelopraſum, quod in vinetis frequentiſſime naſcatur, quo ruſtici allij loco veſcuntur. Durã enim ſubſtantiam ampelopraſum habet, & acutum ex ſe ſpirat odorem. De quo Galenus libr. vj. de Faculta. ſimpl. medic. ita inquit, ampelopraſon, ſi inter allium & praſon, hoc eſt, porrum, medium quiddam concipias, facultatem

ampelop

ampelopraſi inueneris. Eſt enim agreſte vt ſic dicam porrum, quamobrem & acrius eo & ſiccius eſt, ſicut agreſtia omnia reliqua hortenſibus, ac proinde ſtomacho quàm illud nocentius, ſed & craſſos & lentos humores potẽtius incidit, valentiuſq; infarcta organa obſtructione liberat, hac quoq; ratione, vrinas ſæpe prouocauit, vbi à craſsis & lentis retinebantur humoribus, adeo vero eſt calidum vt illitum cataplaſmatis modo exulceret. Dictum autem eſt antea, quòd quæ eum in modum ſunt calida, extremi ſint ordinis. Hæc Galenus: in quorũ verborum primordio animaduertendum duximus, quòd Galenus, Ampeloprasum viribus conſtituit inter allium & porrum, quum tamen hæc potius ſcorodopraſo, hoc eſt allio porro, quàm ampelopraſo, vineto porro, conueniant: quæ quoq; Galenus lib. viij. eiuſdem citati voluminis cõfirmauit, quum dixerit ſcorodopraſon, ſicut guſtu & odore mediam ſcorodi, hoc eſt allij, & praſi id eſt porri, qualitatem poſsidet: ita & viribus, vnde prima illa verba, capitis ampelopraſi, addita ſupereſſe pro firmo crediderim.

DE CEPA

Græcè, κρόμμυον: *Latinè*, *Cepa*, *cepe*: *Hiſpanicè*, *Cebolhas*: *Italicè*, *Cipolle*: *Gallicè*, *Oignon*: *Arabicè*, *Baſil*: *Germanicè*, Zvuibel.

Enarratio. CXLV.

CEpa lachrymoſum olus, vbique vulgatiſsima eſt, cuius dulcis & acris ac media, veluti rubra & alba reperitur, quæ quoq; inter bulbos reponitur, imò Celſus omnia capitata olera, vel quorum radices in victum veniunt, inter bulbos reponit, vt capite de ſcilla quoq; meminimus. Ex quarto enim ordine excalfacientium cepa eſt, vt tradit Galenus, lib. vij. de Facul. ſimpl. medica. de quo certe haud admirari non poſſum, quum cepam in quarto collocet gradu: ſcillam vero medicamen venenoſum in ſecundo tantum. Cæterum, cepa vt Simeoni Sethi placet, lotium cit, & ſemen genitale gignit, cibi appetentiam excitat, capitis dolores facit, & ſtomacho officit, rationem etiam vt aliqui ferunt, lædit: ſi verò coquatur, plurimum malignitatis deponit, & vtilis fit *Cepa.*

ad thoracis asperitates, & tusses, hæmorrhoidas imposita aperit, & cum aceto inunctum, asphos extergit, etsi autem crassarum partium substantiam habeat, humores tamen crassos & lentos extenuat, ventriculum verò inflat, si crebrius quis ea vtatur, in lienis vitia incidit.

DE ALLIO.

Græcè, σκόροδον: *Latinè*, *Allium*, *Hispanicè*, ayos: *Italicè*, aglio: *Gallicè*, ail: *Arabicè*, Thum: *Germanicè*, Knoblauch.

Allium hortense. *Syluestre.*

Enarratio CXLVI.

Scorodon allium.

SCorodon quasi σκαιὸν ῥόδον id est rudem rosam, quòd aspere supra modum redoleat, dictum puto, & allium, quòd exiliendo crescat, honestum ac gratũ rusticæ plebi obsonium est, adeo vt à Columella lib. ij. inter hortorum delitias numeretur, & à Galeno rusticorum theriaca, siue rusticorum antidotum appelletur, quòd ad allium tanquam ad sacrum antidotum & theriacam, quum male sint affecti,

Sylueſtre. *Vrſinum.*

affecti, concurrant: cuius à Dioſcoride in præſenti duo deſcribuntur genera, Hortenſe ſiue domeſticum: alterum vero ſylueſtre quod Græci ophioſcorodon, id eſt anguinum allium vocant, ſua ſponte in aruis creſcens, folio prælongo, tereti, intus concauo, iunceam ſpeciem repræſentante, radice vero domeſtico non abſimili. Tertium autem genus, præter hæc duo citata comperitur, vrſinum dictum, in nemoribus naſcens, & nunc hortis Italiæ familiare factum, folio perſimili lilio conuallis, flore multiplici, albo, odorem allij reſpirante, radice vero tenui. Cæterum an allium peſtilenti morbo conueniat, & in eo tuto dari poſsit, dubium eſt: cui quæſito facile reſpõdemus, quòd in præſeruatione peſtis, aliis vti, optimum eſt conſilium, quanquam Abinzoarem oppoſitum aſſeuerantem videamus: ſed re vera, allium veneno aduerſari, & optimum eſſe antidotum, non ſolum comeſtum pro peſtis præſeruatione, ſed etiam vt ex eo conficiatur rubricans emplaſtrum in bubone peſtifero certum eſt. Verum allium in curatione morſus viperæ multum

Anguinũ allium.

Vrſinum Allium in peſte.

Allium in viperæ morſu.

valere, omnes tradunt, & nos ipsi experientia comprobatum habemus: quo fit, Auicenna Fen sexta, quarti libri, cap. xxxiij. quo de viperæ morsus cura agit, emendandus veniat, quum loco alliorum, Interpres somnum ineptissime interpretatus est, Vocum forsan Arabicarum affinitate deceptus: Nam taumi Arabes allia vocant, naumi vero somnum. Quum igitur Auicenna dicat, quod affectus viperę morsu, vtatur si possibile est, alliis & vini multitudine in potu, quum omnem excedat curationem, medicamen hoc interpres, non alliorum & vini multitudine, vtendum dixit, sed potius somni & vini quantitate: qui sane error vitæ humanæ periculosissimus est. Proinde Auicenna in eo loco vt diximus, emendandus est. Allium authore Galeno libr. viij. de Facul. simpl. medica. deficcat & excalfacit quarto excessu. Porro, ophioscorodon, agreste allium est, domestico valentius, ceu reliqua agrestia omnia. Sed hæc de scorodo sunt dicta: nam scordion herba, longe alia res est, de qua suo loco plura dicturi sumus.

DE SCORODOPRASO

Græcè, σκορόδοπρασον: Latinè, Allium porrum, allium Turcicum: Italicè, aglio de Turchi, Germanicè, Feldknoblauch.

Enarratio CXLVII.

Decipitur Marcellus Virgilius.

SCorodoprason herba, à natura producta est, non vero ab holitore ex allio & porro composita, vt Marcellus Virgilius putat. Nascitur in aruis foliis porri, quæ & in hortis iam hodie spectaculi gratia cernitur, & illam Turcicum allium vel Turcarum porrum appellant, allij & porri vires possidens, vt de eo testatur Gale. loco superius citato dicens: Scorodoprason, sicut gustu & odore mediam scorodi hoc est allij, & prasi id est porri, qualitatem possidet, ita & viribus.

DE SINAPI.

Græcè, σίναπι ἢ νᾶπυ: Latinè, Sinapi, Hispanicè, Mostarda, mostaza: Italicè, senape: Gallicè, seneue: Arabicè, Cardel: Germanicè, Zam oder garten senff.

Enarratio CXLVIII.

Sinapi.

Sinapis.

SInapis vt Athenęo placet, hic dicitur quod olfactu suo luminibus officiat, cuius duo habentur genera. Alterum, caulem habens hirsutum, longum, ramosum, folia rapi, minora tamen & asperiora, flores luteos, siliquas rotundas ac hirsutas, plenas semine paruo, minuto, & candicante. Alterum verò hirsuto quoque caule præditum est, minore tamen, foliis erucæ, sed maioribus & latioribus, ac laciniatis, floribus albicantibus, crucisque effigiem referentibus, siliquis teretibus, & oblongis, semine pullo rufescentéve refertis. Cæterum, ex sinapi, adiecta panis medulla & aceto, conditum paratur, probubula potissimum & duris piscibus comedendis, accommodatum, non minus quoque ex musto rubro & sinapi, apud Gallos frequentissime quoque concinnatur, veluti ex pomis sinape, cinnamomo & melle: est enim sinapis semen calidum & siccum quarto ordine, ex quo sinapismus ad exulcerationem paratur, vt Galenus ex mente Archigenis libris de Locis affectis meminit, oleum porrò ex eo confectum in officinis prostat.

Sinapis temperatura.

DE NASTVRTIO.

Græcè, κάρδαμον: Latinè, nasturtium: Arabicè, harf: Hispanicè, nasturcyos, malpica: Italicè, agreto: Gallicè, cresson alenois: Germanicè, Garten kressen.

Nasturtium hortense. *Syluestre.*

Enarratio CXLIX.

Nasturtiũ.

Nasturtiũ venerem incitat. Plinius errat.

NAsturtium appellatum est, à naribus torquendis, quòd odore & seminis acrimonia sternutamenta prouocet, cuius genera sunt duo, syluestre & domesticũ: de syluestri paulò antea diximus lib.j.capite de hiberide siue vicetoxico: nunc autem de satiuo, siue domestico sermo habetur, quod egregie inter olera prouenit, & Venerem stimulat, quanquam Plin.lib.xx.cap.13.illud eam inhibere contendat, non absq; errore tamen, vt experientia quotidiana docet. De quo Galenus lib.7.de Facultatibus simplicium medicamentorũ ita prodit: Nasturtij semen, adurentis facultatis est particeps, veluti napy. proinde omnia quæ rubrificationẽ postulant, eo excalfaciunt: miscetur quoque remediis quæ exhibentur asthmaticis, tanquam valèter crassos succos incidere valeat: porro & herba arefacta semini similem facultatem sortitur: nam quæ humida est, & viridis, multis numeris inferiorem.

DE

DE THLASPI.

Græcè, θλάσπι: *Latinè*, *thlaspi*: *Hiſpanicè*, *Luſitanicè*, *paniqueſo de flor blanquo yerua*: *Gallicè*, *ſeneue ſauuage*: *Germanicè*, Beſem kraut.

Latifolium. *Angustifolium.*

Enarratio CL.

TAnta eſt thlaſpis herbæ ſimilitudo, cum ea quam officinę burſam paſtoris appellant, vt nonnulli herbariorum, eam quoq; burſam paſtoris nominauerint: Ae reuera inter ſe multum differunt, quum folia in thlaſpide diuiſa in ſummitate eſſe videmus, craſſa, ſtricta, lõgitudinis digitalis, ſaporis acuti, non inſuauis. Vnde fit, quod pueri Hiſpaniæ illis veſcentes, panem & caſeum, herbam iſtam appellent: accedũt iis, quòd flores thlaſpis, albi ſemper ſunt: in burſa verò paſtoris, plerunq; lutei conſpiciuntur. Semen quoq; in thlaſpi, rubrum acutũ, & latum percipimus, vt eas inter ſe, vt viribus, ita & figura differentes dicamus. *Thlaſpis.*

dicamus. De qua Galen. lib. vj. de Facultat. simplic. medic. ita tradit: Semen eius facultatem acrem sortitur, adeo vt internos abscessus potũ disrumpat, menses ciet, & fœtum enecat, per sedem infusum sanguinoléta euacuans, ischiadibus prodest, euacuatque superne & inferne bilem oxybaphi mensura epotum. Verum, herba bursa pastoris dicta, frigida & sicca cum quadã stypticitate est, cuius succus recens extractus, vulnera recentia glutinat, & aceto mixtus, inflammationes & erysipelata sanat. Nam ex ea, & plantagine, parata in aqua pluuiali decoctio, cum bolo Armeno, dysentericis & hæmoptoicis, id est sanguinem è pectore screantibus, medetur. Demum, herba ista profistendo quocunque sanguine fluente, accommodata est, & merito vulneraria dicta.

Bursa pastoris herba.

DE ARABIDE.

Græcè, ἀράβις καὶ ἀράβη: Latinè, Arabis, draba.

Enarratio CLI.

Arabis.

HAnc & si Ruellius in Gallia nasci, præsertim in locis nuper cultis, eamque cuminum sylueſtre à vulgo appellari tradat, hucusq; tamen nunquam eam videre potui, Proinde, crederem herbã hanc, potius apud Cappadoces particularem esse, cuius semine frequentissime in cibariis vtuntur, quàm vel in Hispania, vel Italia nasci.

DE ERYSIMO,

Græcè, ὄρυσιμον: Latinè, irio: Hispanicè, rinchaon: Gallicè, tortelle: Germanicè, Vuilder senff.

Enarratio CLII.

DIoscoridis erysimon, siue irio, multum ab eo quod Theophrastus describit, differt, quum erysimon hoc Dioscoridis, herba passim in ruderibus, & fossis nascens sit, folio sylueſtri erucæ persimili, flore luteo, caule ramoso, lento, frangenti, cõtumaci, nam floris loco, siliquæ corniculorum figura prodeunt, in quibus semen minutum, sinapi vel nasturtio simile includitur: de quo Galen, loquitur lib. vj. de Faculta. simplic. medic. & Plin. lib. xxij. cap. vltimo. Nam Theophrasti erysimon frugũ genus quoddam est, hordeo vel speltæ perquàm simile, de quo Plin. lib. xviij. cap. 7. & 10. locutus fuit, & Galen. 1. de Facultat. aliment.

Erysimon Theophrasti frugum genus est.

aliment.lib. vbi sesamo, irionis semen simile fecit. Quod verò frugis genus hoc hodie sit, dubitatur, quũ Ruellius, tritici quoddam genus, ab Italis frumentonum dictum, esse credat, mea tamẽ sententia nõ sine errore, quum irionis folia, interdum virent, vt refert Theophrastus, à iumentis non edantur, quum tamen folia huius frumentoni auidissime, ab illis comedantur, nec vllam cum sesamo contrahit similitudinem, vt facile Ruellius conuincatur, quòd Theophrasti erysimon tritici genus dictum non sit. *Ruellius errat.*

DE PIPERE.

Græcè, πέπερι: Latinè, piper: Hispanicè, pimienta: Italicè, pepe: Arabicè, fulful: Gallicè, poiure: Germanicè: Pfeffer.

Enarratio CLIII.

NAscitur piper apud Indos, eo modo quo apud nos hedera, sic enim quoque piperis planta parietibus & arboribus hæret, circumuoluiturque folio mali cotonei, sed rotundiore, quanquã piper quoq; in planta folia vitis ferente, nasci à nõnullis visum est, & hodie Venetiis in nonnullis hortis conspicitur. Nascitur enim prius piper, affixum ramulo, tanquam verruca carni, sed postea, pediculis tanquam hederæ bacca pendet. Virides namq; piperis racemos, aceto seruatos, ex India, ad nos Amici transuexerunt: ex quibus exacte conscij sumus, quod piper eo modo dicto cresceat, naseatúrve, sed quum ad maturitatẽ peruenit, colligitur, & in storeis ad torridũ Solem ponitur, vbi eo modo quo nos corrugatũ videmus efficitur. Interdum autem granum hoc omphax, ac immaturũ est; album piper appellatur, ita vt piper nigrum, & album eiusdem sit arboris fructus, nec in alio differãt, quàm maiori vel minori maturatione. An verò piper album, nigro calidius sit, vel è contrario, variant Authores. Nam Dioscorides, nigrum calidius, ac maiori acrimonia præditũ, gratiusq; cibis esse testatur: Galen. verò, lib. viij. Simpliciũ, contrarium contendit, vtcunq; tamen sit, vterq; errat, quia piper longum eiusdem arboris, fructum esse credant, quum reuera, piper longum, alterius arboris fructus sit, qui ex insula Somatra, Taprobana dicta adfertur, valenter enim *Piper.* *Piperis genus quod calidius sit Galenus errat.* *Dioscori. errat.*

omnia

omnia hæc tria piperis genera calfaciunt, tum deficeant, & vt quarto lib. de Sanitate tuenda refert, piper longum, flatuosi spiritus crassitudinem soluit, & quę in præcordiis pigra cessant, ad ventrem inferiorem depellit, & concoctioni ciborum subuenit, & subdit: Si huius copia non est, vtiq; albo vtendum, quippe quod suprà duo reliqua genera ventrem roborat: Sin hoc non adest, optimum nigrum petendum est: id verò fuerit, quod pondere præcellit. Paratur enim ex omnibus compositum, diatrion pipereon dictum. Cæterum quum de pipere locuti simus, non abre quoq; fuerit, de caryophyllo præstātissimo aromate, verbum facere, quum culinæ multum deseruiat, tametsi eo antiquitas pro odoramento, referente Plinio, tantum vtebatur. Est igitur caryophyllon festucarius quidam flos cuiusdam arboris apud Indos nascentis, buxo, tum figura, trunco & folio persimilis: falluntur qui caryophyllo folium nucis, aut cinnamomi inesse autumant, quum reuera, arbor caryophyllorum, buxi folio vestiatur: vnde Paulus Aegineta, libr. vij. suæ medicinæ recte hoc animaduertens dixit: Caryophyllon, quasi dicas, nucifolium non eam habet substantiam, quæ nomine prætenditur: sed ex India, veluti flores cuiusdam arboris festucacei, & nigri sunt, longitudine pollicari, propemodum odorati, acres, subamari, calidi & ficci in tertio ordine, qui multiplicis vsus sunt, tum in faciei medicamentis, tum in aliis. Apud Galenum tamen, nusquàm quod meminerim, de illis mentio facta est, quanquam Serapio, cap. 307. Galenum citet, & paulo post dicat: Paulus quidem dixit sicut Galenus de litera ad literam, vnde significatur, quòd ea ab eo transtulit, & subdit: cōfert enim stomacho caryophyllon, & epati, confortat cor, ventrem constringit, & cibum concoquit, pondere vero quatuor scryptulorū cum lacte, ieiuno stomacho, potentiam veneream corroborat. Iis carpesium proximum est, quod cubeba officinis dicitur, vt libr. j. meminimus, & Actuarius confirmat, non enim carpesium, zedoaria siue zurumbet Arabum est, vt Mathiolus augurat, quum potius, vt dicimus carpesium cubeba sit, de quo Galenus lib. vij. de Facul. simpl. medic. ita inquit: Carpesium simile est valerianæ, tum gustu, tum facultate, sed plus habet tenuitatis, proinde magis ea viscerum

Piper longum.

Diatrion pipereon.

Caryophyllum.

Carpesium cubeba est.

cerum obstructiones extergit, vrinam mouet, renesque calculis degrauatos expurgat.

DE ZINGIBERE.

Græcè, ζιγγίβερις: *Latinè*, *Zingiber*: *Hispanicè*, *Gengiure*: *Italicè*, *gengero*: *Gallicè*, *Gingembre*, *Arabicè*, *Zingibel*: *Germanicè*, Imber.

Enarratio CLIIII.

ITa enim apud Indos Zingiber seritur, quo apud nos allia, imo Zingiber, cannarum & veluti alliorum folia emittit, quibus in iusculis & coquinario vsu, ac acetario, Indiani, veluti nos alliorum foliis, vtuntur: aduehitur porro zingiber ex insula Cananoris. Radix alba nodosa, multidiuisa, odorata, saporis acuti, quæ ne euanescat, ac vermibus corrodatur, terra quadam rubra aqua dissoluta, inficitur, ac sic infectam, rubrum zingiber appellant. Affertur enim ex India saccaro conditum, senibus, & pituitosis, ac frigidis, & male concoquentibus stomachis accommodatum, quanquam Venetiis & variis aliis locis, siccum zingiber lixiuio emollitum prius, saccaro quoq; paratur, non adeo tamen bonum, vt ex India aduectum. De zingiberis vero viribus, ita meminit Gale. libr. vj. de Facul. simpl. medic. Zingiberis radix excalfacit, sed non primo statim occursu, veluti piper: vnde sane & minus esse subtilium partium quàm piper, existimanda: Etenim illaboratam quandam, & crassam retinere in se videtur humiditatem, quemadmodum piper longum, quare diutius perseuerat quæ proficiscitur à zingibere, aut pipere longo caliditas, quàm quæ ab albo aut nigro. Porro vbi totum corpus celerrime calfacere consilium est, ea tunc exhibēda sunt, quæ & celerrime à caloris nostri contactu incalescant, & promptissime vndequaq; ferantur. Verum vbi partem quamuis refrigeratam recalfacere studemus, contrà agendum, nimirum quæ tarde calescentia, plurimo tempore perdurent, ea præbendo. Cæterū, licet zingiber & piper longum, hac prædicta ratione à nigro pipere differant, non magna tamen est differentia. At nasturtium, napy, tapsia, & agrestium columbarum stercus, maiori tempore perfecte accenduntur, & plurimo tem- *Zingiber.*

pore perdurant. Cæterum zingiberi aroma aliud ſimile
Zedoaria. videtur, quod zedoariam: Arabes vero, zurumbet vo-
cant, à Græcis vt dixi, prætermiſſum: quia carpeſium
Zurũbet. cubeba eſt, non vero zedoaria, de qua Serapio, cap. 169.
ita inquit: zurumbet, id eſt zedoaria, calidum & ſiccum,
in ſecundo gradu eſt, impinguat conueniente obeſitate,
& aufert ventoſitates, & de eius proprietate eſt, alliorum,
ceparum, & vini, tetrum odorem auferre, item morſui
venenoſorum animantium opitulatur, & craſſas ventoſi-
tates reſoluit, ac ventrem conſtringit: quibus adde apo-
ſtemata quæ ſunt in matrice reſoluit, vomitum retinet,
& colicam affectionem curat.

DE HYDROPIPERE.

Græcè, ὑδροπέπερι: Latinè, Hydropiper, perſicaria non maculata: Hiſpanicè, hierua pexiguera ſin manchas: Italicè, herba perſecaria: Germanicè, Mucken kraut, vuaſſer pfeffer.

Enarratio CLV.

Hydropiper. HYdropiper ſiue aquaticum piper, vt paucis dicamus, perſicaria herba abſq; literulis eſt, ſic dicta, quia folia perſicæ arboris ſimilia habet: Nam abſq; literulis ſiue maculis aut notis dicitur, ad differentiam alterius, ma-
Perſicaria immaculata. culis inſignitæ. Eſt igitur herba hæc perſicaria immacu-
lata dicta, ſapore acuta, acinoſum ſemẽ, & acutum quoq; habens, aquoſis in locis plerunq; naſcens, in vniuerſum deſcriptioni hydropiperis reſpondens, vt meritò affir-
mare debeamus, perſicariam officinarum abſque notis, Græcorum hydropiper eſſe. Vnde mirari ſatis nõ poſſum
Ruellius errat. Ruellium virum alioqui doctiſsimum, qui tam intentate ſcriptum reliquerit, quòd eupatorium cõmune officina-
rum, canabis folia habens, hydropiper ſit, quum tantum reuera inter ſe differant, quantum beta à portulaca. Cæte-
Siliquaſtrum. rum ſiliquaſtrum vel piperitis à Plinio deſcripta, lib. xx. cap. 17. ea eſt herba, cuius mentionem lib. j. cap. de Carda-
momo fecimus, quæ pyramidales ſiliquas, cordis modo, profert, vnde ſiliquaſtri nomẽ meruit, & piper Hiſpanum ſiue piper Indianum appellant. Auicenna verò zingiber caninum appellare videtur, cuius ſiliquæ maturæ rubræ

coralli

coralli modo lucentes sunt, tanti feruoris & acuminis, vt piper excedere, ac sapore superare videantur. Nam piperitis, vulgaris herba, vt diximus, alia res est. De hydropipere verò persicaria dicta, loquitur Galenus lib. viij. de Facultatibus simplicium medicamentorum dicens: hydropiperi à locis in quibus nascitur, & à similitudine quæ illi cum pipere in gustu est, nomen sortitum est. Cæterum, non vsq; adeo calidum est quàm piper, attamẽ herba ipsa etiamnum viridis, cataplasmatis in modum imposita sugillata & tumores induratos digerit.

DE PTARMICA.

Græcè πταρμικὴ: Latinè, Ptarmica: Italicè, Oliuella: Hispanicè, Pelitre saluatico: Germanicè, Vvilderbertram.

Enarratio CLVI.

Ptarmica.

ΠΤΑΡΜΟΝ, Latini sternutamentũ vertunt, vnde ptarmice, quia sternutamentum iterare faciat, nomen habet, herba pyrethro non absimilis, tum folio, flore, & saporis acutie, vellicat enim linguam pyrethri modo, quanquam mitius, flores porro, anthemidis siue camomillæ, rotundi in huius herbæ summitate apparent, qui acri suo odore, nares ferientes sternutamentum irritant, & vt tradit Galenus libro octauo citato, præterdicta, sugillata & cæteras ecchymoses digerit: Viridis porrò calfacit, secundo ordine, tertio autem siccat.

DE STRVTHIO.

Græcè, στρουθιον, Latinè, radicula, Arab. Condes.

Enarratio CLVII.

STruthion, siue radicula, aut fullonum herba, Arabum condisi est, quam nostri saponariam appellant, cuius species duæ hodie visuntur, altera parua, flores lanosos producēs, humi sparsa, & ea de causa, à Græcis, χαμαίπιτυς, appellata, quæ aqua manibus fricata, ex se spumam emittit, qualem à sapone oriri videmus, Hispanis admodum familiaris, sub nomine saponariæ. Altera verò ab herbariis hodie indicatur lanaria herba, siue saponaria, hortis familiarissima, clymeni folia habens, caulem vero rotundum, nodosum, nō verò fabaceum, vt in clymeno conspicitur, quæ dubio procul, multū ab ea quam Plin. lib. xix. cap. 3. describit, abest, vtriusq; tamen radix, pro sternutamento euocando, in vsum trahitur. De qua Gale. lib. viij. citati voluminis dixit: Radix eius est aeris, calida, siccaq; temperamento, ex quarto propemodum ordine excalfacientium, sed & abstergit, & irritat, proinde & sternutationē prouocat. Cæterū, vnde herba ista, struthion, sit dicta, non satis constat, nisi forte à foliorū ordine, quę quodantenus auiū alas imitantur, nam Græcorū struthon siue struthion, Romanis passer est. Sed quū de struthio loquor, iu mentem venit herba quædam, apud Lusitanos, non nisi in muris patriæ meæ Castelli Albi, & Nisiæ, oppidi circumuicini, nascens, quæ dubio procul, tanquā naturæ miraculum adduci potest. Est enim herba hæc, in muris, vastissimis lapidibus constructis, illis, nascens, nec aliter quàm inter vtrunq; lapidem crescens, caule bicubitali, & ampliori, lanuginoso, folio parietariæ, resinoso, florem verò si spectes, passerculum, aut auiculam albissimam, lanugine quadam vestitā dices, vt inde nostri, herbam istam non nisi passerculorum, aut auicularū herbam appellent, floret autē veris tempore, ac in hyeme emarcescit, postea verò, verno tempore repullulat. Nec enim alibi, quàm in iis duobus citatis locis, herbam hanc vnquā mihi videre contigit. Nullius præterea vt hæc dicamus, odoris flos hic est, imò tota ipsa herba ad nullos vsus medicos seruabatur: Olim verò causam huius floris inuestigans, nō aliam inueni,

Herba passerculorū.

inueni, quàm quòd ſtruthij, paſſeres dicti, inter illos magnæ molis lapides, nidificant, ex quibus ſemen eiaculatum herbæ radicem attingere, ac eam inficere, erat poſſibile, adeo vt inde, & cœlo fauente: flos ille auiculæ modo effigiatus euaſerit. μυθολογία

DE CYCLAMINE.

Græcè, κυκλάμινος: Latinè, Cyclaminus, rapum terræ: Hiſpanicè, pan de puerco: Italicè, pan porcino, ciclamino: Gallicè, pain de pourceau: Arabicè, Buchormarien: Germanicè, Erdvuurtz, oder apffel, Schuuein oder ſeuubrot.

Enarratio CLVIII.

Cyclaminus.

Dicitur cyclaminus, panis porcinus, quia à porcis auidiſsime eius radix tuberoſa manditur. Nota enim herba eſt, & à ſeplaſiariis in continuo vſu habita, cuius vires Galenus inueſtigans ita lib. vij. de Facultatibus ſimplicium medicamentorũ tradit: Abſtergit, incidit, ora venarũ aperit, attrahit, & digerit, ſuccus eius hæmorrhoidas reſerat, violéteréque ad ſeceſſum prouocat in floccis appoſitus. Sic etiam facultatibus phymata, ſtrumas, aliasq; durities digerétibus commiſcetur, ac ſuffuſis cum melle illitus competit: ad hæc per nares expurgat, adeo vehemens eius facultas ſit, vt abdomine illito, ſubducat aluum, & fœtum perimat. Tota autem radix ſucco imbecillior eſt, quanquam & ipſa vehemens

satis. Nam & menses siue epota, siue apposita, euocat & aurigini prodest. Modus eius bibendi est drachmarum trium, siue cum meliocrato, siue cum passo, cutem detergit, ac tum alopecias, ephelidas, omniaque exanthemata curat, necnon auxilio est lieni indurato. Mesue verò, calidam & siccam in tertio ordine hanc collocat herbam.

DE ALTERA CYCLAMINO.

Græcè, κυκλάμινος ἑτέρα: Latinè, Altera cyclaminus.

Enarratio CLIX.

Cyclaminon vnico folio.

QVænam herba hęc, secunda cyclaminus sit, non satis constat. Nam Ruellius herbam quandam, ab Italis tamaro dictam, pro ea indicare solebat, quã quoq; sigillum Mariæ appellari, ob id quod ab Arabibus bothomarien dicebatur, contendebat: sed revera Ruellius fallitur, quia Arabes, primam cyclaminum, bothomarien appellant, non verò secundam hanc: item, quia herba ab eo delineata, magis vitis nigræ descriptioni, quam huic respondere videatur vt suo dicemus loco. Porro Mathiolus Senensis, hanc secundam cyclaminum à se conspectam affirmat, radice parua, auellanæ persimili, quam hucusque nos nunquam videre potuimus.

Ruellius fallitur.

DE DRACVNCVLO MAIORI.

Græcè, δρακόντιον: Latinè, Dracontium, dracunculus maior, Proserpinalis Apuleio, Hispan. Tara-

gontia,

gontia, *Italicè*, *dragontea maggiore*: *Gallicè*, *Serpentine*: *Arabicè*, *Luf*: *Germanicè*, Schlangen kraut.

Enarratio CLX.

Dracunculi. I. *ſpecies.*

VArias eſſe dracunculi ſpecies, teſtatur Plinius lib. xxiiij. capite 16. vbi ita inquit: Id autem quod Græci dracontion vocant, triplici effigie mihi demonſtratum eſt, foliis betæ, non ſine thyrſo, flore purpureo: hoc eſt ſimile aro. Alij radice longa, veluti ſignata articuloſaq; monſtrauere, tribus omnino cauliculis, folia eius ex aceto decoqui cõtra ſerpentium ictus, iubentes: Tertia demonſtrata fuit, folio maiore quàm cornus, radice harundinea, totidem vt affirmabant geniculata nodis, quot haberet annos, totidemq; eſſe folia. Libro quoq; xxv. cap. 2. In Luſitania, inquit, cognoui in agro hoſpitis, nuper ibi repertũ dracunculum appellatũ, caulé pollicari craſſitudine, verſicoloribus viperarum maculis, quem ferebant contra omnium morſus eſſe remedium. Alius eſt quem nos in priori volumine eiuſdem nominis diximus, ſed huic alia figura, aliudque miraculum, exeuntis è terra ad primas ſerpentiũ vernationes bipedali fere altitudine, & cætera. Ex hac igitur multiplici dracunculi differentia ſatis clare patet, quàm perperam dicant ij, qui caput ſequens Dioſcoridi ſuperadditum eſſe contendunt, quum dracunculus maior in multis creſcat prouinciis, longe à minori differens. Nam apud Flandros & Gallos, Italoſque procerè creſcit, ita vt Seplaſiarij ad tabernas, tanquam

Legitur apud Pli. in ea, & loquitur de Lacetania, Hiſpaniæ proxima parte. vide apud ipſũ Plin. de Lacetanis lib. & cap. 3.

ſpectaculum; ac prætereuntium remoram, eum ponant, præſertim quãdo purpureo illo flore, cornu modo oblongo floret. Nam tunc, res mira, ac horrenda apparet. Cæterum Galenus dracuntiorum omniũ, vtpote eaſdem ferè facultates habentium, ſub vno capite mentionem fecit, dicens: Quiddam aro perſimile obtinet, tum foliis, tum radice: cæterum illo acrius eſt, & amarius ac proinde calfactorium magis, & tenuioribus partibus. Habet etiam & aſtrictionẽ leuiculam: radix omnia viſcera expurgat, optimumq́ue remedium eſt contumacium vlcerum. Verum exterget etiam cætera omnia, quæ exterſionem deſiderant: folia præterea ſimilem facultatem ſortiuntur, ob idq́ue ſi ſint viridia, recentia vulnera glutinant, fructus valentior eſt, nõ foliis tantum, ſed radice, itaq; & cancros, & polypodas creditur eliquare, ſuccus eius quoq; vitia oculorum expurgat. Hæc Galenus. Cæterũ dracontium hoc calidum & ſiccum in ſecũdo ordine eſt, aluum quoq; tentans, vt experientia quotidiana indicat, quare Manardum hic minus bene Meſuem taxare, certum eſt.

Manardus non benè Meſuem taxat.

Dracunculi.2. ſpecies.

Dracunculus minor.

DE DRACVNCVLO MINORI.

Græcè, δρακόντιον μικρόν: Latinè, dracunculus minor, dracuntiũ minus: Hiſpanicè, taragontia, hierua colubrina: Italicè, dragontea minore: Gallicè, ſerpentine: Ger. Klein ſchlangen kraut.

Enarratio CLXI.

DRacunculus minor, qui viperina, aut dracõtia, ob eius quoq; maculatum caulem dicitur, vbiq; vulgaris eſt, & offi

cinis

cinis satis cognitus, cuius radix abortum facit, & aluum subducit, ac magnifice faciem abstergit: qua de causa, ex ea mulieres pro polienda facie, quotidie vnguentum parant. Cæterum, in vniuersa Italia, herba quædam hodie comperitur, quam draconē, siue draconeam, aut dracontium appellant, folio oblongo, hyssopi modo, sed ampliori, sapore feruido, acetum & salem referente, & ea de causa, acetariis expetita, quia vtriusque saporem, in ea herbarum miscella superet, ita vt nec salem, nec acetum, sit opus addere. Nascitur autem herba ista, ex semine lini in cepa incluso. *Dracon herba.*

DE ARO.

Græcè, ἄρον: *Latinè*, *arum*, *Hispanicè*, *yaro*, *foia de yaro*: *Italicè*, *aro*, *Iaro*: *Gallicè*, *vit de prestre*: *Germanicè*, Pfaffenpint, arona.

Enarratio CLXII.

Arum.

ARum communis, & nusquā non familiaris habetur herba, diuersimode tamen, quum non vbiq; æqualiter nascatur, acris, imò aliquando adeo mitis eius comperitur radix, vt rapæ modo, edi possit, quemadmodū Galenum adnotasse legimus lib. ij. de Facult. alimentorum, cap. 63. qui quoq; de illius viribus lib. vj. de Facult. simplic. medic. ita inquit: Mediocrem extergēdi vim possidet, estque primi ordinis calfacientium, & exiccantium, radices eius *Arum.*

comeſæ mediocriter humorum craſsitiem incidunt, ita vt ſint excreationibus ex pectore idoneæ. Hæc Galenus. Verum herba iſta, vt viribus differens quãdoq; reperitur, ita quoq; & radicis colore varia cernitur, quo factum eſt, vt Dioſcorides, candidam radicem habere arum tradat: Plinius verò nigram libro xxiiij. capite xvj.

DE ARISARO.

Græcè, ἄρισαρον, *Latinè*, *Ariſarum*: *Hiſpanicè*, *fræylillos hierua*, *fradinhos hierua*: *Italicè*, *eriſaro*.

Enarratio CLXIII.

Ariſarum EST vt refert Plinius libr. xxiiij. ca. xvj. & res ipſa indicat, ariſaris, vel ariſaron, aro ſimilis herbula, minor tamen, & minoribus ornata foliis, radice vero oliuæ magnitudine, qua multi tãquam pretioſiſsimo ſecreto apud Germanos inferiores contra peſtem vtuntur, vocant autem Hiſpani herbam iſtam, plurali numero, fraylillos, id eſt fraterculos, forſan quia figura monachulum referre videatur.

DE ASPHODELO.

Græcè, ἀσφόδελος: *Latinè*, *aſphodelus*, *haſtula regia*, *Hiſpanicè*, *Gamones*, *gamonitos*: *Italicè*, *Amphodello*: *Gallicè*, *Aphrodille*: *Arabicè*, *Biruach*: *Germanicè*, Goldtvuurtz.

Enarratio CLXIIII.

ASphodelus officinarum affodillus eſt, herba haſtula regia dicta, ob id quòd omnium plantarum, quæ bulbos habent, maximum proferat caulem, cui radices coaceruatæ, multæ glandibus ſimiles, in longitudine ſunt, colore vero aureo, ſapore acri, quæ in vniuerſa Hiſpania paſsim in pratis & conuallibus reperitur. Nam in frigidioribus regionibus difficulter naſcitur, & Anthuerpiæ ſemel tantum, & eam quidem in horto Martini chirurgici ſatam vidi. Noſtro hoc tempore, huius radices in vſum victus non veniunt, vt olim veniebant: & Heſiodus ac Plinius cæterique antiquiſsimi viri affirmant, imò tam nunc alienus hominibus cibus, aſphodelus eſt, vt potius pro muribus interficiendis, ipſa hodie vtantur.

Vnde

Vnde & merito illius radices, inter medicamenta erodentia, censendæ sunt, non vero inter olera, vt prisci faciebant. De qua Galenus, lib. vj. de Facult. simpl. medica. ita prodit: Huius radix extergentis est facultatis, vstæ autem cinis, calidior, exiccantior, subtilior, ac digerere potentior existit, ac proinde alopecias sanat.

CONSTANTINVS.

Asphodelum etiam heroion dictam scribit Plinius libr. xxij. Cap. eodē, in syluis nosci dixit Hesiodus, Dyonisius marem ac fœminam esse: Folium habet oblongum, inquit idem author lib. xx. Cap. 17. radix napis modicis similis est, neq; alia numerosior. 80. Simul aceruatis sæpè bulbis. Theophrastus & serè Græci, princepsq; Pythagoras caulem eius cubitalem, & sæpè duùm cubitorum, folijs porri syluestris anthericon vocauere: radicem verò: id est bulbos, asphodelum: nostri inquit idem Plinius, illud albucum vocant, & asphodelum hastulam regiam. Nicander & contra serpentes & scorpiones, vel caulem quem Anthericon vocari tradidimus, vel semen, vel bulbos dedit in vino. Mandebantur enim olim bulbi, quod nostris temporibus desitum. in huius plantæ nominibus, inter se non consentiunt authores tantum interpretum culpa, maximè Dioscoridis, qui huius hæc verba de Asphodelo li. ij. Cap. 199. καυλὸν ἢ λεῖον ἔχουσα ἐπάνῳ ἄνθος καλούμενον ἀνθερικὸν, ita interpretantur: caule læui, ferente in cacumine florem, quem anthericon appellant: cum adiectiuum καλούμενον id est vocatum, referendum sit ad caulem, non ad florem vt optimè Plinius ostendit: quod miror adhuc à nemine animaduersum. super hac materia vide Aulum Gellium libr. xvij. Cap. 2. Et Theophrastum lib. vij. Cap. 12. de historia plantarum, qui anthericon videtur vsurpasse pro tota planta, vt etiam obseruauit Cælius antiquarius, qui tamen nec ipse Dioscoridem intellexit. Interpres Theocriti à se facere Theophrastum asseruit, cum illud enarrans apud ipsum Theocritum, Ἀνθαὶ ἔσι ἀνθερίκεαι καλεὸ πόλυς ἀκριδοδόκαν Σχοίνῳ ἐρεγμόσδων, Anthericos inquit, fructus asphodeli, cuius folia porri syluestris maiora & latiora: caulis vero antherix vocatur, cubitali vel amplius magnitudine, hoc ipsum ait & Theophrastus. Asphodeli mentionem & Homerus fecit, Lucianusq; manes eo vesci tradidit. Decantatumq; illud Hesiodi Ἠΰ' ὅσον τε μαλάχη τε καὶ ἀσφοδέλῳ μεγ' ὄνησε. Nec tacendum illud, quod apud Dioscoridem lib. j. Capite de Rhamno in impressis Græcè codicibus, de rhamni fructu legatur, ἐλαίῳ ἀσφα-

λείῳ?

δέλῳ. id verticilo similem interpretes reddiderunt, quod & Thusanus adnotauit in dictione Asphodelos libri menda deceptus: legendum enim σπονδυλίῳ, vt & credibile Ruellium, cæterosq; legisse in fideliore Codice.

DE BVLBO VOMITORIO.

Græcè, βολβὸς ἐμετικὸς: Latinè, Bulbus vomitorius: Arabicè, Zir.

Enarratio CLXV.

Bulbus. BVlbus vomitorius, ad differentiam cibarij bulbi, quia vomitum ciet, dicitur, planta quæ foliis nigris, & radice allio persimili vestitur.

DE BVLBO, QVI EDENDO EST.

Græcè, βολβὸς ἐδώδιμος: Latinè, bulbus esculentus, Arabicè, Basar alzir.

Enarratio CLXVI.

Bulbus esculentus.

FRequenti in vsu, bulbus qui edendo est, habetur: cepa quidē parua, oblonga, rubra, quæ venerem irritat, & Ascalonitam, siue Ascaloniæ cepam, quia ab Ascalone oppido Syriç aduectam, appellant, de qua Martialis in epigrāmate dixit.

Quum sit anus cōiux, & sint tibi mortua membra.
Nihil aliud bulbis quā satur esse potest.

Vnde & merito, Marcus Varro, in nuptiis bulbos edendos suadet, cui Apitius assentitur, dum modo, nuclei pinei, erucæ succus, & parum piperis dictis addatur. Cęterum, tanti fecit Pythagoras bulbos Megarenses, vt de eorum natura

natura, integrum, vt fertur, composuerit volumen, inter quos scillam, & pancratium præcipuè numerare est, aliaq; diuersa genera vt, apud Theophrastum, lib. viij. de Plantarum historia legere est, & Plinium lib. xix. cap. 5.

CONSTANTINVS.

FAllitur Lusitanus, est enim & bulbus vomitorius & esculentus nostris hominibus ignotus: Atq; Ascalonia ab oppido Iudeæ nominata, Plinius enumerat inter cepe genera li. xix, cap. 6. & Theophr. lib. vij, Cap. 4. de bulbo vomitorio ab effectu vide Plinium lib. xx. Cap. 9, qui bulborum syluestrium florem anemonem etiam vocat lib. xxj. Cap. 11. De bulbis etiam Galenus lib. vj. Paulus Aeg. lib. vij, Martialis. lib. xij. Columella lib. x. Quæq; viros acuunt armantq; puellas, Iam Megaris veniant genitalia semina bulbi. Megarenses enim plurimi serunt Cato. Bulbus Græcis est, βολβος accepit tamen Aristoph. in Neb. pro tuberibus cùm dixit βολβος ἄγρα ζητοῦσι. Multa autem bulbosam radicem habent vt Harundo, Crocum, Lilium &c.

DE SCILLA.

Scilla.

Græcè, σκίλλα: Latinè, Scilla, squilla, Hispanicè, Cebolha albatrana: Italicè, squilla: Gallicè, squille, oignon marin: Arabicè, hausel: Ger. Meerzuuibel.

Enarratio CLXVII.

SCilla, suspēsa in officinis, squilla est, quæ in taleolas, sic ne inuicem se tangant, per interualla, suspenditur, ex qua acetum scilliticum, & oxymel scillinum, parantur, cuius vires inuestigans Galenus, ita prodit libr. viij. Simplicium: Scilla, admodū quidem incidit,

incidit, calfacit autem ſecundo ordine, porro præſtat eam aſſam, aut elixam ſumere, quod ſic eius vehementia exoluatur. Hęc Galenus, Cęterum an acetum Scilliticum, leniat aſperam arteriam, vel eam potius exaſperet, in dubium vertitur. Tu Cardanũ Mediolanenſem lege, Contradictione decima ſui libri, quum paucis rem illic abſoluit, ac vtinam non ita obſcure vt ſolet, loquatur, vt inde tyrunculi in re medica illum intelligant.

Acetum ſcilliticũ.

DE PANCRATIO.

Græcè, πανκράτιον: Latinè, Pancratium, ſcilla minor, ſcilla nigra: Germ. Klein meer zvuibel.

Enarratio CLXVIII.

Pancratiũ

HAec minor ſcilla, & illa quidem nigra, ab herbariis indicatur, quam maſculum appellarem: Superiorem vero, vt pote albam, fœminam, quanquam Ruellius, contra naturæ ordinem, albam, maſculum appellat, nigram vero fœminam.

DE CAPPARE.

Græcè, κάππαρις: Latinè, Capparis, Hiſpanicè, alkaparras: Italicè, Cappare: Gallicè, Cappres; Arabicè, Cappar.

Enarratio CLXIX.

Cappares.

NOtiſsimæ ſunt cappares, & officinis, & tabernis fere omnibus, ſalitæ proſtant. Nam hortenſes cappares, in frutice, non ſpinoſo naſci Ferrariæ vidimus, appetentiam enim deiectam incitant, & lienem minuunt, atque obſtructiones aperiunt, qua de cauſa, capparis radice, & ipſius oleo pro liene atq; meatibus obturandis, frequentiſsime medici vtuntur, ipſi porro cappares, non admodum probum gignunt ſuccum, imo vt tradit Galenus lib. ij. de Facul. alimen. tenuium quidem eſt partium capparis, ac proinde minimum alimenti exhibet, vtimur autem fructu huius plantæ magis vt medicamento, quàm vt alimento: ſale enim conſperſus ad nos importatur, propterea, quòd putreſcit, ſi reponatur ſolus: vbi igitur ſalſuginem depoſuerit elota, collapſam appetendi vim excitat, pituitam ventris detergit, atq; ſubducit, purgatq;

tum

tum lienis, tum hepatis obstructiones, Vti autem ad eas res oportet, ante alios omnes cibos, ex oxymelite, vel oxelæo. Huius etiam plantæ virides ac teneros surculos, non aliter quam terebinthi mandunt, in aceto simul & muria, aut solo aceto condientes. Cæterum capparis pugnantibus facultatibus constat, vt lib. vij. de Facul. simpl. medic. legitur: extergit enim radix eius, & probe purgat, incidit, discutitq; tum amaritudine, tum acrimonia: at acerbitate contrahit, stringit, & densat, quapropter lienes induratos, & pota & extrinsecus imposita iuuat, menses promouet, pituitam per os educit, maligna viscera sanat, dentium dolores sopit, tumores digerit, & vitiligines, quas alphos dicunt, aurium vermes enecat, folia autem & fructus similem quidem, sed imbecilliorem vim possident.

Capparũ natura.

DE LEPIDIO.

Græcè, λεπίδιον: *Latinè*, *lepidium*, *Iberis*, *Gallicè*, *Coc*: *& poiurée*, *Arabicè*, *hausab*: *Germanicè*, Pfefferkraut.

Enarratio CLXX.

LEpidium vt Galeno placet, iberis est herba, de qua libro j. cap. vltimo diximus: non desunt tamen, qui dicant, piperitim hortorum, lepidium esse: alij verò qui credant raphanum Gallicum potius esse, quæcunq; tamen ea sit herba, exulcerandi, ac ex cute squamas pellendi vim habet. Porro Plinij lepidium, eadem est herba cum secundo à Paulo Aegineta descripto lepidio, quod raphanum dictum Gallicum esse, omnino crederem, seitaragi à nonnullis Mauritanis appellatum.

DE BATRACHIO.

Græcè, βατράχιον: *Latinè*, *batrachion*, *ranunculus*, *Hispanicè*, *Lusitanicè*, *hierua belida*: *Italicè*, *pie de gallo*, *pie coruino*: *Gallicè*, *Bassinets*: *Germanicè*, Hanenfuoss, frœsch pfeffer.

Enar

Primum genus Ranunculi. *Secundum genus.*

Enarratio CLXXI.

Batrachiõ, BAtrachion, id est ranunculus, herba à nostris pes corBuinus dicta est, cuius genera plura, officinis nota sunt satis, quæ exulcerandi, & ignis modo, vrendi vim possident: vnde mirari satis non possum, vt multis ab hinc annis dixi, cur Otho Brunphelsius, huius tria genera effigiata, non batrachio, sed coronopo potius tribuerit, quum illorum quodlibet gustatũ, linguam exulcerat, non verò vt coronopus astringit: Vos verò illorũ viuas herbas gustate, & vt spero non inuiti pedibus in meam sententiam ibitis. Est enim primũ horum genus, radicem rotundam habens, castaneæ magnitudine, qua pro excitanda vesica, ac exulcerando loco cutaneo, sæpe vtimur. Secundũ verò genus, apium risus dicitur, vel potius herba Sardonia, quę ridendo interficit: de qua Apuleius dixit, si quis eam gu-

Sardonia herba, stauerit ieiunus, ridendo exanimabitur, vnde risus Sardonius dictus est, & vt Salustio placet, neruos labiorum & oris musculos, illius qui eam comedit, contrahere facit,

adeo

Prima ſpecies.

Secunda ſpecies.

adeo vt ridendo mori videatur. Nouimus nos, apud Anthuerpiam, hodie omnium ciuitatũ facile reginam, nonnullos iuuenes Italos, in acetario herbario, hãc deguſtaſſe herbam, quorum nonnulli illico vitam cum morte commutarunt: alij verò, qui ſubito ad antidota, & medicaméta vomitoria confugere, euaſerunt, venefica enim herba hęc eſt, & vitæ humanæ aduerſa. Tertium verò genus, commune eſt, & vbiq; obuium, inſunt autem iis omnibus folia apij, flores verò aurei, de quibus apud Hiſpanos, prouerbium circumfertur, ſic: de la herua belida, preſeue lheno, barrigua fazia: quod ſic ſonat, quum batrachium herba in præſepio eſt, præſepium ea ſemper eſt plenũ, at ventres iumentorum vacui ſunt: Nam illa non veſcuntur, nec immerito, quia exulcerandi vim poſsidet, veluti & quartum genus folia lactea habens: de quibus Gal. lib. ſexto de Facultat. ſimplic. medic. ita tradit: Huius omnes quatuor ſpecies adeo acres exiſtunt, vt cũ dolore exulcerent: quare ſi cõuenienter vtare, pſoras & lepras excoriant, & vngues

diuellunt, tum leprosis stigmata digerunt, & verrucas detrahunt, quin & alopecias iuuant, exiguo tempore admotæ. Radix arefacta sternutationem prouocat, sed & dentes dolentes iuuat, sic vt eos frangat. Est itaque valde calida & sicca, tum radix tum vniuersa herba.

DE ANEMONE.

Græcè, ἀνεμώνη: Latinè, anemone: Hispanicè, amapollas de frolchiquita: Italicè, anemone: Gal. coquelourdes, ou passefleur: Arab. Iachaik alnahamen.

Enarratio CLXXII.

Anemone.

QVum olim Ferrariæ, vnà cum doctissimis viris, & rerum naturaliũ curiosissimis inuestigatoribus, Gaspare de Gabrielis nobili Patauino, ac Gabriele Mutinensi, nec non Ioanne Falconerio Anglo, in horto amœnissimo, Magnifici Azaioli conuenissemus, illic anemon inter plures alias herbas, indicata fuit: quæ dubio procul, multũ à rheade, id est papauere erratico, papaueralide dicto, differt, nam folia in anemone, diuisa veluti in coriandro, cernuntur, radices verò rotundæ ad oliuæ magnitudinem, flores verò parui, nec ita magni veluti in erratico papauere, rubro, passim obuio sunt, purpurei vt plurimum, aliquando lactescentes, nonnunquam albidi, & punicei: Item, in anemone, quum rumpitur caulis, nullum ex se emittit lac, quòd contrarium in papauere erratico euenire animaduertimus. Dicitur enim anemo, quia non nisi flante vento, aperiatur. Est & altera

anemo

anemonis ſpecies, hodie cauda vulpis dicta, herba hirſuta, lanuginoſa, quæ loco floris, lanuginē in ſummitatibus cauliculorum producit, & illam nōnulli potius inter batrachij genera reponunt, quia omnino cauſtica, & vlcera faciens eſt. At de anemone ita tradit Galenus lib. vj. de Facultā. ſimplic. medic. Radix eius commanſa pituitam euocat, ſuccus è naribus purgatur, & oculorum cicatrices extenuat. Inſuper ſordida vlcerum anemonæ expurgant, & lepras detrahunt, menſeſq; appoſitę eliciunt, & lac trahūt.

Anemonis nomenclatura.

DE ARGEMONE.

Græcè, ἀργεμώνη: Latinè, argemone.

Enarratio CLXXIII.

ARgemonia hæc, multū ab agrimonia vulgari abeſt, nam vulgaris agrimonia, Græcorum eupatorium eſt, vt ſuo diximus capite. Quæ verò hæc Græcorum argemonia ſit, mihi albo coruo rarior eſt.

DE ALTERA ARGEMONIA.

Græcè, ἀργεμώνη ἑτέρα: Latinè, argemone altera: Vulgo argentina herba.

Enarratio CLXXIIII.

HOc alterum argemoniū, vt paucis dicamus, argentina recentiorum eſt herba, ſic argētina dicta, ab argenteo colore, quem in foliorum parte exteriori habet.

DE ANAGALLIDE.

Græcè, ἀναγαλλὶς: Latinè, anagallis: Hiſpanicè, muruges: Italicè, anagallo: Gallicè, mouron & morgelline: Germanicè, Gauch heil.

Enarratio CLXXV.

ANagallidis multa ſunt genera, omnia officinis ſatis nota, ſub morſus gallinæ nomine, quanquā Dioſcorides in præſenti duo tantum eius memorat, alterū cœruleo flore ornatum, fœmininū dictum: reliquum verò maſculum, phœniceo, ſiue rubro corallio perſimili colore, vnde corallium quoque à multis ob colorem ſui floris dictum

Corallium herba.

Anagallis mas. *Fœmina.*

ctum eſt, quo fit vt Paulus Aegineta lib. vij. ſuę medicinæ quum antidotum articulari morbo cõueniens deſcribat, cuius titulus ab anagallide ſumendus erat, ille potius, à corallio, id eſt anagallide flores rubros, corallio ſimiles habente, illum deſumpſit, & diacoralliũ appellauit, cuius inaduertentia, Auicenna atq; eius omnes aſſeclæ, aberrauere, credentes à corallio potius antidotum denominationem ſumpſiſſe, quàm ab herba corallio dicta, vt Ferrarienſes primo magna vigilantia indicarunt. At Galenus, vtriuſque anagallis facultates ita libro vj. citato enarrat. Anagallis vtraq;, & quæ cœruleum, & quæ purpureũ fert florem, extergentis eſt facultatis, habet verò nonnihil etiam caloris, & quandam trahendi vim, qua corpori infixa extrahunt, ſuccus earum ex naribus purgat, eadem de cauſa, in ſumma, deſiccandi vim habét citra mordicationem, quamobré vulnera glutinant, & putrida corrigunt.

Auicenna errat.

DE HEDERA.

Græcè, κιττὸς: *Latinè*, *hedera*: *Hiſpanicè*, *edera*, *era*: Italicè,

Italicè, hedera: Gallicè, Ierre, ou lierre: Arabicè, cussus: Germanicè, Epheuu, Mauer.

Hedera nigra.

Helix.

Enarratio CLXXVI.

CIssos hedera est, nõ verò cisthos, vt alias monuimus, cuius inaduertentia Plinius errauit: cæterum hederæ plura & varia sunt genera, vt apud Plinium est videre lib.xvj.cap.34.& Theophrastum lib.iij.cap.18. Dioscoridis tamen, tria tantũ descripta genera omnibus sunt nota, vnum album, à fructu & folio sic dictum: vnde Virgilius dixit: candidior cygnis, hedera formosior alba. Alterum verò nigrum, corimbos ferens nigros, atq; racemos in orbem circumactos de quo dixit quoq; Virgilius, atq; hederæ pandunt vestigia nigræ. Hæc ipsa, apud Plinium mas est, quæ olim Bacchica & Nisia dicebatur, quia in Bacchi sacrificiis, quæ Dionysia appellabantur, & illa confectis corollis vterentur. Tertium verò genus, Helix dicitur, quia multas habeat inuolutiones. Hedera omnino sterilis, nullum præbens fructum: de quibus omnibus Galen.

lib. vij. de Facultatibus ſimplicium medicamentorum ita inquit: Ex contrariis facultatibus hedera conſtat, habet enim quiddam aſtringentis ſubſtantiæ, quæ terrea & frigida exiſtit, habetque nonnihil acris, quam calidam eſſe, vel guſtus comprobat, pręterea ſi viridis ſit, obtinet etiam quandam aqueam & tepidam. Viridia igitur folia, in vino decocta, grădia vlcera glutinant, malignaq; ad ſanitatem reducunt, igne factas exulcerationes cicatrice obfirmăt, cum aceto decocta lienoſis opitulătur: flores autem quodammodo validiores ſunt, ſuccus medicamen eſt errhinon, vetuſtas auriũ fluxiones ſanat, nec non vetera vlcera tum auriũ tum nariũ, lachryma hederę perimit lendes, piliſq; nudat, adeo quippe eſt calida, vt etiă obſcure adurat.

DE CHELIDONIO MAIORI.

Græcè, χελιδόνιον μέγα: Latinè, chelidonium maius, Hiſpanicè, celiduenha: Italicè, celidonia: Gallicè, eſclere: Arabicè, memiran: Germa. Schelkraut

Chelidonia.

Chelidonium.

Enar. CLXXVII.

SCatent omnes ferme nũc horti & parietes chelidonia. Quæ hirundinaria, vt Theophraſto placet, appellatur quia aduentu hirundinis, ſuũ excitat florem, vt apud ipſum legere eſt, libro ſeptimo, capite decimo quarto. Plinius vero lib. vigeſimoquinto, capit. octauo, chelidoniam (inquit) viſui ſaluberrimă hirundines mõſtrauere, vexatis pullorum oculis, illa medẽtes. Cæterum, hæc non memithe eſt, vt Gerardus Cremonẽſis & alij multi, nono ad Alnanſorem regem dicato libro

libro, Raſem interpretati ſunt, quia memithe Dioſcoridis glautium eſt, vt Ferrarienſes primo indicarunt, & poſt illos Leonardus Fuchſius libro Paradoxorum. At chelidonij vires, proſequitur Galenus libro. viij. de Facultatibus ſimplicium medicamentorum ita: Admodum extergit & calfacit. Succus eius ad acuendum viſum eſt commodus, quidam radicem eius, ad aurıginem ab obſtructione iecoris ortam, in vino albo cũ aniſo propinant, Manſa etiam confert dentium doloribus.

Memithe Glautium eſt.

DE CHELIDONIO MINORI.

Græcè, χελιδόνιον μικρὸν: Latinè, chelidonium minus, hirundinaria minor: Hiſpanicè, ſcrofularia menor, Italicè, fauoſello: Gallicè, herbe aus eſcroelles: couillons de prebſtre: Arabicè, Memithen: Germanicè, Feiguuartzen, oder blaternkraut.

Enarratio CLXXVIII.

VErna herba hæc eſt, atque ob id, quod apparentibus hirundinibus, è terra erumpit hirundinaria appellatur. Humi enim ſerpit herba iſta, paſsim obuia, folio hederaceo, paruo tamen, ſine caule, flore luteo, quẽ Dioſcorides ſiluit, nam radices, illi paruę inſunt, tritici granis per quàm ſimiles, albæ, inter quas capillares nonnullæ comperiuntur, parum tamen acutæ ſapore: nam in alio loco, acres reperiri non dubitarem, vt de Aro quoque Galenus dixit lib. ij. de Facultatibus alimentorum, & nos proprio capite meminimus. Proinde dotes huic chelidonio minori tributas, in noſtro non reperiri crediderim, quum acredinem illam propriam, qua potiſsimum operatur, amiſſam habeat. Vt de eo ita dixit Galen. vbi ſuprà, chelidonium minus, quum maiori ſit acrius, celeriter cutem exulcerat, vngueſque ſcabros eiicit, ſuccus eius per nares purgat. Hæc itaque ſiccat, & calfacit, in quarto incipiente ordine: At chelidonium maius in tertio.

Chelidonium minus.

DE OTHONNA.

Græcè, ὄθωνα: Latinè, othonna.

Enarratio CLXXIX.

OThonna quid sit, non satis inter priscos constat: Paulus tamen, illis adhęrere videtur, qui credunt, othonnam succum maioris chelidonij esse.

Auricula muris.

DE MYOSOTIDE.

Græcè, μυὸς ὦτα: Lat. myosotis altera, auricula muris: Gal. Mouron.

Enar. CLXXX.

PRima hæc myosotis, id est auricula muris, quarto libro, alsines dicta est, quare cum Marcello Virgilio, quũ hic de ea semel factum fuerit, non esse de ea iterum agendũ, dicendum reor, quum vtrobiq; eadem est historia, & medicina, sequens tamen myosotis altera est.

DE ALTERA MYOSOTIDE.

Græcè, μυὸς ὦτις ἑτέρα: Latinè, myosotis altera, Auricula muris.

Enarratio CLXXXI.

HOc secundum auriculæ muris genus, primo in Flandria vidimus, præcipue in oppido Beueres dicto, in vniuersum herbula, cuius folium auri muris respondet, vnde merito nomen contraxit. Cæterum Auicennã confuse admodum loqui, vt qui herbas quatuor, helxinem, alsinem, myosotida, & anagallidem, natura & figura, multum differentes, sub Auriculæ muris nomine confundit, Ferrarienses primo patefecerunt. Huius porro temperaturam ac dotes breuissime attingit Galen. lib. vij. de Facult

Auicennæ error.

cultat.simplic.medic.dicens. Myosotis desiccat secundo ordine:cæterum nullam euidentem caliditatem possidet.

DE ISATIDE SATIVA.

Græcè, ἰσάτις ἥμερος: Latinè, Isatis satiua, glastum, Hispanicè, pastel: Italicè, guado: Gallicè, du guede ou pastel: Arab. Dili: Ger. Vueidt.

DE ISATIDE SYLVESTRI.

Græcè, ἰσάτις ἀγρία: Latinè, syluestris Isatis, Hispanicè, pastel saluatico: Italicè, guado agreste: Gal. guede sauluaige: Germanicè, Vuild vueidt.

Syluestre Glastum. *Glastum.*

Enarratio CLXXXII.

NIhil nunc isatide notius, qua infectores lanarum maximè vtuntur, adeo vt sine illa, nihil in tingẽdis pannis proficere possint,quæ glastum,& hodie guadum vulgo dicitur,cuius Galli,serendi maximam curam habent, *Glastum guadum.*

& ex ea maximum faciunt quæstum, veluti insulares, regi Lusitaniæ parentes: de cuius viribus Galen. lib. vj. de Facultatib. simplic. medic. ita tradit: Isatis domestica, qua quidem vtuntur tinctores, facultatis est valenter exiccantis, nondum tamen mordentis: est enim simul amara & astringens, proinde magna vulnera corporum durorum glutinat, & sanguinis profluuio laborātibus partibus vtiliter illinitur, tumores laxos mirifice digerit, simul ac reprimit, & aduersus omnia maligna vlcera mirabiliter resistit, At isatis syluestris, manifeste iam acre quiddam, tum gustu, tum actione præfert, proinde quàm domestica magis desiccans, valentius etiam putredinibus obsistit, ad cætera iam comprehensa deterior, hactenus Galen. Cæterum, ex succo isatidis Indicū confici, suo dicemus loco: Plinium quoque errasse, qui isatim, inter lactucæ genera computauit, notum est.

Indicum Isatidis succus est.

CONSTANTINVS.

Dioscorides sub Isatidis nomine duas plantas complectitur, tantùm syluestris aut satiuæ apposita differentia. Vtramq; suo nomine distinguit Plinius satiuam glastum vocans, syluestrem vero isatin: quem imitari potius deberent interpretes, quàm nomina confundere nullius authoritate vtramq; plantā glastum vocantes. Simile inquit ille lib. xx. cap. 1. Plantagini glastum in Gallia vocatur: quo Britannorum coniuges, nurusq; toto corpore oblitæ, quibusdam in sacris nudæ incedunt, Aethiopum colorem imitantes. (Idem scribit Cæsar in comment. lib. v. de bello Gallico) lib. autem xx. cap. 7. Tertium genus est inquit, in syluis nascens, isatin vocant. Quarto infectores lanarum vtuntur, quod glastum vocant: simile erat lapatho syluestri solijs, nisi quòd plura habet & nigriora. Quo loco Plinius de lactucæ generibus loquitur, inter quæ isatin posuit propter similitudinem, quam etiam lactucæ confert Dioscorides: quo apparet, quàm sine ratione Lusitanus Plinium accusat: & quàm iustè Philandri summi alioqui viri fides suspectior esse possit, qui in suis eruditissimis commentarijs in Vitruuium scribit glastum in horum authorum antiquis codicibus non legi.

DE TELEPHIO.

Græcè, τηλέφιον: Latinè, telephium.

Enar

Telephium album.

Purpurascens.

Enarratio CLXXXIII.

TElephium non est crassula maior, vt multi rentur, quia crassula maior, faba inuersa dicta, frigida est: Telephium verò calidum. Proinde telephiũ, sylvestrem portulacam, siue tertium sedum apud Dioscoridem esse, pro firmo crediderim, de quo sermo illic habendus est, At fabam crassam inter sedi quoque genera reponi debere, & illa quidem frigida, non inepte quis dixerit.

CONSTANTINVS.

TElephion *de quo etiam Plinius libro xxvij. cap. 13. & Galenus lib. vij. simplicium, Paulusq; lib. vij. non est nostrum vulgare orpin dictum quod digitalis species est, siue sedi: non etiam est illecebra siue andrachne sylvestris, tametsi ea quoque telephij nomine dicta sit ab Hippocrate: & Dioscorides ita vocatam lib. iij. cap. 91. illecebram testetur, quæ portulaca est sylvestris, cui secundum Dioscoridem loco citato, vis ineſt acris & vlcerandi: refrigeratoria autem iuxta Plinium lib. xxv. cap. 13. At hoc telephium de quo nunc agitur, vel Galeno authore tantùm calidum est in primo ordine & siccum in fine secundi.*

IN

IN DIOSCORIDIS ANAZARBEI LIBRVM TERTIVM ENARATIONES DOCTORIS Amati Lusitani Medici præstantissimi.

DE AGARICO.

Græcè, ἀγαρικὸν: *Latinè*, *agaricum*: *Vulgo agarico*: *Gallicè*, *agaric*: *Arabicè garicum*: *Germanicè*, Agaric.

Enarratio capitis primi.

Agaricum

Agaricum.

EX IIS Medicinis, Agaricũ est, quibus passim, magno cum ægrotantium iuuamento vtimur, non enim radix est agaricũ, tametsi Galenus illud radicem appellet, fungus autẽ potius dicendus est, qui ad radices multarum diuersarum arborũ, nascitur, non quidem ita albus aut politus, vt in officinis cernitur, sed cortice potius quodam coopertus, quo veterinarij, mulo medici dicti, plerunq; vtuntur, ex eo clysteres pro irrigandis iumentorum fecibus parantes: optimus hodie ex Aphrica affertur, ex Allobrogibus verò non ita bonus asportatur, quo vniuersa Gallia ac Italia vtuntur. Fœmina agaricus, primatũ obtinet, modo vt inquit Mesue, sit habens quin-

Agarici boni nota.

que

que dotes, prima quarum est, sit leuis: secũda, sit albus: tertia velociter frangibilis: quarta, porosus: quinta rarus. Nam agaricus fœmina, à Dioscoride descriptus, intus rectas pectinum modo venas, & diuisiones habens, proculdubio pessimus iudicandus est, qua de re, in isto textu, mendam esse, aliquando sum suspicatus, quum quæ masculo pessimo debentur, Dioscorides fœminæ, agarico optimo tribuit, sed vtcunq; res se habeat, vt bonus dicatur agaricus, albissimus sit oportet, leuissimus, & minime lignosus: talis proculdubio erit, absq; lineis percurrẽtibus, quas in malo sæpe conspicimus, & optimus dicendus erit, quem Democritus familiæ medicamen solebat appellare, quia in omni tempore, & omni ætate tuto dari possit. Agaricus, calidus in primo gradu est, & siccus in secundo, & vt tradit Galenus lib. vj. de Facultat. simplic. medic. Agarici radix, primo quidem gustu dulcis, sed paulo post subamara apparet, acrimoniæque & astrictionis leuiculæ quandam speciem temporis spacio inducit, estque consistentia laxa: quare composita hæc radix est, ex substantia aërea & terrea à calore extenuata: Minimũ autem habet essentiæ aqueæ, hac ratione & digerendi vim possidet, & crassitudinem incidendi, tum anfractus viscerum expurgandi: Iccirco regio morbo laborantes ex obstructione iecinoris, nec non morbo comitiali obnoxios sanat, tum rigores per circuitus recurrentes, ex crassis viscidisq; humoribus ortos, exterminat: iuuat & morsos à bestiis frigore lædentibus, aut cõpunctos, tum foris in affecta parte impositum, tum intro in corpus assumptũ, pondere drachmæ vnius, cum vino diluto. Est etiam & purgatorium, in iis autem Gal. vertis, adnotandum duximus, quòd in agarico sapor amarus cõperitur, quo mediante (etsi à tota substantia) pituitæ purgatorius agaricus sit, bilioſos quoque & serosos educit humores, præter quas dotes, reperitur quoq; in eo, vt tradit Galenus & experientia ipsa indicat, acrimonia pauca, & vix post longũ tempus perceptibilis, quæ crassa incidit. At quia acrimonia ista vt diximus, parca est, parum incidere potest, ideo sapientissime, medici, huius agarici facultates inuestigantes, quum ex illo pastillos parant, zingiber, vel cinnamomum, aut cassiam, cum salegema, & oxymelite, illi adiungunt, vt acri-

Agarici vires.

monia

monia parua, à natura illi data, prædictis acribus medicamentis fortior euadat, & consequenter potentius crassa incidat, & educat. Sed vnum est, in iis pastillis, siue trochiscis admonendum, quòd pharmacopolæ omnes, illos paratos in suis habent pyxidibus, vt quum à medicis descriptum sit, Ex trochiscorũ de Agarico, illico ad eas, nulla interposita mora, confugiant, parum alioqui animaduertentes medici, in iis trochiscis, vires agarici deperditas esse, quia siccitate acquisita, subtiliores particulæ, quibus opus perfici solet, euanuerunt, manentibus crassis, & terre stribus: & ea de causa, medici prudentiores, & qui rerum curam habent, nunquam agaricum nisi nouiter in pasta paratum ægrotis præbent, scientes trochiscatum illum vires suas omnino amisisse. Proinde caueant Medici deinceps, ne suis ægrotantibus trochiscatum istum præbeant agaricum, imo pharmacopolas, vt ab ista abstineãt compositione, moneant: quum prudentius multo facient, si quoties agarico vti opus fuerit, de nouo vt diximus conficiãt, & in pastam redigant. Sic enim melius operabitur, imo in pasta, eo modo quo pilularum massa redigitur, lõgiori tempore, quàm forma trochiscorum seruabitur, nec ita celeriter suas amittet vires. Soluit autem agaricus, pituitam, ac bilem crassam, viscidosq; & crassos humores: Verum agaricum internis inflammationibus obesse, Silanus quidam commentariis super 9. libro Rasis, regi Almansori dicato, contendit, de qua re Nicolaus Florentinus, ac Mathæus de Gradis consulendi sunt, nunc vero rem tetigisse sufficit.

Taxantur medici.

DE RHAPONTICO.

Græcè, ῥαπόντικον: Latinè, rhaponticum, rhecoma, radix Ponti: rheon, rha, rhabarbarum Ponticum: Vulgò rheubarbaro da ponto, repontico.

Enarratio II.

Rhapontici.

ANconam veni nobile apud Italiam emporium, ad quod omne genus hominum mercatorum, totius Orientalis plagæ confluit, eo consilio, vt ab illis, si quæ sunt medicamenta à nostris desiderata, quæ ex Oriente afferri solent, haberem; nam quum hodie nullus extat

prin

princeps, qui pro illis veris cognoscēdis sollicitus sit, aut qui medicis suis, modum aliquem inquirēdi cum impensis constituat, vt olim Alexander Magnus præceptori suo Aristoteli summo philosopho opes ingētes ad hæc inquirenda naturæ secreta affatim largiebatur: Decreui, non vt principibus placerem, aut ex illis stipendium aliquod sperarem, sed magis vt animo satisfacerem ac posteritati prodessem quo ad fieri posset rerū occultarum, & de quibus authores hodie maximas habēt contentiones, certam afferrem notitiam: quo factum est, vt res votis non infeliciter successerit, vt in rhapontico iudicare quis poterit, quod ad me aduectum fuit, in maxima quidem copia, & id Gerardus Caroli Quinti Imperatoris, apud Solymannum Turcarum Imperatorem doctissimus orator, propriis manibus, in regione Ponti eradicauerat. Est enim vir ille doctissimus, & variarum linguarum peritissimus, ac medicamentorum simplicium diligentissimus inuestigator, qui hoc tempore, primo radicem istam in lucem traxit, digitalis longitudinis & crassitudinis, fungosam, leuem, coloris exterioris subnigri, sub quo luteus alter videtur, nam intus ea fracta, eiusdem cernitur coloris, quo vulgare rhabarbarum, præcipue immaturum, insignitur, quam si dentibus tractaueris, labia & sputum, crocei coloris reddi certum est, porro saporis mixti est, communis ferè aut vulgati rhabarbari ex se saporem reddens: Nam tota ista radix, styptica est, vt experientia compertum habeo: illius enim drachmarum duarum pondus sæpe dedi, & nullus bibentium egesit, imò potius eorum ventres constricti magis fuere. Proinde rhapōticum hoc Græcorum, diuersum à vulgari rhabarbaro esse, non solum figura, sed viribus ipsis, certissimum est. Quum autem hæc literis mandaremus, huius radicis Ponticæ partem, ad Antonium Musam Brasauolam virum doctissimum, misimus, veluti ad Anthuerpienses, vt inde singularis doctrinæ vir, Ludouicus Nunius Santarenensis Lusitanus, in Hispaniam ad amicos transmittat. Eam vero hodie quoq; Monachi, qui Mesues Antidotarium enarrarunt, habent, veluti alij plures doctissimi viri Romæ agentes. Quapropter, de isto rhapontico nihil amplius agendum decreuimus, modo Dioscoridem sic in præsenti intellig

Exponitur Dioſcorides.

intelligendum monuerimus, eo modo quo Manardus olim interpretatus eſt, circa verbum hoc: Datur agarico ſimiliter, in ſinguli prædictis morbis eodem pondere, in iiſdem liquoribus, &c. non autem Dioſcorides per hæc verba, rhaponticum purgatoriũ, vt agaricum intelligit, vt multi falſo interpretantur, ſed inquit, potius: Doſis rhapontici in prædictis morbis, eadem eſt, qua agaricus conceditur, tuto enim rhaponticum hoc dyſentericis conceditur. De quo Galenus libro octauo de Facultatibus ſimpl. medic. ſub rheo & rha ſermonem habet dicens: Quiddam habet terreſtre frigidum, ceu indicio eſt aſtrictio: adiuncta eſt illi tamen quædam caliditas. Siquidem ſi mandatur pluſculum, ſubacre conſpicitur: eſt etiam aëreæ cuiuſdam ſubſtantiæ ſubtilis particeps, quod indicat laxitas, leuitasq;: quare conuulſis, ruptis, orthopnœęq; prodeſt, ſic quoq; liuentia & lichenas cum aceto illitum perſanat. Aſtructionis ratione, ſanguinem expuentibus, cœliacis & dyſentericis confert. Libro quoq; de Antidotis, ita de eo tradit: Rheon quoq; ipſum adulteratur, quandoquidem ſtatim in regionibus vbi gignitur, recens nonnulli capientes ipſum, decoquunt, donec totum cremorem reddat, quę poſtea cremorem, vbi acuratius percoxerint ceu purum, atq; aba quæ miſtura alienum, ad nos tranſmittunt, ſicuti & rheon ipſum ſiccatum, tanquam neq; id prius cocturam fuerit expertum. Cognoſcetur tamen facile dolus, nam eiuſmodi rheon, nec denſam compactamue ſubſtantiam poſsidet, vt quod integrum eſt, ſed rarius apparet, aſtrictionemq; aut obſcuram, aut plane nullam guſtanti exhibet, quam tamen rheon vigens, validiſsimam poſsidet. Hæc vero Galeni verba, Meſue ſuo tribuit rhabarbaro. de quo nunc paululum diſſerere, non ab re erit. Eſt igitur RHABARBARVM vulgare, Medicamentum benedictum, & ſanctum dictum. Radix è Scythia prope Perſiam, hodie aduecta, figura orbicularis, pondere ad ſummum vnius libræ: quę quanto grauior, ac ponderoſior fuerit, eo melior erit. Calidum enim & ſiccum rhabarbarum hoc eſt, & vt Meſue placet, in ſecundo gradu, quod natura ſua bilem purgat, deinde pituitam, imò vt ſubdit inibi Meſue, maior eius proprietas eſt. mundificare & confortare hepar & ſtomachum, & conferre dolor

Rheon Galeni.

Rheon adulterabatur.

Quæ debẽtur rheo: Meſue ſuo tribuit rhabarbaro.

Rhabarbarum.

doloribus pungitiuis eorum, & clarificare sanguinem, & auferre oppilationes, & morbos quorum mater est obstructio, sicut hydropem & ictericiam, & splenis crassitiem, & febres oppilationum, & similia. Super quibus verbis adnotandum est, quòd quãdo Medicus decreuerit, meatuum obstructiones aperire, ac vias obclusas reserare, tunc rhabarbari infusum offerre ægrotãtibus melius est: quando vero simul aperire, & roborare, tunc rhabarbari substantiam dare sanius est consilium: sua enim stypticitate laxam particulam constringit, ac roborat. Vnde Arnaldus Villanouanus, reprehensione dignus est, qui ob stypticitatem insitam rhabarbaro ipso prægnantibus interdicebat, ignorans alioqui vir doctus, & practicus insignis, nullam rhabarbaro inesse partem præstantiorem, ob quam tuto vtero gerentibus dari possit, hac stiptica, ob quam quoque, & pueris, & senibus, æstate, & hyeme, frequenter, absq; noxa vlla datur: totum enim rhabarbarum in substantia exhibitum, optime educit, & multo melius ac securius, quàm eius infusum, vel dilutum dictum: nam astrictione sua, quæ purgationem non impedit, viscera fortificat, & ea roborat: quo fit, extenuatis, & debilibus, iisq; qui viscus aliquod debile habent, in substantia ipsum dare, melius sit. Comperiuntur autem in rhabarbaro, tres nobiles facultates, quarum vna, acrimonia est, qua crassa incidit, extenuat, subtiliat, & ad deiectionem præparat, ad quam facultatem iuuandam, neoterici, tanquam rhabarbaro opem ferentes, spicam nardum illi adiungebant, credentes rhabarbari acrimoniam, spicæ nardi acrimonia intendi & adiuuari, quorum ratiocinatio licet optima sit, in hoc tamẽ claudicat, quòd licet veram spicam habeamus, vt vere habemus, qua multos carere diximus, in ea tamen, vel Galeno teste, libro de Facul. simpl. adeo pauca, & memoratu indigna comperitur acrimonia, vt certum sit, ea parum aut nihil adiuuari posse. Quare prudentius medici ij fecissent, si loco nardi spicæ, cinnamomum, aut cassiam illi adiunxissent, pro qua complenda operatione, optimo profecto consilio, medici in illius infusione, parum vini albi generosi, & aromatici infundere solent. Qui vero rhabarbarum vstum dysentericis propinant, miro detinentur errore,

Methodus dandi rhabarbarũ.

Arnaldus Villanouanus errat.

Rhabarbari tres facultates.

quum tantum abest, vt vstum rhabarbarum constringat, vt potius vlcerata intestina magis rodat, & fluxũ augeat. Mordacitatem enim, & acredinem quandam ab igne contrahit, quam Aristoteles empyreum appellat: qua mediante, corrodens ac mordicans efficitur: præsertim si non lauetur: nam Galeno authore libro citato, capita chalcitidis, vt sexcentos alios locos ex libris de Compositione medicamentorum taceam, vsta omnia si lauentur, moderatiora redduntur, minusq; mordacia. Mea igitur sententia, rhabarbarũ si dysentericis dari debet, Græcorum rhabarbarum siue rhaponticum dictum, esse debet, nam commune & vulgare rhabarbarum, non quidem vstum aut tostum, offerri debet, sed potius eius substantia à subtilioribus particulis denudata, quas in aqua plantaginis, vel rosacea, prius optime pista, & per diem mersa, amittit, sic enim rhabarbari substantia tuto dari potest. Testis enim Deus est, nos plures Lusitanos, fluxu laborantes, vidisse, quibus rhabarbarum assum, tanquam rem præcipuam medici dabant, quorum plures, è vita illico discesserunt. Nam cùm virtus expultrix tribus de causis, ad expellendum prouocatur, multo pondere, multa mole, & rosione: fit inde, vt excoriata intestina, rhabarbari assi rosione, magis corrodantur, ac vlcerentur, & consequenter diem suum obeant ægrotantes. Est vero Rhabarbarum alterum, hortis familiare, folia habens ampla, longa, enulæ campanæ similia, cuius radix non infeliciter quoq; soluit, quod Fuchsius, nescio quo augurio ductus inter rumicis genera collocauit.

Rhabarbarum vstũ dysentericis dari nõ debet.

CONSTANTINVS.

ALiud est rhaponticum veterum, aliud nunc vsitatissimum Rhabarbarum dictum, Rhapõticum vocant Dioscorides & Galenus libro 8. simpl. Paulusque Aegineta libr. vij. ῥᾶ καὶ ῥῆον Ipseq; ῥέον ποντικὼν: Actuarius ῥίζαν ποντικὴν, Cornelius Celsus radicem ponticam nominat, & Plinius rhacoma lib. xxvij, cap. 11. Rhacoma inquit, affertur ex his quæ supra Pontum sunt regionibus, radix Costo nigro similis, minor & ruffior paulò, siue odore, calfaciens, gustu astringens. Eadem trita vini colorem reddit ad crocum inclinantem: hoc rhãponticum purgandi vim habuisse à memine proditum. Rhabarbarum vero Arabum purgatricem facultatem insignem habet cum non pauca amaritudine, quæ cùm

vel

vel Aristotelis testimonio, omnibus in sectis exitio esse soleat, miraculi loco esse potest, vermes tamen ex Rhabarbaro viuere. Sane non ita pridem eius dissecta magna radice, non vieta quidem illa, aut exoleta, vel carriosa, sed satis recenti & optima, in medio duos deprehendi figura chrysalidis, quam ex Theophrasto Gaza vertit aureliam. Mesue Rhabarbari tria statuit genera, Barbarum, Indicum, id est raved Sceni omnium praestantissimum: Atque aliud turchicum deterrimum, horum nullum nouit Serapion aut Auicenna. Nicolaus myrepsus sape vsurpat Rheon barbarum pro Rheo pontico, & è diuerso. De his omnium optimè tractauit multis in locis doctissimus Fuchsius.

DE GENTIANA.

Gracè, γεντιανη: *Latinè*, *gentiana*: *Hispanicè*, *la gentiana*: *Italicè*, *gentiana*: *Gallicè*, *gentiane*: *Germanicè*, Entzian, oder bittervurtz.

Gentiana.

Gentianæ species.

Enarratio III.

Gentiana. NOtissima officinis, Gentiana herba est, à Gentio Illyricorum rege, qui eam in bello inuenerit, sic dicta. De qua Galenus exacte dixit lib. vj. de Facultatibus simpliciũ medicamentorũ, hoc modo: Huius herbæ radix, multum est efficax, quum opus est extenuatione, purgatione, absterſione, obstructionis liberatione: nec mirum si hæc possit, quum impense sit amara.

DE ARISTOLOCHIA.

Græcè, ἀριστολοχία: Latinè, aristolochia, malum terræ: Arabicè, Zaraued: Hispanicè, & Italicè, astrologia: Gallicè, aristologie, ou sarrasine: Germanicè, Holvurtz, osterlucei.

Aristolochia longa.

Aristolochia rotunda vera.

Enarratio IIII.

DIcitur Aristolochia, quod ἀρίστη ταῖς λοχίαις ἢ ταῖς λεχούσαις, id est, optima puerperis sit, nam remoratos

men

menſes, & hęrentes ſecundas, à partu optime expellit, cuius duo vulgatiſsima genera ſunt, altera rotunda, altera vero longa: tertia vero clematitis, id eſt ſarmentaria appellatur, hodie herbariis ignota. Præter has Plinius libro vigeſimoquinto, capite nono, alteram, piſtolochiam dictam deſcribit, denſis radicis capillamentis, iunci plenioris craſsitudine, quam quidam polyrhizon cognominant. Hæc vero, à bonis herbariis ineunte vere conſpicitur, folio tenero, diuiſo, ranunculo perſimili, radice craſſa, bulboſa, inferiori parte lata, intus vacua, colore lutea, ſapore vero & odore perſimili ariſtolochiæ, vnde Germani, eã pro ariſtolochia rotunda, hucuſq; vſurparunt. Deliteſcit enim herba iſta in fine Maij, & non apparet. Cæterum, calidæ & ſiccæ, in fine ſecundi gradus, ariſtolochiæ ſunt, de quibus Galenus ita prodit libr. vj. de Facul. ſimpl. medic. Radix eius eſt amara & ſubacris, ſed & ex illis omnium ſubtiliſsima eſt, quæ rotũda. Aliarum vero duarum, quæ clematitis appellatur, fragrantior eſt, infirmior tamen. At longe, tenuitate quidem à rotunda vincitur: abſtergendi tamen calfaciendiq; & ipſa potentiam obtinet minus tamen quàm rotunda abſtergens & digerens, ſed non minus calfaciens, imò forſan plus. Itaq; in quibus vſus eſt modicæ abſterſionis, commodior eſt longa, vt puta in vlceribus carne implendis, at in quibus craſſum humorem validius extenuare oportet, illic vſus eſt rotũdæ, proinde dolores à craſſo ſpiritu inductos, rotunda exactius perſanat: extrahit ſpicula, putredines corrigit, vlcera ſordida purgat, dentes & gingiuas ſplendidas facit, auxilio eſt aſthmaticis ſingultientibus, comitialibus, podagriciſq;, ſi cum aqua bibatur: tum ruptis, & conuulſis, vt ſi quod alium medicamen idoneum eſt. Cæterum Meſue, ariſtolochiam inter medicamenta aluum ſoluentia adnumerat, vt legenti manifeſtum erit.

Ariſtolochia aluũ ſoluit.

DE GLYCYRRHIZA.

Græcè, γλυκύῤῥιζα: Latinè, glycyrrhiza. Dulcis radix, Arabicè, ſus: Hiſpanicè, regaliza: Mauritanicè, alcaſuz: Italicè, regolitia: Gallicè, rigoliſſe: Germanicè, Sueſs holtz.

Euarratio v.

Plinius errat.

Dulcis radix.

DE hac, nihil dicendum erat, quum officinis familiarissima sit liquiritia dicta, nisi Plinius in ea errasset, quum eam inter spinosas herbas adnumeret, lib. xxij. cap. 9. dicens: & ipsa sine dubio, inter aculeatas est, foliis echinatis, pinguibus, tactuq; gummosis, id quod antea ca. xv. libr. xxj. quoq; dixerat: quę sane verba falsa esse, Dioscorides testatur, & experimentũ ipsum indicat, quum liquiritia non spinosa habet folia, sed lentisco potius similia, vnde credendum est Plinium non aliunde in hac re errasse, quàm quia legit, in codice aliquo Græco, loco vocis σχῖνος lentiscum significantis, ἔχινος, id est asperum & spinosum: ex quo satis claret, Plinium Glycyrrhizam nunquam vidisse. De qua Galenus prudentissime ita loquitur lib. vj. tam sæpe à nobis allegato: similiter radici ipse succus, dulcis leuiterq; astringens existit, proinde non modo asperæ arteriæ, sed vesicæ etiam scabritiem lenire potest, idq; temperaturæ mediocritate: quare fuerit sane natura eius familiaris nostræ temperaturæ: Cæterum, tepidam quandam caliditatem sortitur, porro quoniam temperie quoq; est humidum, id quod modice est dulce, iure sane etiam siti congruens medicamentum est, nimirum modice humidum, humanaque natura frigidius. Dioscorides ait, arefactæ radicis pollinem vnguibus oculorum mederi.

Plin. Glycyrrhizam nunquam vidit.

CONSTANTINVS.

GLycyrrhiza Plinio libr. xxij. Cap. 9. Dioscoridi γλυκύῤῥιζα. Idem Plinius lib. xx. Cap. 15. & lib. xxj. Cap. 54. vocat Glycyrrhizon,

cyrrhizon. Quæ Theophrasto est σὺθυγλυκεῖα καὶ σκυθικὴ ῥίζα, καὶ γλυκεῖα. de historia plantarum libro ix. cap. 13. alijs etiam dicitur γλύκη, Galenus apud Hippocrat. γλυκύμην βοτάνην exponit Glycyrrhizam. ab hac etiam fit vinũ quod Glycyrrhisites vocat. Columella lib. j. cap. 35. Et quia famem sitimq; sedat Glycyrrhiza, ob hoc adipsos vocata est.

DE CENTAVRIO MAIORE.

Græcè: κεντάυριον μέγα: Latinè, centuarium maius, rhaponticum officinarum: Arabicè, canthurion: Hispanicè, ruipontico: Italicè, reupontico: Gallicè, centaure, ou erronee: Germa. Rapontick.

Enarratio VI.

CEntaurea hæc maior, absq; ambagibus, & controuersia vlla, rhaponticum officinarum est, radix brachialis crassitudinis, nullibi non obuia, cuius vires prosequitur Galenus, lib. vij. Simplicium, ad istum modum: Radix eius gustui acris simulq; astringens apparet, cum leuicula quadam dulcedine. quod vero ad actiones pertinet, menses prouocat, viuum fœtum extinguit, extinctumq; propellit, præterea vlcera glutinat, sanguinemq; reiicientibus prodest: exhibentur autẽ eius binæ drachmę febrientibus quidem cum aqua, febri vero liberis, cum vino, quinetiam ruptis, conuulsis, dyspnœæ inueteratæq; tussi est auxilio, eadem quæ radix, & succus ipsius præstat. Cæterũ Theodorus Gaza, in Theophrasto, perperam huic Fel terræ nomẽ indidit, quum hoc nomẽ minori centaurio potius ob insignem eius amaritudinẽ conueniat. *Gaza errat.*

DE CENTAVRIO MINORI.

Græcè, κεντάυριον μικρὸν: Latinè, centaurium minus, centaurea minor, fel terræ, febrifuga: Hispanicè, fel de tierra: Italicè, biondella: Arabicè catarion, seges: Gallicè, fiel de terre: Germanicè, Fieber kraut, Tausent gulden kraut.

Enarratio VII.

VVlgaris admodum herba ista est, & ob nimiã quam possidet amaritudinẽ, Fel terræ dicta, quod nomen

Centaurea minor fel terræ dicitur.

Centaurium minus.

hucusq; Hispani, & Gallorum plures incorruptũ seruant, cuius vires Mesue, cum maiore centaurio confundit, vt Ferrarienses doctissime ac eui gilantissime primo indicarunt. Cæterum clysteribus hęc quotidie venit : de cuius viribus, extat Galeni libellus ad Papiam inscriptus, libro quoque vij. Simplicium, de ea ita inquit : Huius radix plane inefficax est: at caulis& folia & flores vtiliores sunt , vincit enim in eis qualitas amara, paululum habens & astrictionis : ob idq; admodum exiccatoriũ est medicamen , expers mordacitatis, vlcera itaq; magna herbæ ipsius recentis illitu glutinantur, & vetusta, quæq; ægre ad cicatricem perduci queũt, cicatrice obducuntur, arefacta vero glutinatoriis & desiccatoriis miscetur facultatibus, miscetur etiam iis quæ rheumaticis medẽtur affectibus, in quibus ea medicamina præstantissima sunt, quæ vehementer deficcantia cum quadam astrictione nullam habent mordacitatem. Decoctum herbæ quidam infundunt ischiadicis, ceu biliosa & crassa extrahens, nam & talia purgat, succus eius præter dicta, cum melle oculis illinitur, mensesq; & fœtum euocat, iecinoris quoque obstructiones optime aperit, bonumq; durato lieni est remedium, & impositum foris, & bibitum.

DE CHAMAELEONE ALBO.

Græcè, χαμαιλέων λευκὸς : *Latinè*, *chamæleon albus*, *Arabicè*, *chamalium* : *Hispanicè*, *cardo pintto* : *Italicè*, *Cardo maria*, *cardo macula-*

to:

to: *Gallicè*, *carline*: *Germanicè*, Vehe diſtel, Marien diſtel.

Enarratio VIII.

CHamæleon albus, vt mea fert opinio, non aliunde nomen traxit, quàm ex multorum colorum varietate in quos chamæleon animal vertitur. Quo factum eſt, vt carduum iſtum Hiſpani, pinctum, vel pictum, appellent, & merito ſane, quia eius folia multis & variis inſigniuntur maculis, & illis quidem lacteis, quandoq; vero nigrioribus, qua de cauſa, alterum album, alterum vero nigrum vocant, iis verò in aqua decoctis, furfuribus adiectis Luſitani ſuos ſaginant equos. Cæterum, conſpicitur hodie ad radices vtriuſq; chamæleonis, lentus quidam humor viſcidus, quem viſcum multi appellant, & ea de cauſa, radix chamæleonis, ixia à nonnullis appellabatur. Eſt enim ἰξίας ſuccus iſte ad radices chamæleonis naſcens, veneni graue genus, de quo Dioſcorides libr. vj. cap. xxj. ſermonem fecit: quod Plinius quoq; ſemper intelligit, quum antidotum contra viſcum deſcribit. Nam chamælea, longe alia res eſt, cuius inaduertentia, Auicenna libro ſui Canonis errat, chamæleam cum chamæleone confundens. Eſt enim chamælea, officinarum mezereon. De qua proprio capite ſermo habendus eſt. Dicitur autem carduus iſte ſuarius, quia eius radix ſues interficiat, vnde charlinam vulgarem, chamæleonem iſtum non eſſe certiſſimum eſt, quia eius radix, tantum abeſt vt ſues interficiat, vt eos potius apprime nutrire valeat. Item charlina, pauca emittit folia, caulem vero à radice denudatum, in cuius ſummitate, pappus quidam, tanquam cardui echinus apparet, latus, purpureus, vndique aculeatus, ex quo polito, & ab horridis ſpinis denudato ac mundo, conditum ſaccaro, vel melle hodie paratur, frigidiori ventriculo conducibile, vt hodie experimur, in quodā, quod ad nos reuerendus Ludouicus Bartholus Vrbinas Anconæ apud Dominicanos prior digniſsimus miſit. Valet autem radix charlinæ, contra peſtilentem luem, quæ ab angelo, Carolo Magno, vt ea exercitum à peſte liberaret, indicata creditur.

ἰξίας venenum.

Charlinæ deſcriptio.

Chamæleõ niger.

Chamæleon niger.

DE CHAMAELEONE NIGRO.

Græcè, χαμαιλέων μέλας: *Latinè*, *chamæleon niger*: *Hiſpanicè*, *cardo pinto negro*, *cardo aliogero*: *Italicè*, *chameleone negro*: *Gallicè*, *chardõnete*: *Arabicè*, *chemeleon melamos*: *Germanicè*. Eberuurtz.

Enarratio IX.

DE iſto abundè ſuperiori diximus capite.

DE CROCODILIO.

Græcè, κροκοδείλιον: *Latinè*, *crocodilium*: *Hiſpanicè*, *carlina*: *vulgo carina*: *Germ.* Vuildeber vuurtz.

Enarratio X.

Crocodilium charlina eſt.

CRocodilium vt placet Ruellio Sueſsionenſi, ac Briſoto Pariſienſi viris doctiſsimis, charlina eſt, de qua cap. 8. vnum vel alterum verbum fecimus: naſcitur enim, non ſolum in ſyluis, vt tradit Dioſcorides, ſed etiam arenoſis, & macris locis, vt Plinium adnotaſſe legimus, lib. xxij. cap. 4. prope enim terram, charlina ſuos emittit flores, de qua Galenus ſub crocodilij nomine, ita lib. vij. agit dicens: Crocodilij ſemen acre eſt, atque odoratum, vrinam menſesque ciens, itaque facultatem habet calidam, digerentem & exiccantem, ſuccus tum caulis, tum ſeminis, vt quæ ſimilis ſint facultatis, nephriticos adiuuat, radix pectoris excreationibus valenter conducit, trahit vero etiam per nares ſanguinem, hæc Galenus. Quod vero charlina noſtra, per nares ſanguinem non tra-

Galeni crocodilium.

hat

hat, id loci ratione euenire credendum est.

DE DIPSACO.

Græcè, Δίψακος: Latinè, labrum veneris, Hispanicè, cardencha, cardo pendeador: Italicè, cardo da cardar: Gallicè, chardon de cardeur: Arabicè, dibsacos: Germanicè, Karten distel.

Enarratio x i.

Dipsacũ siue labrũ veneris.

VVlgaris carduus dipsacos est, & à pharmacopolis, virga pastoris dictus, quia virgis oblongis, aculeis denudatis gregem pastores ducũt. Errat Mathæus Syluaticus, nonnullos alios imitans qui virgam pastoris carduum, cum corrigiola sanguinaria, ac cẽtumnodia dicta herba, confundit, ignorans hãc centumnodiam siue sanguinariam, polygoniũ apud Dioscoridem esse, non vero dipsacum, vt suo dicemus capite. Dicitur quoq; carduus iste officinis, cardo fullonũ, siue carduus fullonius, quia rudes panni, veluti & pilei, huius echino poliuntur. Nascitur autem in Hispania in aruis, maxima quidem copia, vt nulla prorsus indigeat cultura: in Italia vero, præsertim apud Bononienses, maxima cura seritur, ac ea de causa, multi inter domesticum & syluestrem, differentiam faciunt, quum tamen nulla prorsus sit, & in vtroque qui diligenter quærit, vermiculum in echino inuenit, cuius Galeni temperamentum inuestigans, breuissime lib. vj. de Facultatibus simplicium medicamentorum, ita dixit: Dipsaci spinę radix ex secundo ordine exiccatoria est, habet

habetque nonnihil & abſterſorium.

DE SPINA ALBA.

Græcè, ἄκανθα λευκὴ: Latinè, ſpina alba: officinis bedeguar: Hiſpanicè, cardo ſylueſtre, que hecha alcachofres: Italicè, cardo ſylueſtre deli Carcioffi: Gal. artichau ſauluage: Arabicè, Bedeguar: Germanicè, Feh diſtel.

Enarratio XII.

Spina alba.

SPina alba, officinarũ bedeguar eſt, apud nonnullos ſylueſtris dicta cinara, carduus ſcilicet ſylueſtris alcichoflos ferens, qui plerunque in montibus, & ſyluoſis locis reperitur, & eius floribus variis in locis lac coagulatur. Non eſt igitur vt pharmacopolę putãt, bedeguar ſylueſtris roſæ fructus, aut carduus benedictus, quã quam illius loco eo vti non extra rationẽ eſſet, vt ſuadet Braſauola in ſyrupo de eupatorio cõficiẽdo. Eſt igitur ἄκανθα λευκὴ, id eſt ſpina alba, Serapionis & Arabum bedeguar. Nam λευκάκανθα, id eſt alba ſpina, res eſt, cuius inaduertẽtia Manardus errauit. Succhaha vero, nõ eſt bedeguar, ſed potiꝰ apud Dioſcoridẽ Arabica, ſiue Aegyptia ſpina, quãquã reuera, vtraq; ſoli ratione tantum inter ſe differant: nã bedeguar apud nos naſcit, ſucchaha vero apud Arabas reperitur, & ea de cauſa loco ſucchahe, bedeguar recte accipi poteſt. An vero radices harum ſpinarum, ingredi debeant ſyrupum eupatorij Meſuę: in dubium vertitur, Braſauolus eas vt pote aſtringentes reiicit. Mathiolus

lus vero Senensis, acriter eum reprehendit. Ego vero, tametsi noscam Brasauolum doctissimum, exercitatissimumque in re medica esse, vt cui singulis annis, quingẽti supra mille ægrotantes subiiciantur, non sic tamen à Mesue discedendum putarem, quum reuera, syrupus iste pro morbis diuturnis, & febribus longinquis, paratus sit, quibus languentium stomachi, languidi, deiecti ac debiles & relaxati, sunt facti, pro quibus roborandis, vel saltem non omnino destruendis, prædictæ radices consulto huic adiiciuntur syrupo. Quibus quoque adde, quòd radix bedeguar, id est acanthæ leuces, modice astringit, vt ex Galeno percipitur lib. vj. citato, sic dicente: radix eius desiccatoria est, & modice astringens, quamobrem & cœliacos & dysentericos iuuat, & sanguinis reiectiones cohibet, œdemataque illitu contrahit, ac dentes dolentes iuuat, si decocto eius colluantur, semen tenuis essentiæ & calidæ facultatis est, itaq; potui dari ijs qui cõuelluntur, cõuenit.

DE AEGYPTIA, SIVE ARABICA SPINA.

Græcè, ἄκανθα αραβικὴ: Latinè, arabica spina, ægyptia spina, Arabicè, succhaha.

Enarratio XIII.

ARabica siue Aegyptia spina, Arabum succhaha est, quæ natali tantum à spina alba differt, nam hæc apud nos crescit: illa vero apud Arabas & Aegyptios, vnde cognomina traxit. Loco igitur Arabicæ spinæ, quæ ad nos hodie non affertur, alba vti debemus. Cæterum Ruellius hic hallucinatur, credens vtique, Arabicam spinam, acaciæ arbusculum esse, parum Galenni animaduertens verba, quæ ita lib. vj. habentur: Acãtha Aegyptia, quidam Arabicam vocant, similis autem est spinæ albæ nostrati, verum facultate validius astringente pariter & desiccãte. Itaque profluuium muliebre radix eius iuuat, & alia quibus auxilio est, quæ apud nascitur spina, sed efficacius tamen omnia adiuuant: tum radix tum fructus: Hic vero & columellæ prodest, & iis quæ inflata sunt, tum vlcera ad cicatricem ducit, mediocrem habens & non molestam astrictionem. Hæc Galenus, per quæ satis percipitur quòd arbusc

Ruellius hallucinatur.

arbuſculum ferens acatiam, tametſi in Aegypto naſcatur ſpina hæc Arabica, ſiue Aegyptia ſpina de qua agimus, non ſit. Nec enim ignoro Oribaſium ac Aëtium viros graues, acatiam cum Aegyptia ſpina, idem facere, quos forſan Ruellius ſecutus eſt, ſed vt dixi, non ſine errore.

DE SCHOLYMO.

Græcè, σκόλυμος: Latinè, ſcolymus, carduus, cinara, Hiſpanicè, cardo de comer, cardos: Italicè, cardoni: Gallicè, artichaut: Arabicè, ſacolomas: German. Artiſchauu.

Enarratio XIIII.

Carduus.

ETſi carduorum multa & varia ſint genera carduus tamen abſolute dictus, is eſt, qui invictus vſum venit, & lautioribus menſis, pro ſigillandis ac roborandis ſtomachis apponitur. Nã apud vniuerſam Hiſpaniam frequens carduus iſte habetur, qui hibernis menſibus terra obruitur, & albus ac delicatiſsimus redditur. At in germania, raro carduus iſte conſpicitur. Porro in Flandria, Hiſpanorum diligentia, qui huiuſcemodi delitiis multum delectantur, nõ infeliciter prouenit, præſertim apud Brugas, & Antuerpiam. De quo Plinius candide vt ſolet, inquit lib. xix. cap. 4. & iam ne in herbis diſcrimen inuentum eſt, & ſubdit, & in iis aliqua ſibi quoque naſci tribus negant, caule in tantum ſignato vt pauperis menſa non capiat, ſylueſtres fecerat natura horridos, vt quiſque demeteret, paſſim, ecce altiles ſpectantur aſparagi, & Rauenna ternis libris.

bris rependit, heu prodigia ventris, Mirum esset nō licere carduis pecori vesci, non licet plebeis, item, cap. viij. eiusdem voluminis, inquit, poterant videri dicta omnia quæ in pretio sunt, nisi restaret res maximi quæstus, non sine pudore dicenda. Certum est quippe, carduos apud Carthaginem magnam Cordubamq; præcipue, sestertia sena milia è paruis iis reddere, quoniam portenta quoque terrarum in ganeam vertimus, etiam ea quæ fugiunt, qua drupes consciæ. Cęterum Galenus de isto ita tradit lib. viij. de Facultatibus simplicium medicamentorum: Radix eius, si quis illam in vino coctam bibat, graueolentem vrinam abundanter elicit, fœtorique alarum medetur, succus enim eius est purgatorius, calfacit porro secundo & completo ordine, aut tertio incipiente, siccat vero secūdo.

Scolymi tēperatura.

CONSTANTINVS.

Carduorum duplex est differentia. Sunt enim syluestres, & satiui: Syluestrium vt placet Plinio lib. xxj. cap. 23. duo sunt genera, vnum fruticosius à terra statim. Alterum vnicaule crassius, & vtrique folia pauca spinosa, muricatis cacuminibus. Sed alter florem purpureum mittit, inter medios aculeos, & celeriter canescentem, & abeuntem cum aura: scolymon Græci vocant, de quo lib. xxij. cap. simili sic tradit: Scolymon quoque in cibos recipit oriens, & alio nomine limonion appellat. Frutex est nunquam cubitali altior, cristisq; foliorum ac radice nigra, sed dulci. Eratostheni quoque laudata in pauperis cœna. Cicadæ ea florēte sunt acerrimi cantus vt testatur Alceus, & Hesiodus: ἦμος δὲ σκολυμός τ' ἀνθεῖ καὶ ἠχέτα τέττιξ. Scolymi autem carduorum generis, radicē etiam vescendo esse decoctam Idem author est Plin. lib. xx. cap. 16. Qui de satu carduorum Hortensium diligenter præscribit lib. xix. cap. 8. Et quamuis scolymi nomine apud Græcos, carduorum omne genus contineatur, tamen species quædam est, vt ex citatis locis liquet, quæ priuatim scolymos dicitur, quam secundo de Alimentis Galenus discernit à cinara, quæ itē satiui cardui generis est, scolymon enim statuit inter εὐστόμαχα, cinaram vero inter κακόχυμα quod si satis expendisset Mathiolus vir non sine honoris præfatione nominandus, non dixisset in huius capitis Comm. in Dioscoridem, Galenum carduum cinaram appellasse. De cinara quod meminerim, nominatim nullibi Dioscorides tractauit, aut Plinius: nisi de hac planta intelligas, quod dixit lib. viij. cap. 27. Ceruum herba Cinaræ venenatis pabulis resistere. De Cinara ita cecinit Columella lib.

la lib.x. hispida ponatur Cinara quæ dulcis Iaccho Potanti veniat, nec Phœbo grata canenti. Ipsam plantam loco superius adducto, vocari tradit Galenus κυνάρα per Iota &, κυννάρα per ypsilon, cuius quasi capita σκολύμους nominat. Alexandro verò Tralliano est ἀρτισιακὰ, nosq; vocamus artichauls: fructus videlicet Cinaræ, de qua etiam meminit Iulius Pollux libro vj.

Poterium.

DE POTERIO.

Græcè, ποτήριον: Latinè, poterion.

Enarratio decima quinta.

POterion & neurax, idem est frutex, quanquam Paulus differentes faciat, est verò, poterion Hispanis familiaris carduus, sub nomine dicto habitus, qué Cornarius Germanus vir doctissimus, sua voce, *schluben* appellari tradit.

CONSTANTINVS.

DE Poterio agit Galenus *lib.viij. simpl. sub titulo neurados, quæ ita dicta est, quod nervos abscissos conglutinet. Phrynion* etiam *vocata à Plinio, quia rubet arum venenum depellit. Hanc describit Plin. lib.xxvij. cap.12. meminit item lib.xxvj. cap.12. & lib.xxv. cap.10. Cornarius quem Amatus sequitur, poterion nulla ratione cõtendit esse prunũ Sylvestrẽ, quæ spinus est Virg.*

DE ACANTHO.

Græcè, ἄκανθιον: Latinè, acanthium.

Enarratio XVI.

VIdetur hodie Acanthion, foliis minoribus acanthæ, sed lanuginosis, & aliquantulum per ambitum spinosis

nosis, quæ manibus fricata, fabarum viridium, ex se spirant odorem, vt in horto probi viri Azaioli Ferrariensis experti sumus, sed in planta ista, non tanta reperitur lanugo, vt ex illa, vestes bombycinis similes parari possent, alibi tamen reperiri credendum est. At bombasium siue Gossipium, in planta nascitur spinosa, quam Dioscoridem nouisse, ex hac deprehendi potest similitudine, cuius semen tussi, & pectoris ægritudinibus prodest, calidum enim est, & emolliens, ac semen genitale augens, nam Gossipium vstum, sanguinis fluxiones constringere, certissimũ est. Porro de Acanthio, Galen. breuissime lib. vj. adducto, ita meminit. Radix huius & folia facultatis sunt excalfactoriæ, vt & iis qui conuelluntur, auxilientur. *Gossipium quid.*

DE ACANTHO.

Græcè, ἄκανθα: Latinè, acãthus: Hispa. yeruagiguante, branqua vrsina: Italicè, acantho: Gal. acanthe, ou branch' vrsine: Germanicè, Beren klauu.

Acanthus hortensis.

Enarratio XVII.

DIximus ab hinc multis annis, id quod & nunc affirmamus, acanthum Græcorum, officinarum brancam vrsinam esse, quum adamussim inter se conueniant, nec aliqua in parte differant: Quæ ideo branca vrsina dicitur, non vero hircina, vt nonnulli, contendunt, quia eius folia similitudinem quandam, cum vrsorum anterioribus pedibus gerunt. Hęc quoq; depicta in colũnis & marmoribus antiquissimis hodie cernitur, *Brancha vrsina, acãthus est.*

tur, vnde marmoraria à Romanis olim dicebatur. Hodie quoq; in pateris, & auleis, hoc est pannis depictis tapetariè, huius folia effigiata videntur, sunt enim vt paucis dicam, folia hæc lactucacea, cubitalia, subnigra, pinguia, palmaris latitudinis, incisuris quibusdam magnis diuisa: ex quorũ decocto clysteres quoq; passim componuntur, & vt tradit Gal. lib. vj. de Faculta. simpl. medic. huius folia mediocriter digerentem facultatem obtinent. At radix exiccatoria est leuiter incisoria, & tenuiûm partium.

CONSTANTINVS.

Achantus quem Dioscorides ἄκανθαν vocat, & Galenus lib. vj. Simplicium ἄκανθον, καὶ παιδέρωτα καὶ μελάμφυλλον: Plinio lib. xxij. Cap. 22. Achantos dicitur: Achantos inquit, est topiaria & vrbana herba, elato longoq; folio, crepidines marginum, adsurgentiumq; puluinorum toros vestiens. Duo genera eius sunt, aculeatum & crispum, quod breuius: Alterum læue, quod aliqui pæderota vocant, alij melamphyllon. dictamq; marmorariam apud veteres Romanos acanthum scribit Amatus, sed ausim sacramento contendere, melioris notæ scriptorem, cuius opera legantur, nullum hoc vnquam scripsisse. Nam marmaritis herba, ita appellata quòd in marmoribus crescat, ab acantho diuersa Plinio lib. xxiiij. Cap. 17. à quo etiam aglaophotis dicitur. Nec tamen ignoro vel ex Vitruuij de architectura libr. iiij. cap. 1. in opere scalptili Acanthum magno in honore fuisse. Callimachus enim in columnis Corinthijs capitula Acanthi folijs exornauit. Sed etiam in manucælatis poculis eius herbæ placuit elegantia. Virgilius in Bucol. & molli circum est ansas complexus Acantho. In limbis etiam vestium pro mæandro ascita est. Idem author Aeneidos j. Et circumtextum croceo velamen acantho. Quinetiã quia lentus est acanthus caulibus maxime vitilibus, & sequacibus, ideo olim atq; etiamnum regnat, in opere topiario: ob id à Virgilio mollis dictus 4. Georgicon: Ille comam mollis iam tùm tondebat Acanthi. Et Ibidem: nec sera comantem Narcissum: aut flexi tacuissem vimen Acanthi.

DE SYLVESTRI ACANTHO.

Græcè, ἀγρία ἄκανθα: Latinè, Acanthus syluestris, branca vrsina syluestris.

Enarra

Achantus Syluestris.

Enarratio decimaoctaua.

HAec hodie quoque conſpicitur, aſpectu triſtior, quàm prima, cui folia nigriora & ſtrictiora videntur.

DE ONONIDE.

Græcè, ἀνωνὶς: Latinè, ononis, anonis: Hiſpanicè, gatilhos, gathinos: Italicè, bonaga: Gallicè, bugranes, & bugrundes: Germanicè, Heuu hechel, oder ſtallkraut.

Enarratio XIX.

NOrunt hanc anonidem, vel ononidem, dictam herbam, laboratores, ob id quòd eorum aratra illius implicitis radicibus remorentur, vnde remoræ aratri nomen traxit, quæ plerunque (ſilente Dioſcoride) flore purpureo ornatur, raro tamen luteo, & de ea Plinius libro vigeſimo ſeptimo, capite quarto, ita tradit: Anonim, quidam anonida malunt vocare ramoſam, ſimilem fœnugræco, niſi fruticoſior, hirſutiorque eſſet, odore iucundo, poſt ver ſpinoſa, in iis autem vltimis verbis, aut Plinius emendandus eſt, aut omnino errat, quum aſſerat, poſt ver ſpinoſa, nam Theophraſtus, autumno ſpinoſam fieri meminit, id quod ita eſſe, experientia teſtatur: legendus itaque mihi Plinius videtur ad iſtum modum, poſt æſtatem ſpinoſa. *Plinius emendatur*

Anonis.

ſpinoſa. Cæterum, huius radice medici veterinarij, mulomedici dicti, plerunque vtuntur, ex ea decoctum parantes quod equis meiere nequeuntibus offerunt: excellens enim contra nephriticam paſsionem eſt, & à cruciatu calculi celerrime liberat: vnde de ea dixit Galenus, libro octauo voluminis citati ad iſtum modum: Radix eius calfacit, quodam modo in tertio ordine abſtergitq; & nonnihil incidit, itaq; non tantũ vrinas prouocat: ſed & lapides frangit, & cruſtas detrahit, præterea ad dolores dentium, qui oxycrato in quo fuerit cocta colluuntur.

DE LEVCACANTHA.

Græcè, λευκάκανθα: Latinè, leucacantha, alba ſpina.

Enarratio xx.

LEucacantha & acanthaleuce multum inter ſe differunt, vt ex Dioſcoride, Galeno, Paulo, ac Plinio, facile deprehendi poteſt. Nam acanthaleuce id eſt ſpina alba, Serapionis bedeguar eſt, vt ca. 12. ſuperiori diximus. Leucacantha vero, id eſt alba ſpina, de qua ad præſens agitur, longe res alia eſt, & cuius exacta notitia haberi non poteſt, ob prætermiſſam ipſius à Dioſcoride & Plinio hiſtoriam: vt tamen coniecturis aſſequi poſſumus, arbuſcula quædam, leucacantha dici debet, ſepes maxime exornans, quæ pyri folia habet, fructum vero nigrum, bacçis liguſtri ſimilem, ex quo pictores viridem quendam ſaturum colorẽ parãt, vt cap. de Rhãno meminimus. Proinde Ruellius hic dupliciter errat, primo quòd cum Manardo,

leucacan

leucacantham ab acanthaleuce non separat: sed rem vnam esse credidit: Secundo, quòd arbusculam hanc rhamnum esse descripserit. Cæterum, si frutex iste dictus, alba spina non sit, proculdubio, quæ illa sit ignoratur. De qua Galenus separatim à spina alba, caput præfixit, & eius verba lib. vij. huic dicato negotio ita legũtur: huius radix amara est, ac proinde incidit, exiccatque in tertio ordine: calfacit autem in primo. Ruellius errat.

DE TRAGACANTHA.

Græcè, Τραγάκανθα: Latinè, tragacantha, spina, Gallicè, Dragant, espine à bouc: Arabicè, Alcuted.

HVIVS GVMMI.

Tragacanthum gummi, Hispanicè, Arabicè, alquitira: Italicè, gomma draganti: Gallicè, gomme dragant: Germanicè, Dragant.

Enarratio XXI.

HVius plantæ liquor, gummi dragacanthum, vel tragacanthum officinis dicitur: quod ex Creta & Peloponneso præcipuè aduehitur, & de eo Gal. lib. viij. excitatis ita dixit: Tragacantha emplasticam facultatẽ similem gummi obtinet, nec non obtusiorem acredinem: ac sane similiter illi desiccat. Gũmi dragacanthũ.

DE ERYNGIO.

Græcè, ἠρύγγιον: Latinè, Eryngium, Hispanicè, Cardo corredor: Italicè, Fringo: Gallicè, Panicault, ou chardon testu: Germanicè, Manns treuu, Brachendistel.

Enarratio XXII.

ERyngium nascitur passim in campestribus & asperis locis, carduus officinis satis notus, centum capita alioquin dictus, ob multa capita, quæ in summa continet parte, nam Plinij centum capita, diuersa res ab eryngio isto est, vt etiam apud serapionem deprehenditur, qui per centum capita, inguinalem herbam, siue aster Atticum apud Dioscoridem intelligit:

Eryngium.

Hallucinantur certe qui hanc secacul esse putat, quum secacul Arabum, Dioscoridis polygonatum est, nostratum vero, herba dicta, sigillū beatæ Mariæ, vel sigillū Salomonis: quam alij geniculā vel genichellam appellant, & cuius radices, hodierni pharmacopolæ, succharo pro instimulanda venere, veluti radices Eryngij parant, quibus ego pro irritanda vrina vsus sum & feliciter successit. De Eryngio vero Galenus libro sexto ita dixit: Calore quidem est temperatum, non paruam tamen siccitatem sortitur, consistentē in tenui substantia.

DE ALOE.

Græcè, ἀλόη: La. aloe: His. hierua baboſa: Ital. herba di aloe Ara. ſaber: Gal. Perroquet: Ger. Alepatick.

LIQVOR ALOES.

Aloe: Hiſpanicè, azeure: Italicè, aloe, Gall. aloe.

Enarratio XXIII.

NOn ſolum hodie herba Aloes, in hortis & feneſtris ſeritur, ſed in multis mercatorum officinis ſuſpenſa videtur, ſuccum ex ſe glutinoſum deſtillans, quem aloem appellamus, vnde Hiſpani à continua deſtillatione, illam, herbam baboſam, appellitant, tam enim herba hæc deſcriptioni Dioſcoridis reſpondet, vt in eius pictura immorari non ſit opus. Affertur autem bona aloe, ex Indiæ quadam inſula, Socotora dicta, vnde Succotrina Aloe appellatur, & cæteris antefertur, Iocinoris modo concreta, ruffa, ſplendens, friabilis, ac egregie amara, quæ vt tra

Aloe succotrina optima.

Aloe orificia venarū aperit.

Aloë.

vt tradit Meſue, venarum orificia aperit, in qua re, immerito Manardus ac Fuchſius eum vellicant; quum experientia ipſa verũ dixiſſe Meſuem atteſtatur, vt Antonius Muſa Braſauola optime dixit, & Guiliel. Puteanus euidentiſſimis rationibus probauit, & nos ipſi ita eſſe nouimus, quę vt tradit Meſue, pituitam, & bilẽ expellit, & ab illis, caput & os ventriculi mũdificat, & confert iuuaméto magno, doloribus eorũ, & inflãmationi ſtomachi, imò qui cõtinuo ea vtitur, nõ ſentiet in corpore ſuo, nec inſtrumentis ſenſuum ſuorum ægritudinem, quæ non ſit facilis ſanatu, & præſeruat à putrefactione: ita vt etiam cadauera, præcipuè cũ myrrha mixta, & aliis, incorrupta ſeruet. Caue ergo inquit Meſue, dare Aloen in temporibus frigidis, excoriat enim, ex ſolutione educit ſanguinem. In quibus verbis, Meſue à Manardo quoq; reprehenditur, & merito ſane, quanquã Braſauolus pro Meſue ab errore vindicando, rationes adducit, quas tanquam ficulneas dimittimus, quũ revera, aloe ſecurius in hyeme quàm æſtate operatur, & validius in æſtate, ſanguinẽ per ora venarum aperta detrahit quàm in hyeme, vt cuiq; vel mediocriter in re medica exercitato notũ erit. Vt tamen Aloes temperaturam, & illius dotes, apud Galenũ deſcriptas noſcamus, ipſum in præſenti audiamus, qui ita lib. vj. tradit: Hæc herba optima in India naſcitur, cuius liquor eſt id quod ad nos importatur, cognominatum Aloe, medicamentum ad plurimas res, propter ſiccitatẽ mordicationis expertem vtile, quod quidem aſtringit modice, ſed fortiter amarũ eſt, ac proinde ſubducit ventrẽ. Eſt autem

Meſue erratum.

tertij ordinis exiccantium: calfacientium autem, aut primi intensi, aut secundi remissi. Ad hæc vero, gratum est ventriculo medicamen, vt si quod aliud, & sinus glutinat, sanat vlcera quæ ægrè ad cicatricé perduci possunt, & maxime quę in ano sunt, & pudendo: confert similiter si maceretur aqua, ad eorũ phlegmonas, nec nõ eas quæ in ore, naribus, oculisq; oboriuntur, in summa repellere & digerere simul potest, cum hoc vt paulum extergeat, quantum videlicet vlceribus puris non sit molestum.

Aloes temperatura.

DE ABSINTHIO.

Græcè, ἀψίνθιον: *Latinè*, *Absinthium*, *absinthium Ponticum*, *absinthium Romanũ*: *Hispanicè*, *asentios*, *alosna*: *Italicè*, *assenzo*: *Gal. Aluyne*: *Arab. Affinthium*: *Germanicè*, Vvermuot.

Enarratio XXIIII.

Absinthium.

ABsinthiũ vulgare, idem cũ Pontico, & Romano Absinthio est, quia in nihilo inter se quàm natali tantum differant, quo factũ est, vt Galen. libris Methodi medendi, aliquando herbas diuersas facere videatur, quum tamen eadem sit: in Ponto tamen procerius crescit, cuius facultates & temperamentum ille libr. vj. de Facul. simpl. medica. ita prosequitur: absinthium astrictoriam, amaram & acrem qualitatem sortitur, excalfaciens, extergens, roborans, & exiccans: proinde bilioſos ventris humores deijcit: ac per vrinas euacuat: Verum contentam in ventre pituitam, nihil adiuuat sumptum

sic nec in thorace aut pulmone contineatur: Nam astringens in eo facultas quàm amara, valentior est. Est autem calidum in excessu primo, siccum vero in tertio: at succus longe quàm herba est calidior.

DE SERIPHIO.

Græcè, ἀψίνθιον θαλάσσιον: Latinè, seriphium, Absinthium marinum: Hispanicè, assentios marinos, alosna marina: Italicè, assenzo marino: Gallicè, barbotine.

Enarratio XXV.

Seriphium

NAscitur seriphium nō solum prope mare, sed in multis Italiæ hortis, semine onustum: vnde Fuchsium, hanc non nouisse herbam, certum est, quum in suo Herbario, quibusdam siliquis ornatam eam depictam proposuerit: & de ea ita tradit Galenus lib. viij. Simplicium, quū inquit: Seriphium absinthio est tum specie, tum gustu simile: Cæterum, non æque astringit: sed calfacit valentius, nec nō amaritudinem quandam salsuginosam refert, ventriculoque est infestum: magisque absinthio lumbricos enecat, calfacit itaque secundo ordine intenso, siccat autem in tertio.

DE SANCTONICO ABSINTHIO.

Græcè, ἀψίνθιον σαντόνικον: Latinè, santonicum absinthium: Gallicè, Aluyne de Xaintonge.

Enarratio XXVI.

DIcitur Absinthium Santonicum, à Santonibus Galliæ populis, apud quos plurimum gignitur. Cuius semen à santonico, corrupte sanctum deductum est, quod hodie saccaro incrustatur, pro vermibus puerorum interficiendis, & ea de causa, semen lumbricorum appellatur. Cæterum, qui Serapionis, tanabel, semen hoc interpretātur, omnino errāt: quia canabel Serapionis, arenosa quædam terra est, à cœlo pluuiæ tempore cadens, non verò semen plantæ, quæ non solum contra vermes in vsu habentur, sed etiam pro figulinis vasis glutinandis.

DE ABROTONO.

Græcè, ἀβρότονον : *Latinè*, *abrotonum* : *Hiſpanicè*, *abrotano*, *hierua lombriguera* : *Italicè*, *abrotano*: *Gallicè*, *auroene ou garderobbe*: *Arabicè*, *Keſum*: *Germanicè*, Schoſs vuurtz.

Enarratio XXVII.

Abrotonũ.

Campho-rata.

Abrotonum.

VVlgata & inter cõmunes herbas, abrotonum habetur, cuius fœmina & mas ſunt: fœmina, infima ſiue ſylueſtris cypreſſus, in hortis naſcens eſt, quæ ſantolina vel camphorata à nonnullis quoq; appellatur. Mas verò, vbique reperitur, de quarũ virtutibus, Galen. lib. vj. de Facultat ſimplic. medic. inquit: Abrotonum calidum & ſiccum eſt facultate in tertio receſſu, aut ordine, qui ad temperatam naturam expenditur, ſirum, valdè ſiquidem eſt amarum, qui ſapor, quum terrenæ eſſentiæ ſit, à largo eſt calore extenuatus: porrò, ſi quibus per circuitus redeunt rigores, ante inuaſionem rigorum eos abrotono confrices, minus vtiq; concutientur ſubitoque ſenſum caloris percipient. Quòd abrotonum etiam lumbricos perimat, par quidem eſt, quum ſit amarũ: cæterum & digerendi & incidendi quandam vim habet, ipſoq; abſinthio maiorem, quandoquidem pauciſſimæ acerbitatis particeps eſt abrotonũ, haud autem exiguæ abſinthium: vnde inimicũ ſane eſt ventriculo abrotonũ, veluti etiam ſeriphium, gratum verò & amicum abſinthiũ, per ſe quippe amarũ omnifariam eſt infenſum ventriculo, auſterum

vero,

verò, aut acerbum, aut in ſumma aſtringens, amicum & familiare. Et ſubditabrotonum vſtum, calidum ſiccumq; facultate eſt, magis etiam quàm cucurbita ſicca vſta, & anethi radix, illa enim vlceribus humidis ſimul & citra phlegmonem callo induratis conueniunt, ac proinde maxime præputij vlceribus congruunt: At cinis abrotoni, vlceribus omnibus mordax eſt, atq; iccirco ex oleo aliquo tenui, cicino ſcilicet, aut raphanino, aut Sicyonio, aut veteri, & maximè Sabino, ad alopecias accõmodatur. Tum barbam tardius naſcentem, in eorum aliquo, nec minus lentiſcino maceratum elicit.

DE HYSSOPO.

Græcè, ὕσσωπος: Latinè, hyſſopum: Hiſpanicè, hyſſopo, Hiſſopilho: Arabicè, Zufa: Italicè, Hiſſopo: Gallicè, hyſſope: Germanicè, Hyſop.

Enarratio XXVIII.

Hyſſopum.

HYſſopus officinis communis & vulgaris eſt herba, quam Dioſcoridis & Græcorum hyſſopum eſſe, vel ne, multi dubitabãt: quia capite de origano Heracleotica, legunt, ſecundum Marcelli verſionẽ, folia hyſſopi habet, non tamen vmbellam hyſſopi modo: rotæ figura, in quibus verbis videtur hyſſopum, vmbellã modo rotæ habere: ſed reuera, textus iſte verus eſt, cui tamẽ falſa verba hæc adiecta ſunt, hyſſopi modo, quum Dioſcorides in flore origani nullam faciat ſimilitudinẽ cum hyſſopo, ſed potius in folio tantum, proinde hyſſopum vulg

vulgarem, Græcorum hyſſopum eſſe, non eſt dubium, de qua Galenus lib. viij. de Facul. ſimpl. medi. breuiſsime ita dixit: Deſiccat & excalfacit tertio ordine, ſed tenuium eſt partium hyſſopum.

DE STECHADE.

Græcè, στιχὰς καὶ στοιχὰς: *Latinè*, *ſtœchas*: *Hiſpanicè*, *cantueſſo*: *Luſitanicè*, *roſmarinho*: *Italicè*, *ſteca*: *Gallicè*, *ſtechas*: *Arabicè*, *aſtuchudes*: *Germanicè*, Stichas kraut.

Enarratio xxix.

Stœchas.

NOn vbiq; ſtœchas reperitur, quam ſeplaſiarij genitiuo caſu ſtichados appellant, imò Venetiis vbi maximus herbarum & ſimplicium confluxus eſt, veluti Ferrariæ, nunquã huius flores, ſed tantum denudatas ſpicas cum nonnullis ſtipitibus, videre potui. Eſt enim herba iſta, fruticoſa, invniuerſa Hiſpania admodũ frequens, quam Luſitani, roſmarinum appellant: in Gallia quoque frequentem eſſe, Dioſcorides teſtatur: imò huius herbæ nomenclatura, ſtœchas, ab inſulis Stechadibus, prope Maſsiliam ſitis, contrahitur, ex qua ſyrupus in officinis paratur, & cum aromatibus & ſine illis: ex illius quoq; floribus, conditum, capiti, ventriculo & matrici conueniens, cum ſuccharo vel melle conficitur. De qua Galenus libro octauo de Facultatibus ſimplicium medicamentorũ ita inquit: Stœchas amara eſt, & mediocriter

ſub

Spica.

Lauendula.

ſubaſtringens, quum nimirum ex terrena eſſentia frigida exigua, & extenuata altera terrena copioſa, conſtet, quare obſtructione liberat, extenuat, extergit, roboratq; & viſcera & vniuerſum corpus: cæterum, herba illa à nonnullis ſtœchas citrina dicta, longe alia res eſt, de qua alibi ſermonem habituri ſumus. Eſt porro ſtœchadi, herba folio, & figura perſimilis, abſq; flore tamen: quam pleriq; criſpulam vocant, optimi ſane odoris, & cuius radix, thuris odorem maxime refert, & eam in vnguento marciatone iniiciunt. *Criſpula herba.*

DE ORIGANO HERACLEOTICO.

Græcè, ὀρίγανον ἡρακλεωτικὴ: *Latinè*, *Origanum Heracleoticum*: *Hiſpanicè*, *Oreganos*: *Italicè*, *Origano*: *Gallicè*, *origan*: *ou mariolaine ſauuage*: *Arabicè*, *ſaudenegi*: *Ger.* Vvolgemuot, doſten.

DE

DE ASININA ORIGANO, ONITIDE DICTA.

Græcè, ὀρίγανον ὀνῖτις: *Latinè*, *onitis origanus*, *asinina origanus*.

DE SYLVESTRI ORIGANO.

Græcè, ἀγριορίγανον: *Latinè*, *sylvestris Origanus*: *vulgo*, *origano campestre*.

DE TRAGORIGANO.

Græcè, τραγορίγανον: *Latinè*, *tragoriganus*, *hircicina origanus*: *Gallicè*, *Mastic*.

Enarratio xxx. xxxi. xxxii. xxxiii.

origani quatuor genera.

Origanum.

QVatuor origani genera à Dioscoride describuntur, quorum præstantius,& verius,sylestre est, quod nullibi quàm in Hispania hucusque mihi videre contigit: in Gallia vero, & Germania ac Italia, genere quodam vtũtur non ideo tamen potente ac bono. Habent tamen origani vt refert Galenus libr. viii. de Facultatibus simplicium medicamentorum has sequentes dotes, Heracleotica quidem efficacior est Onitide, agrestis tamen est valentior vtraq;, omnes vero incidendi, extenuandi, calfaciendi, & exiccandi obtinent facultatem, in tertio nimirum excessu, At tragoriganus etiam quippiam astringit.

DE

DE PVLEGIO.

Græcè, γλήχων: Latinè, pulegium: Hiſpanicè, poleios, poeyos: Italicè, pulegio: Gallicè, pouliot: Germanicè, Poley, hertz poley.

Enarratio XXXIIII.

Pulegium.

OLim verò cùm nonnullis doctiſsimis viris, ac diligentiſsimis ſimplicium medicamentorum inueſtigatoribus, in dubiũ vertebam, num pulegiũ vulgare, Dioſcoridis & Græcorum pulegiũ eſſet. Sed nunc re exactè contẽplata, pro firmo tenemus, in idẽ conuenire, nec ĩ aliquo inter ſe differre, Cuius duo genera reperiũtur, alterum flores albos, alterũ verò purpureos ferẽs: illũ marem, iſtũ verò fœminam Pli. hb. xx. cap. 14. appellat. Sed Fuchſius in hoc errat, credens, pulegium fœminã, purpureos flores gerens, nepitham eſſe, quum revera res inter ſe differentes ſint, vt experientia ipſa indicat: de quo Galenus lib. vj. Simplicium ita inquit: Glechon id eſt pulegium herba, quandoquidem acris & ſubamara eſt, valde extenuat, & calfacit. Quare & illita rubricat, & exulcerat ſi diutius hæreat, quinetiam humida, craſſa, & lenta, ex thorace & pulmone excreatu facilia facit, menſeſq; mouet.

Pulegium.

Fuchſius erat.

DE DICTAMNO.

Græcè, δίκταμνος: Latinè, dictamnum, Dictamnus Cretenſis, vulgo dittamo: Arabicè, Bari.

Enar-

Enarratio xxxv.

Dictamnus.

AFfertur è Creta insula dictamnus, foliis pulegij, subrotundis, & tomento quodam desuper vestitis, qua nulla quantumcunque paupercula aromataria sit, in Italia iam hodie caret, tam enim frequens, ac continua illius aduectio est. Cæterum, quod Dioscorides inquit, ferunt in Creta vulneratis telo capris, eius herbæ cibo, tela cuspidesque omnes ex corpore decidere, hodie verum esse nouimus, est certe hærba hæc, vt refert Theophrastus lib. ix. de Plantarum historia, cap. xvij. mirabilis, præsertim pro partu accelerando. De qua Galenus lib. vj. citato, ita tradit: Tenuiori essentia constat quàm pulegium: cætera illi simile.

DE PSEVDODICTAMNO.

Græcè, Ψευδοδίκταμνον: Latinè, falsum Dictamnum: Hispanicè, pulegium ceruinum, polco cerual.

Enarratio xxxvi.

Pseudo dictamnum.

HAec in Hispania & Italia comperitur, quam Hispani, pulegium ceruinum appellant. De quo Galenus libro superius citato, inquit: At pseudodictamnum ad omnia imbecillius existit.

DE ALTERA CRETENSI DICTAMNO.

Græcè, ἕτερον δὲ καὶ δίκταμνος: Latinè, altera Cretensis dictamnus.

Enarratio xxxvii.

Tertia dictamnus.

NOn solum in hortis hodie altera hæc Cretensis dictamnus videtur: sed etiam in fictilibus ad fenestras frequenter reponitur, folio cresonis, flore pulchro, purpureo, & qui fricatus odorem ex se refert, qualem ex flore narantij oriri videmus.

DE SALVIA.

Græcè, ἐλελίσφακον: Latinè, saluia: Hispanicè, Italicè, saluia, salua: Gallicè, sauge: Arabicè, Elsfacos: Germanicè, Salbey.

Enar

Saluia maior.

Saluia minor.

Enarratio XXXVIII.

NVllus extat hortulus, quantumcunque pauperculus, qui non ſaluia ornetur, adeò vbique frequens eſt, nam & ſylueſtris quoque non minus obuia eſt, quæ variis in locis fructum quendam gignit, gallæ omnino ſimilem, paruum tamen, & colore ſubalbidum: de qua Galenus breuiſsime dixit libro vj. de Facultatibus ſimplicium medicamentorum. Eleliſphacos, id eſt ſaluia, euidenter excalfacit, ac leuiter ſubaſtringit. *Saluia.*

DE MENTA.

Græcè, ἡδύοσμος ἥμερος: *Latinè*, *Mentha*: *Hiſpanicè*, *hierua buena*, *ortelana*: *Italicè*, *menta*: *Gallicè*, *mente*: *Arabicè*, *nahanaha*: *Germanicè*, Müntz.

Enarratio XXXIX.

VBique menta nota eſt, quæ quia in hortis ſemper reperitur, Hortulana ab Hiſpanis nonnullis appellatur. *Menta vn de dicta.*

Menta ſatiua.

Menta ſatiua altera.

Dicitur porro menta, quòd odore ſuo mẽtem & venerem excitet, vt ex Galeno & Dioſcoride facile percipi poteſt, quanquam Plinius lib. xx. cap. xiiij. oppoſitum dicat, non ſine tamen errore, vt ex Galeni ſequentibus iis verbis, facile percipitur, quæ ita habent: Tam menta quàm calamintha, guſtu acris, & facultate calida eſt, ex tertio calfacientium ordine: infirmior tamen eſt menta, & minus excalfacit: cæterum mediocriter ad venerem excitat, id quod omnibus accidit, quæ humiditatem ſemicoctam & flatuoſam continent, At calamintha, quum valentius calfaciat & exiccet, habet etiam quiddam amarum in ſe, ac acerbum: quare illo quidem lumbricos perimit, acerbitate verò, ſi cum oxycrato bibatur, recentes ſanguinis reiectiones reprimit: Subſtantia eſt, vt ſi qua alia herba, tenuium partium. Cæterum Galenus hic mea ſententia per calamintham, mentẽ ſylueſtrem, dictam mentaſtrum intelligit, de qua ſermo ſubſequitur.

Menta ſylueſtris mentaſtrũ eſt.

Conſtan

CONSTANTINVS.

ERrorem suum congeminat Amatus Lusitanus Plinium culpans, & absurdo consectario, ex detortis Dioscoridis & Galeni verbis concludens Menthæ falsam etymologiam. Nam quæ potest esse absurdior consequentia quàm hæc Amati? Dioscoride ac Galeno authoribus, mentha ad venerem stimulat: ergo mentem emouet. falsa enim hæc est antecedens enunciatio: Omnia quæ ad venerem incitant conturbant mentem, siue vt ipse loquitur excitant. Sed demus hoc pronunciatum verũ esse ac necessarium. An continuo sequitur? Igitur in menthæ etymo lapsus est Plin. At sanè Amate noster, vt verè potius & libere dicam, quàm accusatoriè aut assentatoriè, hæc est linguæ Græcæ, sinon vtriusq́;, pudenda ignoratio, ac in euoluendis bonis authoribus imitandi magis, quam criminandi causa, supina negligentia. Menthæ enim nomen Græco fonte defluxit, quod à vocabulo quo Græcis mens significatur, tam lõge abest, quàm quod maxime. quod ne gratis dixisse videamur, age laudentur authores. Cratinus apud Pollucem lib. vj. Onomastici, τυρῷ καὶ μίνθῃ παραλεξάμενος καὶ ἐλαίῳ. Mentha siquidem eodem Polluce teste, non solum dicta est ἡδύοσμον, sed etiam μίνθη καὶ μίνθα, tametsi apud eundem corruptè legatur μίθα, à Minthe Plutonis scorto (alijsq; Cocyti filia) in hanc plantam, vt fabulantur poetæ, conuerso: quod cum Polluce testatur Ouidius Metamorph. lib. x. An tibi, inquit, quondam Fœmineos artus in olentes vertere menthas Persephone licuit? Et Galenus lib. vj. simpl. ἡδύοσμον, inquit, quam nonnulli μίνθην vocant. scitè igitur dixit literatissimus Plinius: Menthæ nomen suauitas odoris apud Græcos mutauit, cum alioqui mintha vocaretur, vnde veteres nostri nomen declinauerunt. Quæ Plinij verba leguntur lib. xix. cap. 8. non, vt falsò citat Amatus, libro xx. cap. 14. Illic enim non de menthæ nomine agit, sed de Menthastro quod syluestris mẽtha est, differens specie foliorum, quasi figura ocimi, pulegij colore, propter quod quidam Syluestre pulegium vocant. Sed tamẽ indidem suam calumniam in Plinium, Amatus adornauit. Ibidem enim hæc sunt verba Plinij: menthæ ipsius odor animum excitat, & sapor auiditatem in cibis: ideo embammatum mixturæ familiaris. vides vnde compositæ insidiæ, & consuti doli? Ac vt, quod Plin. ipse animum excitare, Pliniomastix mentem excitare dixerit, in hac significatione (si dijs placet) Latinius. Nimirum literatè tu quidem Amate scilicet, tuq; illiteratè naturalis historiæ parens atque restitutor. Certe quidẽ o noster Lusitane, (vt hoc semel aduersus omnes Plinij

obtrectatores dicatur, qui vt viatores cum sudum apparuit, plata ni ramos defringunt, sub quo tempore pluuio latuerant: aut vt orobanche, vitis, vel cucurbita, plantas arboresq; per quas creuere suffocant: sic Plinium isti suffocanei palmites supplantare nituntur & concerpere, à quo & eius ordinis scriptoribus, latrocinantur omnia) istud est cum laruis luctari: & Cyri pædiam cõuellere. Sed hoc satis, superque sit. Mentha autem à Græcorum explanatoribus grammaticis, etiã κακὴ βοτάνη, dicta est, id est, herba noxia: non aliam ob causam, quã quòd ἀσυλλιψίαν ἐργάζεται. id est, conceptus impedit, vt mihi testis est Dioscorides, & Plinius qui eam generationi tradit resistere lib. vicesimo, capite decimoquarto.

DE MENTASTRO.

Græcè, ἄγριον ἡδύοσμον: Latinè, mentastrum, menta syluestris: Hispanicè, Italicè, mentastro: Gallicè, mentastre: Germanicè, Ross müntz.

Enarratio XL.

MEntastrum syluestris menta est, quæ potissimum in aquosis crescit, folio hirsuto, lanugine canescente, odore grauiori, quàm primi sisymbrij, ex qua lauacra quotidie parantur, & de illius natura, ac viribus, Galenus capite de menta, sub calaminthæ nomine verba fecit:

DE NEPETA, SIVE CALAMINTHA.

Græcè, καλαμίνθη: Latinè, calamintha, nepita, Arabicè, calamentum: Gallicè, calament: Hispanicè, laneuada: Italicè, nipotella: Ger. Rorn müntz.

Enarratio XLI.

TRes calaminthæ species à Dioscoride in præsenti describuntur, quarum secunda, nepeta siue nepita est, non vbiq; nascens, sed magis in regionibus calidis, vnde in Germania rarissime videtur. Est enim herba hęc parua, gracilis, folio pulegij, flore vero purpureo, albicante, paruo, odorẽ ex se gratissimum expirante. Altera vero species, herba cataria appellatur, eo quòd ea cati maxime oblectantur, quam Ferrarienses quoq; suã voce neueda appellant, quum tamen vox hæc neueda, non huic

catariæ,

Calamintha.

catariæ, sed à nobis dictæ cõueniat: melius igitur eam vniuersæ Italiæ residuum, herbam catariam appellat, quàm Ferrarienses, & Longobardi nepetam, quum vt diximus, nepeta siue nepita, prima à nobis descripta est, à Dioscoride verò secunda. Tertia quoq; species reperitur, quam proprie calamẽtum pharmacopolæ vocant, herbam lõge à duabus diuersam, nec multum à sisymbrio differentẽ. Omnes tamen istæ herbæ easdem ferè vires obtinent, de quibus Galenus cap. 1. lib. vij. de Facult. simplic. medic. ita tradit: Calamintha, id est nepita, essentia quidẽ est tenui, temperie autem calida & sicca quodãmodo in tertio ordine. Est enim acris gustu, paulumq; amaritudinis obtinet, extrinsecus admota, primum quidem valde excalfacit & mordicat, cutemq; exugit, postremo etiam vlcus efficit, in corpus autem intro assumpta, tũ ipse per sese sicca, tum etiam cum melicrato, perspicuo calfacit, atq; sudoresciet, omneq; corpus tum digerit, tũ exsiccat. Iccirco ea contra rigores repetentes per circuitũ nonnulli vtuntur, sicuti & contra ischiadicos morbos, trahit enim quæ in profundo hærent ad superficiem, totumq; adeo articulum excalfacit, & cutem non obscure adurit, mensesq; tum epota, tum apposita admodum efficaciter prouocat, ac denique elephanticis etiam probe auxiliatur: præterea, cicatricibus atris candorem restituit, & sigillata digerit. Præstat autem in huiusmodi, vbi in vino decoxerimus, ipsam emplastri ritu apponere, & viridem magis quàm siccam: at sicca ad venenatarum bestiarum morsus assumitur, veluti etiam cauteria, & quæcunque medicamẽta calida sunt & acria.

Succus eius aut infusus, aut epotus, ascaridas, lumbricos, & aurium vermes enecat, sic & conceptũ interimit, eiicitque: igitur incidendi quidem ei vis adest, ob calorem, tenuitatem, amaritudinem: abstergendi verò propter solam amaritudinem: quare asthmaticis atque ictericis conuenit, ad omnia tamen dicta, montana efficatior existit.

DE THYMO.

Græcè, Θύμος: *Hispanicè*, *tomilho*: *Italicè*, *thymo*: *Gallicè*, *Thyn*: *Arabicè*, *hasce*: *German.* Thyn.

Enarratio XLII.

Epithymus.

Thymum.

THymus vulgaris & nota herbula est, aliquando flores purpureos, nonnunquàm verò albos producens, quibus apes multũ oblectantur, nel inde facientes. Nam thymus purpureos flores habens, melior est, ac securior, quanquam qui albos emittit validior ac potentior censetur. A nigro porro thymo abstinendum est, vt suadent nõnulli, quia venenosum omnino fit medicamen. Nascitur autẽ super thymo, capillus quidam implicitus, epithymus hodie appellatus, cuius copiam Salmanticẽses maximam habent, ad ripas fluuij Tormidis, nõ longe à fano diuæ Mariæ: De quo libro iiij. suus habetur sermo. Nunc verò thymi vires, ac temperamentum audiamus è Galeno, libro vj. de Facultat. simplic. medicamen. qui ita ait: Thymus incidit, & calfacit vehementer, ob idque vrinam & menses prouocat, fœtum euellit, potus viscera expurgat, educendis ex thorace & pulmone confert, ac denique excalfacit exiccatque in tertio ordine.

DE

DE THYMBRA.

Græcè, Θύμβρα: Latinè, thymbra, ſatureia, cunila: Hiſpanicè, ſegurelha: Italicè, coniella, ſauoregia: Gallicè, ſarriette: Arabicè, ſahater: Germanicè, Saturey, Zuuibelyſop.

Enarratio XLIII.

Satureya.

THymbræ, ſeu cunilæ, duæ ſunt ſpecies, vna hortenſis ſeu ſatiua, culinæ deſeruiens: altera verò agreſtis, ſiue ruſtica cunila quæ proprie thymbra dicitur, & maiori acrimonia quam prima ornatur: de qua Galenus nullã facit mentioné: At Paulus lib. vij. ſuæ medicinæ, ita de cunila refert: Cunila vtraq; ſiccat & calfacit in tertio ordine: hinc etiã oleum in quo decoquitur, rigores febrium circuitu remeantes diſcutit, flores idem præſtant, quorũ decoctum menſes citat, & fœtus extrahit, quæ verò in humidis regionibus naſcitur, odore grauior & inefficacior eſt.

DE SERPILLO.

Græcè, ἕρπυλλος: Latinè, ſerpillum: Hiſpanicè, ſerpolho, ſerpam: Italicè, ſerpillo: Gall. ſerpolet: Arabicè, Nemen: Germanice, Quendel.

Enarratio XLIIII.

SYlueſtre & hortenſe reperitur ſerpillum, varietamen, quia nonnunquam hortenſe humoris copia curuum, humi ſerpit, vnde nomen à ſerpendo ſibi vendicauit. Aliquando

Serpyllum.

quandò verò in altũ surgit, & in rectum attollitur, quę quoque sylueſtri euenire percipimus, quo factum eſt, vt Dioſcor. in præſenti cũ Plin. lib. xx. cap. 22. concors & vnanimis ſit, nec in aliquo inter ſe differant: Nam Dioſcorides quia Serpillum hortenſe per terram reptare: ſylueſtre verò in altũ erigi vidit, ita chartis mandauit: Plin. verò, quia in ſuo ſolo, contrario euenire vidit, memoriæ comendauit ſerpillum ſylueſtre ſerpere, hortenſe verò in altum creſcere: vtcunq; tamen de eo Gale. lib. vj. de Facult. ſimpl. medic. ita breuiſsime dixit: vſq; adeo calfacit, vt vrinas & menſes moueat: eſtq; & guſtu admodum acre.

DE SAMPSVCHO.

Græcè, σάμψυχον: Latinè, ſampſuchus, amaracus: Hiſp. maiorana: Ital. Perſa, maiorana: Gal. mariolaine: Arabicè, merzenius: Germ. Maioran.

Enarratio XLV.

ESt proculdubio, ſampſuchus, amaracus odorifera, maiorana hodie dicta herba, nam altera amaracus fœtida, reperitur, quam Dioſcorides parthenium & vulgares cotulam fœtidam appellant. De præſenti verò, agit Galenus breuiſsime lib. viij. de Facultat. ſimplic. medic. quum inquit: Sampſychon tenuium partium, & digerẽtis eſt facultatis, deſiccat enim & excalfacit, ordine tertio.

CONSTANTINVS.

Ἀμάρακον περὶ ἀμαράκου Theophraſto lib. j. de cauſis plantarum, Σάμψυκον Dioſcoridi, καὶ σάμψυχον Polluci lib. vj. *Eſt amaracus Virgilio lib. j. Aeneid. Nam vt author Plinius lib.*

xxj.

xxj. cap. 11. Amaracum Diocles medicus & Siculagens appellauere, quod Aegyptus et Syria sampsuchum: ex quo fit vnguentum sampsuchinum, id est amaracinum, vt ipsemet exponit libro xxj. cap. 22. Tamen de amaracino oleo & sampsuchino, distinctis tractat capitibus Dioscorides: ac de sampsucho atque amaraco tamquam differentibus plantis, diuersis locis scripserunt Galenus & Paulus Aegineta, sed eorum amaracus, ab alijs creditur Marum esse Dioscoridis, quod nostra lingua mastic dicimus, ab alijs verò parthenium: quorum opinioni magis assentior. Galenus enim tametsi (vt nec etiam Paulus) parthenij, aut mari inter simplicia non meminerit, Marum ab Amaraco apertè discernit libro primo, de Antidotis in compositione hedychroi.

DE MELILOTO.

Græcè, μελιλωτος: Latinè, melilotus, sertula campana: Hispanicè, corona de rei, Italicè, Gallicè, melilot: Arabicè, Alchilelmelich: Germanicè, Edler stein klee.

Melilotus.

Melilotus Italica.

Enarratio XLVI.

NVsquam quod equidem obseruauerim, melilotum verum quàm in Hispania vidi, flore luteo, vel potius melleo, vnde forsan nomen traxit, & illo quidem in orbem coronæ modo consito, vnde Corona regia, dicta est herba, non nisi optimum, ac iucundum ex se spirans odorem: Nam herba ista, quæ passim pro meliloto à pharmacopolis vsurpatur, tantum à vero abest meliloto, quantum cancer ab anguilla. Porro in Calabria, & Neapolitano regno, verum quoq; nasci certum est, quod Dioscorides vt diligentissimus inuestigator, non siluit: de eo tamen Gal. lib. vij. de Facul. simpl. medi. ita tradit: Melilotum quiddã habet astringens, digerit tamẽ, concoquitq;: copiosior enim in eo est substantia calida quàm frigida.

DE MARO.

Græcè, μάρον: Latinè, Maron, Gallicè, l'herbe du mastic.

Enarratio XLVII.

Acimos.

CONspicitur marõ herba, apprime descriptioni Dioscorid. respõdens & quã Colimbrienses, bonarũ literarũ studiosi habẽt amaraco simile folio origani, admodum odoriferã, & amarã. De qua Gale. lib. de Antidotis mentionẽ tantum facit quum dicit in Italia sicuti alias quasdã herbas crescere vidi, ita & amaracum, porro hæc planta à maro per multũ odore vincitur, &c.

DE ACINO.

Græcè, ἄκινος: Latinè, Acinus.

Enat

Enarratio XLVIII.

ACinos vt Ruellius credit, vulgare basilicũ est, quod in Aegypto vt ex Plinio percipitur lib. xxj. cap. 15. & 27. flores non emittit.

CONSTANTINVS.

Ακινος, sive ἄκενος Dioscoridi, Plinio est acinos, quam & epipetron tradit vocari his verbis lib. xxj. cap. 15. Et Aequinoctio nascens aphace, acinos quam epipetron vocant, quæ nunquam floret. quæ lectio verior mihi videtur quã hæc apud Theophrastum de historia plantar. libro viij. cap. 8. ἔνια ἢ πρὸ ἔλυς ἀνθεῖ, καθάπερ πρὸ τὸ ἐπίμηκον. id est, quædam enim prorsus non florent, vt & epimetron. De acino etiã hoc modo Plinius lib. xxj. cap. 27. Acinum & coronarum causa & ciborũ Aegyptij serunt: Eademq; erat quæ ocimum, nisi hirsutior ramis ac foliis esset, & admodum odorata. Ciet menses & vrinas. Quibus locis apertè ostenditur Basilicum nostrum acinum non esse, quia illud floret flore albo, nec foliis aut ramis est hirsutum, sed ipsum Ocimastrum potius est, de genere Ocimi: & multo sanior est opinio doctissimi Mathioli Senensis, cui subscribimus.

DE BACCHARI.

Græcè, Βάκχαρις: Latinè, Baccharis.

Enarratio XLIX.

Bacchari.

NOrunt iam hodie officinarum mangones, asarum à bacchari multum differre, quum tamen, antea eas herbas confunderent. Quid vero sit baccharis, non satis constat: nam Leonicenus scarleam herbam, quam galli cristam Hispani, & multi alij appeliant, esse dixit, cui tamen non accedimus, quum & si inter se similitudinem quandam foliis habeant, radicibus tamen omnino differunt. Quia scarlea, nec elleboro nigro radices similes habet, nec cinnamomo odore referentes, imò eas albicantes, subtiles, & inodoras conspicimus: faciunt etiam ad hæc, quòd scarlea, quæ domestica & syluestris comperitur, ad orminium Græcorum magis accedit, vt proprio dicemus capite. Non præteribo tamen vnum in præsenti, quòd mulieres Hispanicæ, contra puerorum fascinationes semine scarleæ continuo vtuntur, & vt ipsæ aiunt, non sine quidem optimo successu & maximo iuuamento, quæ vires olim bacchari tribuebantur, vt canit Virgilius.

bacchare

bacchare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Ruellius porro, baccharim in Gallia reperiri, eamq; à rusticis, mariæ chirothecas appellari, contendit, quam nos, quum diligenter in Gallia quæsiuissemus, à scarlea minime abesse nouimus. Cæterum de bacchari, Galenus, quod equidem teneam, in libris Simpliciũ nullam facit mentionem. Paulus tamen ita de ea loquitur libr. vij. suæ medicinæ: Baccharis odorata est herba similis cinnamomo, coronaria & aeris, huius radicis decoctum meatus obstructos aperit, vrinam & menses citat, folia ipsius quum sint astringentia fluxionibus opitulantur.

DE RVTA.

Græcè, ῥὑτη: *Latinè*, *ruta*: *Hispanicè*, *arruda*: *Italicè*, *rutta*: *Gallicè*, *rue*: *Arabicè*, *sadeb*: *Germanicè*, Rauten.

Enarratio I.

Ruta.

Ruta.

TAm nota & vulgaris ruta est, vt ex ea, quum rem obuiam, & omnibus manifestam indicare volumus, prouerbium vsurpetur, dicendo: ruta notior est, quæ domestica, siue satiua, & syluestris reperitur: Satiua non adeo ingrata gustui est, imò eã vniuersa Italia, inter herbas acetarium componentes, miscet. Syluestris verò sua sponte nascitur, similis omnino domesticæ: sed sapore & odore grauior, & consequenter viribus potentior. Sed animaduerte, quòd syluestris hæc ruta longe

longe alia est, ab hac subsequenti sylvestri ruta, quam harmel, siue armala Græci vocant, vt inferius sequenti capite dicemus, potens enim ruta est contra venena, vt ex Plinio elicitur lib. viij. suæ naturalis historiæ, cap. 19. & valida contra fascinationes, vt ab Aristot. libro Problematum desumitur, cuius temperamentum, Galen. lib. viij. de Facultat. simpl. medic. ita prosequitur: Peganon, id est ruta, aggrestis quidem, in quarto ordine excalfacit: domestica verò in tertio. Est autem non solum gustu acri, sed amaro: ex quo sane, digerere, incidereq; crassos & lentos humores potest, atq; mouere vrinas, quin & renuiū est partium, flatusque extinguit, quare ad inflationes competit, ac Veneris appetentiam inhibet, digeritq; atq; exiccat strenuè.

DE SYLVESTRI RVTA.

Græcè, πήγανον ἄγριον: Latinè, ruta sylvestris, Arabicè, Harmel, armel: Germanicè, Vvildraut.

Enarratio LI.

COnsulto prætermisimus, huius capitis magnam partem, quum illa suppositicia huic capiti sit, & ex duobus aliis capitibus decerpta, videlicet, ex capite de hyperico, & ascyro, vt cuiq; conferenti manifestum erit, imò nonnulli extant codices, tam Græci quàm Latini, in quibus caput ita incipit: Vocant & aliqui agrestem rutam, &c. vt merito & nos ex iisdem quoq; verbis, capitis initium fecerimus. Hæc enim ruta sylvestris, longe alia est ab ea sylvestri ruta, quam capite superiori descripsimus, quum sylvestris ruta superioris capitis, vt diximus vulgatissima sit: hæc verò Capadociæ, & Asiæ, particularis, quam harmel, siue armel aut armala Græci vocant: vnde fœdissimè, Mathæus vere Syluaticus, & alij Luminarij dicti, errant, credentes, quòd Harmel, cum litera H, scripta, significat semen cicutæ, cum A vero rutam, res proculdubio absurda, & à veritate multum aliena, quum siue cum H, siue cum A, scribatur litera, semper Harmel vel armel, rutam istam sylvestrem significat, vt ex Auicenna, & Serapione deprehendi quoq; potest. Animaduertant igitur deinceps pharmacopolæ, quum pillulas fœtidas, & aggregatiuas componunt, ne illis pro harmel, semen cicutæ adiiciant, quum venenosum & mortiferum sit,

sit, sed potius immiscеant semen rutæ sylvestris. Sed vnde error iste ortus fuerit, vt pro semine rutę sylvestris, semen cicutæ acceperint, nunc dicam. Nam Auerrois lib. v. sui Collectorij ita inquit: Armel vel alharmel, id est cicuta, calida est, & sicca in tertio ordine, crassos & viscidos, ac lentos incidit humores, & ob eam vim vrinas mouet, & menses subducit, ex quibus verbis, satis clarum est quod halmel cicuta sit, quibus nos facillime respõdemus, quod textus ille Auerrois corruptus est, quum loco rutæ cicutæ scriptum sit, & quod verum sit patet, quia cicuta frigida est, & somnifera, & textus inquit, pro vt Galenus lib. vij. de Facultatibus simplic. medica. capite moly. Harmel tenuium est partium, & calida tertio ordine, vnde crassos humores & lentos dissecat, ac digerit, & vrinam mouet. Ex quibus verbis satis constat, quòd Harmel Auerrois sit ruta sylvestris, siue moly Galeni, quam quoq; harmolan Galenus & Græci appellant, vnde satis claret, quòd typographi, vel correctoris incuria factum sit, vt pro ruta, cicuta scriptum sit, quia verba subsequentia, temperaturam attestantia, rutæ respondent, & non cicutæ: quia vt diximus, cicuta mortifera est, & quarto ordine frigida: nõ vero calida, vt harmola est, quemadmodum ex lib. vij. de Facul. simpl. medic. comprehenditur, vbi Galenus, vltimo capite prædicti libri, ita inquit. Moly hoc quidam vocant, peganon agrion, hoc est rutam sylvestrem, nonnulli harmolan, Syri besasan, sicut Cappadoces Moly: quia radicem habeat nigram, & florem lacteum, vis eius tenuium partium est, & calida tertio ordine, vnde & crassos humores ac lentos dissecat, & digerit, ac vrinam mouet. Cæterum quæ herba hæc sit, pauci norunt, nos tamen post longam inuestigationem, eam inuenisse credimus, quæ proculdubio, non alia est: quàm herba quędam, hodie in Italiam & Galliam, ex alieno orbe aduecta, flores similes caryophyllis producẽs, quandoq; mellei coloris, nonnunquam vero, lutei, aut crocei, lacteiue, quos vniuersa Italia vltramarinos caryophyllos appellat, nam ab vna radice plures virgas & longas herba ista emittit, in quarum summitatibus, capitula siue flores dicti caryophyllis perquam similes nascuntur.

Auerrois locus castigatus.

DE

DE MOLY.

Græcè, μῶλυ: Latinè, Moly.

Enarratio LII.

MOly vt fertur, à Mercurio deo inuenta herba est, incantationibus & veneficiis accommodata, vt ex Homero, decima Odysseæ rapsodia, & Ouidio in Transformationibus colligitur, non minusq; à Plinio capite vigesimoquinto libri quarti, quæ bulbosa & nigra radice ornatur, vt Ouidius loco citato dixit, ad istum modum: Moly vocant superi, nigra radice retentum. flore vero quandoq; vero rubro ornari, ex Homero, tum etiam Græcis medicis, colligitur. Nam Homerus flore albo moly depinxit, & Ouidius illi subscribens dixit, Pacifer huic florem dederat Cyllenius album. Hæc vero hodie, non habetur, nec quæ sit dignoscitur: non desunt tamen aliqui herbarum inuestigatores, qui eam in agro Neapolitano nasci contendant. *Moly.*

DE PANACE.

Græcè, πάναξ ἡράκλειον: Latinè, panax heraclius: Arabicè, steusir.

Enarratio LIII.

PAnax heracleon, siue panaces Herculeon, ab Hercule illius inuentore, sic dicta herba, in monte Gargano, sancti Angeli dicto, apud Apuliam nascitur, quæ in multis Italiæ hortis quoq; conspicitur, folio ficulneo, siue platani, ex qua liquor, opoponax dictus extrahitur. Cuius vires Mesue exacte prosecutus fuit, quanquam, nõ recte ibidem dicat, panacem istum folio ferulæ insigniri. *Opoponax liquor.*

DE PANACE ASCLEPIADE.

Græcè, πάναξ ἀσκληπιάς: Latinè, panax Asclepias, Arabicè, panax Aschilibet.

Enarratio LIIII.

PAnaces asclepion, hodie non videtur, illius tamen inuentorem Aesculapium fuisse audio.

DE

DE PANACE CHIRONIO.

Græcè, πάναξ χειρώνιον: Latinè, panaces Chironion, Arabicè, fanax caromon.

Enarratio LV.

HAec verò à Chirone repertore dicta est, quæ quoq; hodie difficulter videtur.

DE LIGVSTICO.

Græcè, λιγυστικὸν: Latinè, ligusticum.

Enarratio LVI.

Ligusticum.

LIgusticum, appellat Galenus libisticum. Nam alpibus Liguriæ herba familiaris est, vnde nomen traxit quæ quoq; hodie in Italiæ hortis passim videtur, imò eius semen, officinis totius Italiæ vulgatissimũ iam est, sed aduertendum est, quòd ligusticum hoc de quo agimus, non est libisticum vulgare, herba scilicet apij figuram referens, quum hoc de quo agit Dioscorid. sertulæ campanæ folia habeat, minime verò apij. De quo Galen. libro septimo, de Facultatibus simplic. medicament. ita inquit: libistici radix & semen ex genere excalfacientium sunt, adeò vt & menses cieant, & vrinas prouocent, flatusque extinguant.

DE PASTINACA ERRATICA.

Græcè, σταφυλῖνος ἄγριος: Latinè, pastinaca erratica, Arabicè, gezar: Hispanicè, canaorias blanquas: Italicè

Italicè, paſtinaqua: Gallicè, paſtenades: Germanicè, Vuild paſtiney, vogel neſt.

Enarratio LVII.

Paſtinaca.

PAſtinacam præcipuè ſylueſtrem Dioſcorides deſcribit, quia natura potẽtior, & viribus validior quàm ſatiua eſt, cuius radix alba eſt, & in campis paſsim creſcit: ſatiuam tamen culinæ deſeruientem omnes habent: iis proxima tum figura ſapore ac viribus radix altera eſt, quę quãdoq; ſanguinei coloris, quandoq; lutei, nonnunquam verò nigri conſpicitur, quã Hiſpani propriè canaoriam, Itali verò, carotam, appellant. Verum multi hodie falluntur, credentes paſtinacam erraticam, daucum eſſe: Nam etſi viribus, & temperatura, herbæ fere æquales ſint, vt recte vna alterius vice poni poſsit, herbæ tamẽ differentes ſunt, ſed cum hoc quoq; non ab re eſſet fateri, quòd daucus verus, paſtinacæ ſylueſtris quoddam ſit genus: de quibus ſuo loco, ſermo habendus eſt. Cæterum, Galen. lib. viij. de Facultat. ſimplic. medica. de ſtaphilino, id eſt paſtinaca ita tradit: Satiua imbecillior, agreſtis ad omnia potentior eſt. Vrinas menſeſq; prouocat, abſtergitque nonnihil, quum herba quidem tota, tum vel maxime ſemen & radix.

DE SESELI MASSILIENSI.

Græcè, σέσελι μασσαλιωτικὸν: Latinè, ſeſeli Maſſilienſe: Officinis, ſiler montanum: Vulgo, ſiler montano: Arab. ſiſalios: Ger. Vvelſcher ſteinbrech.

Massilienſe ſeſeli.

Creticum ſeſeli.

Enarratio LVIII.

Siler montanum.

QVod officinæ hodiernæ ſiler montanum appellant, vt mea fert opinio, ſeſeli Maſsilienſe eſt, quia omni ex parte, inter ſe maxime reſpondeant. Naſcitur enim, in hoc Anconitano monte, fœniculi ſimilitudine.

DE SESELI AETHIOPICO. DE SESELI PELOPONNESIACO. DE TORDYLIO, ID EST CRETICO SESELI.

Enarratio LIX. LX. LXI.

Seſelis tres ſpecies.

RAro tres iſtæ ſeſelios ſpecies, in officinis videntur, quia ad nos non portãtur, de quibus omnibus ſimul ita tradit Galen. lib. viij. de Faculta. ſimplic. medic. dicens: Adeo excalfacit tum radix, tum fructus, vt moueat vrinas: eſt etiam tenuium partiũ, vt comitialibus morbis, & orthopnœis competat: Cæterũ ſeſelim herbam à ceruis inuentam eſſe, tradit Ariſtoteles lib. ix. de Natura animaliũ, cap. 5.

cap.5. dicens: Ferarum quadrupedum, cerua maxime prudentia præstare videtur, tum quia circa semitas pariat, quo scilicet beluæ propter homines minus accedunt, tũ etiam quia cùm peperit, in volucrum primum exedit, mox seselim herbam petit, quam cum ederit, redit ad prolem.

DE SISONE SIVE SINNO HERBA.

Græcè, σίσων: Latinè, sison.

Enarratio LXII.

SIson, in Syria exiguum nascens semen est, quod nec in Hispania nec Italia quòd sciam crescit.

Anisum.

DE ANISO.

Græcè, ἄνισον: Latinè, anisum: Hispanicè, matahalua, Arabicè, anexisum: Italicè, aniso: Gallicè, anis: Germa. Anis.

Enarratio LXIII.

ANisum, tam herba quàm semen, satis cognoscitur. De quo Galenus lib. vj. de Facultatibus simplicium medicamentorum ita inquit: Anisi semen calfacit, & siccat in tertio ordine, proinde vrinam mouet ac digerit, flatusque ventris reprimit.

DE CARO.

Græcè, κάρος: Latinè, carum. Officin. careum, carui: Hispanicè, alcaraues, alcorouia: Italicè, carui: Germanicè, Vviſsen kümel.

Enarratio LXIIII.

KArum siue kareum, vocant pharmacopolæ carui, semen satis notum, ventositates dissoluens, quod bubulis carnibus iurulentis, præsertim cum brassica conditis dicatur, & illius vires Galenus lib. vij. de Facultatib. simplicium medicamentorum ita scribit: Cari semen calfacit, & exiccat, tertio quodammodo ordine, moderate acrem possidens qualitatem, itaque & flatus extinguit, & vrinas ciet, tum semen tum planta.

CONSTANTINVS.

REcentiores Græci, vt Simeon sethi, Carum vocant καρυβάδιον, quod tamen Nicolaus Myrepsus interpretatur per cuminum æthiopicum.

DE ANETHO.

Græcè, , ἄνηθον: *Latinè*, *anethum*: *Hispanicè*, *eneldo*, *endros*: *Italicè*, *anetho*: *Gallicè*, *anet*: *Arabicè*, *Sebet*: *Germanicè*, Dyllen.

Enarratio LXV.

Anethum.

Anethum.

ANethum, satis nota est herba, quæ hortos suo odore magnifice exornat, & eius semen in continuo est vsu. De qua Galenus libr. vj. de Facult. simplic. medica. ita tradit: Adeo excalfacit anethum, vt habendum sit aut secundi ordinis intensi, aut tertij remissi, exiccantis vero ordinis est secundi incipientis, aut primi finientis: itaq; merito in oleo decoctum digerit, dolorem sedat, somnum conciliat, crudos humores concoquit, vstum autem tertij ordinis, tum calfacientium

facientium, tum exiccantium fit: proinde vlceribus nimis humidis prodest, potissimum iis quæ in pudendis consistunt: At quæ in præputio sunt inueterata, ea probe cicatrice inducit. Cæterum, viride humidius & minus calidum est, itaq; magis concoquit, & somnum conciliat: sed minus discutit.

DE CYMINO.

Græcè, κύμινον ἥμερον: *Latinè*, *cuminum*: *Hispanicè*, *cominhos*: *Italicè*, *cimino*: *Gallicè*, *cumin*: *Arabicè*, *Camum*: *Germanicè*, Roemisch kümich.

Enarratio LXVI.

CYminum, semen vulgatissimum est, quod Hispanum Galenus sæpe desiderat, & ex ordine tertio calfacientium facit.

DE CYMINO RVSTICO.

Græcè, κύμινον ἄγριον: *Latinè*, *cuminum sylvestre*: *Gallicè*, *cornuette*, *officinarum consolida regalis*: *Germanicè*, Vvilder kümich.

Enarratio LXVII.

CYminum sylvestre, hodie in officinis, rusticum cuminum appellatur, de quo in generali, libro septimo, de Facultat. simplic. medicament. ita breuiter dixit: Cymini semen calfacit in tertio ordine, vrinam mouet, extinguitque flatus.

DE SEMINE AMMI DICTO.

Græcè, ἄμμι: *Latinè*, *ammi*, *cyminum æthiopicum*: *Vulgò*, *ameos*: *Arabicè*, *nanochach*.

Enarratio LXVIII.

Ammi.

AMmi cuius gignendi casus, ammeos est, semen album, & exiguum est, quod origani saporem & odorem habet, & nũc ex Alexãdria affertur quod amomum appellant, falso tamen & corruptè, quum pro ammi, amomum pronunciant, nam amomum vt dixi, botruosum tanquam vua minuta est. Est enim semen ammeos simile semini anisi, quod vt dixi nunc ex Alexandria afferri incipit, sub nomine amomi, & illud Ferrarienses, apud officinam Nicolai Nicolutij à pinea, videre possunt, nam Venetiis, in omnibus fere officinis, iam hodie prostat. De quo Galenus libro sexto, de Facultatibus simplicium medicamentorum ita tradit. Eius semen est admodum vtile, quum enim sit subamarum & acre, constat ipsum & digerere, & prouocare vrinas: calfacit autem, resiccatq; in tertio ordine intenso.

DE CORIANDRO.

Græcè, κόριον, κορίανον: Latinè, Coriandrum: Hispanicè, culantro, cœntro: Italicè, Coriandro: Gallicè, Coriandre: Arabicè, Rasbera: Germanicè, Coriander.

Enarratio LXIX.

COriandrum, herba est communis & Hispaniæ hortis familiarissima, quia ea illic omnes, tanquam

stoma

Coriandrum.

ſtomacho, & capiti conueniente, ac aromatica, viridi vtuntur, vnde mirari ipſe ſatis nō poſſum, quòd præter Hiſpanos, cæteræ quidem nationes tanquam fœtidam ac peſſimi ſaporis, ab ea abhorreant, reiiciantue illam, eius tātum ſicco ſemine contentæ, ſed quum in hac re contemplor in mentem venit, quòd priſci Coriandri eſum maxime vituperant, imo illum inter venena reponunt, vt ex Dioſcoride, libro ſexto, capite nono percipitur, & multo magis ex Nicandro, in ſuis Alexipharmacis, vbi de Coriandro ita canit.

Quod ſi noxia quis biberit Coriandra repente
Ablato exagitur ſenſu ſtridenteq; voce
Edit acuta velut furioſa iubila bacchæ,
Seu Stygiæ iniecto quaſi percitus angue Megæræ,
Contra hæc ex dulci de pramnia vina racemo,
Vt madido ſpumans ſudit vindemia prælo,
Diluat infuſo tamen hæc maris vnda catino,
Quin & inanitis Gallinæ partulus ouis.
Confractis ſalſam teſtis ſuperinjice ſpumam,
Qua veſcens cepheus ſe ſeruat & interit eſca,
Piſcantes pueri ſtructis vbi fraudibus illis
Inſidiantur aui, ſic vt capiatur ab his, dum
Albentem ſequitur, non prouida in æquora ſpumam.

In iis enim carminibus Nicander Coriandri venenum, atq; illius antidotum deſcribit, vnde credendum eſt, emanaſſe, vt populus hanc herbam pro venenoſa habeat, repudiatue, illius tamen ſemine contentus. Sed revera contrarium euenit, quia coriādrum, herba optimi eſt odoris,

& saporis, grata stomacho, & capiti, ita vt inter medicamenta cordialia, digna sit adnumerari, & non abre, vniuersa Hispania, ea tam sæpe in iusculis, & conditis vtitur, ex cuius esu, nullus vnquam, noxam aliquam percepit. Proinde crederem ipse, quum antiqui coriandrum venenosum dicant, non hoc domesticum intelligant coriandrum, sed magis herbulam quandam, cicutariam dictam, folio similem coriandro, quæ in vniuersum frigida est, vt sua frigiditate interimat: vel aliter respondemus, quod prisci illi, de sylvestri intelligunt coriandro, non vero de domestico. Nec obstat quòd Plin. lib. xx. cap. quoque 20. dicat, coriandrum sylvestre non reperiri, quia falsum hoc esse, nunc in Italia deprehēdimus, quum coriandrū sylvestre cōperiatur, quod sua spōte, nullo interueniēte satore, in aruis & campis nascitur, & crescit, vt hic Anconę, non procul ab vrbe conspicimus, vnde quotannis mulierculæ colligentes: ad pharmacopolas, vendendū portant. Verū, ad coriandri temperaturā accedamus, in qua Gale. à Dioscoride discrepat: nam Hippocrates, vt primo illū adducamus lib. ij. de Dæta, id est victus ratione, ita de coriandro tradit: Coriandrū calidum est, & aluū sistit, & ructum acidum sedat, & somnū conciliat, si postremū edatur. Hęc Hippocrates: Qui vt inibi videtur, de herba loquitur, non verò de ipsius tantū semine. Libro verò de Affectionibus, siue illius ipse sit author, siue Polybus, ita quoque de coriandro testatur: stomacho gratū est, & per aluum secedit, tum coctū tum crudum. Dioscorides porro, vt videtis, coriandrū, refrigerandi vires habere ita tradit, vt siquis copiosiore vsu eo vtatur, nō leui periculo mente tentabitur, vt de hoc coriandro vulgari loqui lib. vj. videatur. Sed hoc falsum esse Gal. indicat, quum coriandrū calidum est, non verò frigidū, vt ex eius percipitur verbis, quæ ita habent lib. vij. de Facul. simplic. medic. Hanc herbam refrigeratoriā esse, Dioscorides prodidit, quòd mista pani aut polentæ, illitaq; erysipelas curet, quanquam certe exactum aliquod erysipelas, quod vtiq; inflammatū est, & flauum, haud vnquam à tali cataplasmate persanabitur, sed illud tantū quod refrigeratū iam fuerit. Coriandrum itaq; ex contrariis facultatibus constat, plurimū habens essentiæ amaræ, quæ tenuium partium est, & terrena: Nec parum etiam

Coriandrum sylueſtre.

Coriandri temperatura.

etiam aqueæ humiditatis obtinet, quæ tepentis est facultatis. His adiunctum est quoque astrictionis pauxillum. Quod autē longe à refrigeratione absit coriandrum, hinc constat, quòd chœradas, siue strumas, cū lomēto discutiat, id quod nullum refrigerantiū medicamentorū facere est aptum. Hæc Galen. Quibus clare percipitur, ipsum cōtra Dioscoridē asseuerare, coriandrū esse tēperatura calidū, non verò frigidū. Sed reuera, cōciliatio facilis ex Galeno desumitur, qui coriandrū, ex compositis facultatibus, non verò vna tantū frigida, insigniri tradit. Cōponitur igitur coriandrū ex partibus quibusdā calidis, quæ in superficie habentur, & ea de causa strumas & duros tumores dissoluit, vt Galen. contendit, cæteræ verò coriandri centrales partes, terreæ sunt & stypticæ, natura frigidæ, inter quas aqueæ quoq;, vt tradit Gale. inueniūtur: cæterū Auicenna, ne illū prætereā, cū Dioscoride cōtra Galen. agit, vt apud illum quis legere poterit libro ij. sui Canonis, cap. 140. *Auicenna.*

CONSTANTINVS.

Nicandri scholiastes in Alexiphar. Coriandri, siue coriani, vt etiam apud Theophrast. legitur κορίαννον, duo genera statuit, Hortense & Syluestre, quorū satiuū suaueolens, & gratū. Syluestre verò Hortensi simile, foliis latioribus & longioribus, floribus, radicibus, adnatisq; copiosū, quod quouis modo assumptum & ingestum lethale sit.

Hieracium.

DE HIERACIO MAIORI.

Græcè: ἱέρακιον μέγα: Latin. hieracium maius.

Enarratio LXX.

Hieracion herba, vt placet Plin. lib. xx. cap. vij. vbi lactucę varia enumerat genera, ab accipitre suū nomē traxit, quoniam accipitres, eam

ſcalpendo, & eius ſuccum oculis admouendo, ab eis obſcuritatem quum ſentiunt, diſcutiant, quę quoque lactuca erratica vocatur, variis in locis obuia. Cæterum hieracites, apud Galenum, lapis quidam eſt, profluentem ex hemorrhoidibus ſanguinem ſiſtens, vt libro nono de Facultatibus ſimplicium medicamentorum legitur.

Hieracites lapis.

DE HIERACIO MINORE.

Græcè, ἱδράκιον μικρόν: Latinè, hieracium minus: Hiſpanicè, coyon de galho hierua.

Enarratio LXXI.

HAec verò, potius chondrillæ ſimilis eſt herba, quàm maiori hieraceo, quæ per terram tracta folia habet, ex quorum medio, tenellum cauliculum emittit, in cuius ſuprema parte, nonnunquam verò inferiori, tuberculum quoddam concretum naſcitur, & illud quidem tenerum, ſucculentum, & guſtui perquam gratum, quod ideo pueri Hiſpaniæ auidiſsime comedunt, & herbam teſticuli galli appellant: quum enim ad ſtatum herba iſta venit, lacte abundat, & ea de cauſa meritò inter lactucas reponitur.

DE APIO SATIVO.

Græcè, σέλινον κηπαῖον: Latinè, apium hortenſe: Hiſpanicè, perexil: Luſitanicè, ſalſa: Italicè, petroſemolo: Gallicè, perſil: Arab. carfi: Germ. Epffich.

Enarratio LXXII.

SElinon hortenſe, ſiue apium ſatiuum, noſtrum vulgare petroſelinum eſt, cuius rami (teſtante Plinio) largis potionibus per iura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habent, quod hodie ita eſſe quoque percipimus, & vt tradit Galenus lib. ij. de Facultat. alimentorum cap. 52. vrinas mouet, ad quod opus vſitatiſsimũ eſt, nam & ſuaue eſt, & ſtomacho gratum. Nec hæc tantum de herba ipſa, intelligas opus eſt, ſed etiam de ipſius radice, ac ſemine. Calidum enim petroſelinum hoc vulgare in ſecundo ordine eſt, & ſiccũ in medio tertij, vt meminit Galen. lib. viij. de Facult. ſimplic. medic. dicens: Adeo calidũ eſt, vt & vrinam & menſes cieat, flatus quoque digerit, & magis ſemen quàm herba. Oreoſelini & hippoſelini ſimilis

Temperatura.

vis

Apium.

vis exiſtit: Verum hipposelinũ imbecillius eſt: oreoſelinum valentius. Hæc Galenus. Cæterum, an apiũ hoc ſit funebribus cibariis dicatũ, quod ideo multi ab eſu hominum explodebant, ſimul quia morbũ caducũ excitabat, ignoratur: credere tamen eſt, longe aliud eſſe, vtpote apium vulgare, Dioſcoridis petroſelinũ, quod comeſtum, caput tentat, & morbum caducum incitat: ita verò ſe rem habere, certiſſimus ſum, nec rationes quæ ab Aegyptiis, & Hebræis deſumi poſsũt hoc potiſsimum indicantes, in medium afferre eſt neceſſe.

DE PALVSTRI APIO.

Græcè, ἑλεοσέλινον: Latinè, apium paluſtre, paludapium: Hiſpanicè, perexil dagoa: Italicè, petroſemolo del aqua: Arabicè, aſàlis: Gallicè, perſil de mareſts.

Enarratio LXXIII.

PAluſtre apium, petroſelinum noſtrum eſt, in aquis tamen naſcens, ad omnia ferè potens ad quæ hortenſe. Caueant tamen Hiſpani, ne herbam illam in aquoſis potiſsimum naſcentem, quam rabacias appellant, apio vulgari ſimillimam, paluſtre hoc apium eſſe credant, quum illa, vt dixi, Sion eſt, de qua libro ij. ſermonem fecimus. Naſcitur enim hoc de quo agimus, aquaticum petroſelinum in lacubus, quoq; & locis paludoſis, ſimile omnino hortenſi, vel ſatiuo dicto apio, quòd nos petroſelinum, communi voce appellamus. Cæterum hippocrates libro de Affect

de Affectionibus, paluſtre apium ſatiuo maiorem vim habere, memoriæ commendauit.

DE OREOSELINO.

Græcè, ὀρεοσέλινον: Latinè, montanum apium: Hiſpanicè, perexil montiſino, ſalſa ſaluatiqua: Italicè, petroſemolo aggreſte: Gallicè, perſil de montaigne: Arabicè, acraſelinum. Germanicè, Peterſilgen, peterlin.

Enarratio LXXIIII.

Oreoſelinon.

EST verò, vt breui dicam, oreoſelinon, hodiernum petroſelinum in montibus naſcens, herba herbariis nota, parum à petroſelino communi differens, vnde legendum crederem, in hoc capite, ad Theophraſti mentem, cum Plinio lib. xix. cap. viij. hoc modo: circa quem, ramuli, & capitula cicutæ ſimilia, multo tamen tenuiora, in quibus ſemen oblongum, acre, tenue, odoratum, cymino ſimile comperitur, nec obſtat, quòd in pluribus exemplaribus Dioſcoridis, capitulorum papaueris fiat mentio, quia vice, κωνείῳ, id eſt cicutæ, corruptè, μηκωνίῳ παραμφεξῆ, legitur. Habet igitur oreoſelinum, cicutæ folia, vt ex Plinio reſtituimus.

DE PETROSELINO.

Græcè, πετροσέλινον: Latinè, petroſelinum.

Enarratio LXXV.

PEtroſelinum Græcorum, officinarum apium eſt, quod & vulgares apium appellant, & cuius ſemen, herba, & radices, ſyrupos ingrediuntur aperientes, & decoctiones exornant diureticas. Eſt enim tertij ordinis tum excalfacientium, tum deſiccantium. De quo plura capite ſeptuageſimoſecundo, ſi recte teneo, dixi.

CONSTANTINVS.

LVſitanus ſine ratione contendit Dioſcoridis petroſelinon eſſe vulgare apium, quum iam verum petroſelinon multis rei herbariæ ſtudioſis innotuerit, diuerſaq; ſit planta ab apio vulgari, vel à pimpinella quam Hieronymus Tragus nobis profert, pro petroſelino Macedonico Dioſcoridis.

DE HIP

DE HIPPOSELINO, QVOD OLVS ATRVM DICITVR.

Græcè, ἱππόσελινον: Latinè, hipposelinon, olusatrum, equapium: Arabicè, satis: Gallicè, ache, Ruell. leueſche, Mathiolo.

Enarratio LXXVI.

VT enim coniecturis aſſequi poſſumus. Hipposelinon, leuiſticum officinarum eſt, nam liguſticum, aliam rem eſſe diximus. Porro admonendus hic à me candidus lector eſt, quia in hoc Dioſcoridis textu Græco, nulla nigredinis in radice mentio fit, proinde expungẽda illa ſunt verba: à Marcello Virgilio ſupperaddita, foris nigra, quum extra Dioſcoridis mentem interpoſita ſint, vt optimè quoq; Manardus adnotauit, qua tamẽ de cauſa Marcellus, illa duo addidit verba, dica, quia Theophraſtus ſuo hipposelino, radicem quoq; nigram tribuit, dicens: hipposelinum radice ornatur craſſa raphano ſimili, & illa quidem nigra, vt apud illum eſt legere, lib. vij. de Plantarum hiſtoria, cap. 6. Sed revera Marcellus in hoc lapſus eſt, credens vtiq; quòd hipposelinon Theophraſti, idem ſit cum hipposelino Dioſcoridis, quod ſanè falſum eſt, quum potius inter ſe multum differant: vt cuique vtriuſque deliniationem conferenti manifeſtum erit. Cæterum, hipposelinon ex ſecundo ordine calfacientium, tertio verò exiccantium eſt. *Marcellus errat.*

DE SMYRNIO.

Græcè, σμύρνιον: Latinè, ſmyrnion: Italicè, Macerone, Arabicè, Seniruion.

Enarratio LXXVII.

QVod enim iudicium hodie de apiis tradimus, tale quidem ab hinc quindecim annis in lucem emiſimus, à quo Ruel. Gallus, Fuchſius Germanus, ac alij immerito proculdubio euariant. At Ferrariẽſes ferè omnes, veluti & Mathiolus Senenſis in vniuerſum nobiſcum agunt. Eſt igitur ſmyrnion, apium Macedonicum, quum inter ſe multum conueniant, & de quo Galenus ita dixit, lib. viij. de Facultat. ſimplic. medic. Smyrnium ex eodem genere

genere cum apio eſt, & petroſelino: fueritque apio quidem validius, imbecillius verò petroſelino, itaq; & vrinas & menſes proritat, calidum ſiccumq; tertio ordine.

Archangelica imperatoria dicta.

Cæterum, præter iſtas apiorum ſpecies, plures aliæ reperiuntur, inter quas Archangelica, ſiue Imperatoria dicta, primatum obtinet, herba hortis admodum familiaris, calida & ſicca, tertio ordine, atque inde morbis opitulatur frigidis, contra quartanam magno datur iuuamento, partus faciles reddit, & cerebrum expurgat, ac illud à ſuperflua humiditate liberat. Dicitur verò imperatoria, quia medium folium, ex tribus quibus ornari videtur, coronam imitatur, quia in tres diuiditur partes, altera verò folia duo, à lateribus exiſtentia, in duas tantum, vt demum, medium dictum folium, inter illa duo tanquàm corona medium ſit, appareátve.

DE ELAPHOBOSCO.

Græcè, ἐλαφόβοσκον: Latinè, elaphoboſcum, pabulum ceruorum.

Enarratio LXXVIII.

INter herbas, quæ non facile in hominum cognitionem veniunt, elaphoboſcum eſt, quam nos ſedulo inquirentes, poſt longam tandem inueſtigationē inuenimus. Nam quum Ferrariæ mihi contigerit herbatum ire cum nonnullis viris doctiſsimis, & rerum naturalium diligentiſsimis inquiſitoribus, inter quos, mihi nominandi veniunt, Ioannes Falconerius Anglus, vir mea ſententia, cum quouis doctiſsimo herbario conferendus, & qui pro dignoſcendis herbis, varias orbis partes perluſtrauerat, quarum plures & varias, miro artificio, codici cuidam conſitas, ac agglutinatas afferebat: Alter verò, Gabriel Mutinenſis, philoſophus doctiſsimus, & cui ob plures eius dotes, ac variam doctrinam, hodie publice Dioſcoridem interpretandi munus datū eſt Ferrariæ, elaphoboſcum inter plures alias herbas offendimus, cuius folium nō adeo oblongum erat, duum digitorū latitudine, aliquantulum aſperum vt lanugine cooperiri quis diceret. Nam caulis huic bicubitalis cernebatur, rubricans, cuius flores tūc videre, non fuit poſsibile. Hanc verò herbam Ruellius Gallus,

in Gal

in Gallia frequentẽ eſſe,& Gratiam Dei appellari tradit,à qua vnguentum de Gratia Dei dictum,nomen ſibi vendicat,vt apud Petrum de Largellata chirurgum non aſpernendum videre eſt, quo omnes chirurgici, in vulneribus capitis paſsim vtuntur. At licet in Gallia herba hæc Gratia Dei dicatur,in Italia tamen longe alia herba,pro Gratia Dei indicatur, & quam Iacobus Manilius, ſuo Luminari deſcribit dicens:Herba Gratia Dei apud modernos herbarios, ſic eſt vocata, & eſt herba, cuius longitudo eſt vnius palmi,aut parum plus, folia habet ſimilia hyſſopo, florem verò inter folia paruum, cuius color tendit de bicoloribus ad album & purpureum, ſicut herba quæ dicitur volubilis,quæ in vineis naſcitur,radicẽ habet paruam, nam apud nos in pratisvalde abundat,& cognoſcitur propter ſaporem foliorũ, in quibus eſt amaror ita potens ſicut in centaurea minori,& maiori.hactenus Iacobus Manilius in ſuo Luminari maiori. Hodie verò hanc quoque naſci percipimus locis paludoſis & aquaticis,folio hyſſopi,ſed latiori,flore verò albo. Qua de ea cauſa multi eam ſylueſtrem hyſſopum appellare non dubitant, ſed falsò, quia herba hæc illa vera eſt, Gratia Dei dicta herba, prædictum ornans vnguentum,ſapore cum quadam ſtypticitate,amara, & quæ comeſta potentiſsime bilem deponit, & vlcera facillime ſanat. Cæterũ, non me præteriit, quòd Plinius elaphoboſco folia hippoſelini id eſt oluſatri dicauit,vt apud illum eſt legere lib. xxij. eiuſdem numeri capite:quãquam Manardus libro ſuarum Epiſtolarũ nono, epiſtola tertia,locum iſtum emendare & reſtituere conetur, reuera tamen Plinius recte inquit, quum ſiquis folia in caule nata conſpexerit,quodam modo oluſatri referre percipiet,de qua Galenus lib.vj.de Facult.ſimplic.medic. ita tradit: excalfacit & tenuium eſt partium,ob idq; exiccat maxime in ſecundo ordine.

Herba Gratia Dei.

Plinius defenditur.

DE FOENICVLO.

Græcè, μάραθρον: Latinè, fœniculum: Hiſpanicè, funcho: Italicè, finocchio: Gallicè, fenouil: Arabicè, ragenigi: Germanicè, Fenchel.

DE SYL

DE SYLVESTRI SIVE ERRATICO FOENICVLO.

Græcè, ἱππομάραθρον: Latinè, syluestre fœniculum.

Enarratio LXXIX. LXXX.

Fœniculũ.

Fœniculum.

SEritur passim fœniculum, in Italiæ hortis, quod caule turgescente colligitur & esui dicatur. Lac enim potissimum fœniculum generat, & oculorum claritatem iuuat, vt testatur Plinius, præsertim eius in caule cõcretum gummi, quod calidioribus in regionibus reperitur, præcipuè in Hispania, vt recte admodũ notat Dioscorides: Est enim herba hæc, ac eius semen, & radices, in continuo vsu medico: Nam syluestre fœniculum in campis errat & nascitur, de quorum natura, ita tradit Galen. lib. vij. de Facultatibus simplic. medicament. Marathrum, calfacit in tertio ordine, desiccat verò in secundo, proinde lac gignit, auxiliatur suffusis, mensesque & vrinas promouet, Radix & semen hippomarathri amplius quàm domestici siccãt, quare & ventrem videntur sistere, possunt etiam & calculos frangere, curare ictericos mensesque & vrinas mouere: minimè tamen lac gignere.

DE DAVCO.

Græcè, δαῦκος: Latinè, daucus: Hispanicè, dauco cretico: Italicè, dauco: Arabicè, gezar: Germanicè, Bervuurtz.

Enarra

Enarratio LXXXI.

DAucus verus non ſolum ex Creta aduehitur, ſed Hiſpaniæ & Italię frequens eſt, quem Hiſpani, daucum vel Cretenſem daucum appellant, naſcitur autem potiſſimum apud Colimbricenſes in Luſitania prope fanũ diuæ Mariæ ab Spe dictæ, quanquam pharmacopolæ illius loci non ita illum facile noſcant. Eſt & quoq; aliud genus, quo paſsim pharmacopolę vtuntur, quibus tertium addere eſt, quod Hiſpani vis nagam appellant, & illius vmbellis pro dentifriciis optimis vtuntur. Verum falluntur qui daucum, ſylueſtrem paſtinacam eſſe cõtendunt, quum ſylueſtrem paſtinacam, ſi quis recte Galenum animaduerterit à dauco aliam rem eſſe inueniet, vt ex vj. & viij. libro de Facultat. ſimplic. medic. clare res elici poteſt, in quibus, de iis tanquam rebus diuerſis, diuerſa capita faciat, à quo nec Dioſcorides in præſenti diſsidet. Proinde daucum à paſtinaca ſylueſtri rem diuerſam eſſe in confeſſo eſt. Cæterum, cum iis fateri quoq; eſt Daucum ſylueſtris paſtinacæ ſpeciem eſſe. De quo Galenus lib. vj. citato ita tradit: Domeſticus eſui aptior, ſed imbecillior, acrẽ calidamq; facultatem ſortitur, ac proinde etiam extenuat: At radix, ſane flatuoſum quid obtinet, ac venereum, ſemen autem domeſtici quidem & ipſum quandam ad venerem ciendum potentiam poſsidet: agreſtis verò plane flatu caret, ac proinde vrinam menſeſque ciet, quæ verò ſubſequuntur de ſemine dauci per otium legito.

Vis naga dauci genus.

DE DELPHINIO.

Græcè, Δελφίνιον: Latinè, delphinium herbá.

Enarratio LXXXII.

DElphinium herbam, conantur multi eam indicare, ſed falſo, quia folia, delphinorum figuram nullam habent, in Gallia porro naſci Ruellius tradit, cui fides habenda eſt, quum & in Hiſpania herba iſta creſcat, cubitalis altitudinis & maioris, caule rotundo innodo, ramoſa, folia delphino piſci ſimilia habens, florem vero purpureum, violæ, quam cheiri Arabes appellant, ſimilem: nam ſemen, in ſiliquis quibuſdam paruis recondit, vt optimi ſcholaſtici Colimbrienſes in Luſitania videre poſſunt, quum illic herba iſta feliciſsime creſcat, præcipuè

Delphinium

prope fontem Reginæ dictum, non procul à cœnobio ſanctæ Claræ dicato. Nam & apud Oliſiponam in maxima quoq; copia reperitur. Huius vero herbæ, nec Galenus, nec Paulus, Oribaſiuſue, vllam fecerunt mentionem. Qua de cauſa, caput hoc Dioſcoridi ſuperadditum eſſe, multi arbitrati ſunt, & hoc magis, quia in nonnullis Dioſcoridis exemplaribus caput iſtud deeſſe notabant: ſed vt cunq; ſit, caput hoc legitimum & germanum apud Dioſcoridem eſſe, pro firmo habemus, quia in omnibus exemplaribus hucuſq; à nobis viſis reperiatur. Qui delphinum ſenam eſſe putant, omnino errant, quum ſena longe alia ſit res, nec cum delphinio ſimilitudinem aliquam habeat. Nec minori errore deprehenſi ſunt, qui ſenam alypon, aut empetrum putarunt: imò irridendi proculdubio ſunt, qui contendunt apud Dioſcoridem, ſenæ mentionem vllam factam eſſe, ſub quocunq; dicant nomine, vt olim ſenex bonus Vincentius Caprilis medicus Ferrarienſis mecum contendebat: Cui non aliud dedimus reſponſum, quàm quòd contentio hæc ſua, antiquas ſuas ſapere videbatur, vt ex plurimis, quas Manardus libris ſuarum epiſtolarum interpoſuit, iudicare quis poterit. Ruellius porro Dioſcoridem, Galenum, Paulum, Aëtium ac Plinium miratur de ſena mentionem nullam feciſſe, quum, vt ille putat, Theophraſtus illis ætate prior, de ea locutus fuerit, ac eam graphice depinxerit, ſub coluteæ nomine libr. iij. de Hiſtoria ſtirpium, cap. xvij. At Ruellius (bona viri pace dixerim) errat, vt ex infra dicendis quiſq; facillime deprehendere poterit, quia colutea à ſena multum differt, de qua Theophraſtus loco citato ita inquit: Colutea quoque lipare proprie traditur, arbor magnitudine præſtans, fructum in ſiliqua ferens magnitudine lentis, qui oues mirum in modum pinguefacit: naſcitur ſemine & ſimo præcipue ouillo, & ſubdit: habet folium non abſimile fœnogræco, germinat primo vnicaulis triennio maxime, &c. quæ proculdubio, cum ſena in nihilo conueniunt. Nam SENA herba eſt in Liguria & Hetruria frequentiſſima, & quæ ſingulis annis, in campis ſeritur, & colligitur, & ex ea magnum vectigal, ac quæſtum populi illi faciunt, altitudine cubitali, ramoſa, folio vero oliuari, ſed minori, flore luteo, multis complicato venulis, ad rubrum

Delphiniũ non eſt ſena.

Ruellius.

Ruellius errat.

Sena herba.

brum vergentibus, in quo postea folliculus pendet arcuatus, renum modo, ab vtroq; latere planus & veluti compressus, in quo semina clauduntur, tanquam vuarum acini, nam folliculus iste facillime à vento percussus in terram cadit, quia pediculo pendet subtili, & eum pastores, vt Serapio adnotat, colligunt. Quæ verba Ruellius aduertens, senam coluteam Græcorum esse dixit. Sed reuera fallitur Ruellius, quia colutea arbor est, sena vero planta, per vnum tantum permanens annum, item colutea folia habet fœnugræci, siue trifolij, sena autem potius oliuæ: item, colutea & si luteum producit florem, non tamen similem brassicæ flori, qualem sena producit: quibus adde, colutea in folliculis semen latum lenti simile includit: Sena vero simile potius vuarum acinis, vt facile quis, ex iis collatis, differentiam inter vtrãq; ponere sciat. *Colutea arbor.*

Quæ vero hæc sit arbor colutea dicta, posset quis quærere, cui breui respondemus, illam esse, quam nonnulli rei rusticæ scriptores, alburnum appellarunt: Itali vero & nonnulli Hispanorum, aorno vocant, quam ego, primo Mechliniæ, celebri ciuitate Brabantiæ, ac media inter Anthuerpiam & Louanium bonarum literarũ nobilem academiam, vidi, & vt verum fatear, primo intuitu, senam esse putaueram: sed quum postea, senam herbam & non arborem deprehendi, ab ea discessi opinione. Non desinam tamen, vnum fateri, quòd colytea à Theophrasto eodem libro, capite decimoquarto, descripta, senæ magis respondere videatur, quàm colutea, de qua supra, ita enim de colytea loco citato Theophrastus tradit: Colytea folio salici vicina est, ramosa, folioſaq; in totum ampla, fructum in siliqua sicuti legumina gignit, eaq; lata, non angusta, semen inclusum, paruulum, non magnum, durum modice. Hæc enim colyteæ descriptio, proculdubio senæ conuenire videtur, vt iure quis dicere possit, colyteam Theophrasti, nostram esse senam. Sed age siue sit vt nos putamus, siue non sit, vt Auerroï placet, dubio procul, sena medicina est, multis digna laudibus, de qua Actuarius Græcus author ita tradit. Senæ à Barbaris appellatum, siliquosus ille fructus est, qui circa noxam drachmæ ponduſculo sumptus, pituitam & bilem purgat, & vt tradit Mesue, calidum est in principio secundi gradus, *Colutea arbor alburnum dicitur.* *Colytea.* *Colytea Theophrasti nostræ est sena.* *Senæ vires.*

gradus, ſiccum vero in primo. Quæ verba forſan ad ſenę ſiliquam ſiue folliculum referri debent, quia de foliorum temperatura ita ſubdit: & folia ſunt in primo calida, & vniuerſaliter Senæ eſt abſterſiuum mundificatiuum, conuenienter & reſolutiuum, & inferius inquit: Solutione educit cum facilitate melancholiam, & choleram aduſtam, & mundificat cerebrum, cor & epar, & ſplenem, & membra ſenſuum, & pulmonem, & confert ægritudinibus eorum, & aperit oppilationes viſcerum, & confert vtenti eo in iuuentute, & generat gaudium, cauſam autem triſtitiæ amputat, & ponuntur folia eius in lauacris ad caput, & proprie cum camomilla, & confortat cerebrum, & neruos, & ſecundum eius omnem adminiſtrationem, addit inuiſum, & corroborat auditum, & eſt medicina bona febrium melancholicarum, & antiquarum, cuius infuſionis doſis eſt, ad vnciam vnam: ſed nos hodie abſq; noxa vlla vncias quinq; & ſex Serapionis conſilio ægrotis præbemus. Verum hic dubitatur, an ſiliquę dictæ folliculi ſenæ, potentiores in operatione ſint, quàm folia, vel contrà: Secundo, an ſenæ noceat ſtomacho, vel non: Tertio, an pituitam ſena euacuet: Quarto, quomodo infuſum ſiue decoctio dicta ſenæ parari debeat. Ad primum igitur reſpondentes, dicimus, quòd Actuarius, de folliculis ſiue ſiliquis, vt pote potentioribus tantum loqui videtur, non vero de ipſius foliis ſenæ: qua de cauſa Meſue, qui ab Actuario multa mutuatus in ſuum opus eſt, inquit, Melior, id eſt potentior in euacuando, pars ſenæ eſt folliculus, deinde folia, in quibus eſt virtus debilis valde, & melior folliculus eſt, cuius color accedit ad viriditatem & ſubnigredinem quandam, & in quo eſt de amaritudine res modica cum ſtypticitate, & qui eſt magis completus, &c. In quibus verbis, ſatis liquet apud Meſuem folliculos ſenæ, viribus potentiores eſſe, quàm ipſius folia, quem ſecutus quoq; eſt Antonius Muſa Braſauola, qui vt tradit expertus eſt. Decoctum ex folliculis ſenæ, validius operatur, quàm ex foliis paratum, quibus & nos quoq; non poſſumus non ſubſcribere, quum experimentum facientes, ſæpe ex folliculis paratum decoctum, potentius inuenimus, quàm quod ex foliis ornabatur: nec nobis ratio deeſt, quia pars, vbi ſemen ad conſeruat

Senæ folliculi an potentiores ſint quàm folia.

ſeruationem ſpeciei occluditur, potentior eſſe debet, quàm folium: igitur folliculus cum toto ipſo ſemine potentior ac validior dicendus eſt. Manardus vero contrarium dicit, nec aliquam rationem præter experientiam adducit. Inquit enim decoctum ex foliis ſenæ, potentius multo eſſe, quàm ex folliculis parato. Fuit certe Manardus Ferrarienſis vir doctiſsimus, & cuius iudicium, non ſic ſpernendum facilè putarem, quo fit, quum ſenam deſcribo, ſoleam ipſe partem mediam folliculorum & mediam quoq; foliorum addere, quod in componendo decocto à pharmacopolis factitatū iri deſidero. Ad ſecundum, an ſena ventriculo noceat, reſpondet Meſue, dicens: eſt ſolutionis debilis & tardæ, & debilitat ſtomachum, verum confortatur eius operatio in permiſcendo cum eo aliquid ex rebus acutis, ſicut zingiber, proprie & ſal gema, & ſal Indus, & medicinæ cordiales cum eo, & ſtomachicæ felicitant opus eius. Hæc Meſue, cui Actuarius contrarius videtur, quum dicat, contra noxam drachmę pondere ſumi, cui ratio quoq; ſuffragatur quia in ſena amaritudo quædam parua coniuncta ſtypticitati reperitur: qui ſane ſapor Galeno authore lib. iiij. de Simplicibus, tantum abeſt, vt obſit ſtomacho, vt potius illi iuuamentum ac robur magnum præſtet, vt ab abſinthio argumentum deſumi quoq; poteſt. Nec enim cōfugere eſt, dicendo, quòd in ſena, alia quædam extranea reperitur qualitas, ab illis dictis, prout in Epimelide amaro & ſtyptico reperitur, quemadmodum Libro ſexto citati voluminis legitur, qui & ſtomacho nocet & capiti dolorem affert, iis de cauſis crederem ipſe, ſenam ſtomacho nullam noxam aut detrimentum afferre poſſe: vt tamen maiori cautela operemur, & medicorum vulgarium ſcrupulos fugiamus, conſulimus, vt ſenæ aliquid ſemper ventoſitatem reſoluens admiſceatur, vt docet Meſue, & Braſauola conſentit. Ad tertium, an pituitam ſena expurget, reſpondet Meſue, ſenæ cum facilitate educit melancholiam, & choleram aduſtam, Serapio vero abſolutè bilem purgare dixit. Quibus cōſentire videtur Auerrois, qui quinto libro ſui Colliget, omnino negat ſenam poſſe purgare pituitam. Actuarius tamen vir Græcus & mag

Sena an pituitā expurget.

magnæ authoritatis, & cui ego plurimam tribuo fidem,

Sena purgat pituitam.

ſenam purgare pituitam inquit, cui & experientia aſtipulatur quotidiana, quæ indicat ſenam pituitam remouere, præſertim in morbo Gallico, & febribus quotidianis, veluti & atrabiliarios humores.

Ad quartum, Quomodo infuſum ſiue decoctum ſenæ, parari debeat, reſpondemus, quòd varij varie parant: pro illius tamen præparatione, Sena ex Alexandria adducta eligatur, quæ Liguſtica aut Ethruſca præſtantior eſt. Ea igitur habita, eius decoctum aut infuſum dictum ſic paretur.

R. Folliculorum foliorum ſenæ, vnciam vnam: Polypodij, drachmas duas: Paſſularum, vnciam mediam: Sebeſten, numero decem: Pruna pinguia Damaſcena, numero octo: Zingiberis, drachmam mediam: Florum boraginis communis: Violarum: Roſarum rubearum: Naphæ, id eſt floris narantiorum, añ. ʒ. i.

Modus autem conficiendi, talis ſeruari debet: Accipe polypodium optime contuſum, recens quercinum, ac paſſulas, pruna & ſebeſten, & in olla vitreata continente libram vnam & mediam aquæ omnia iniiciantur, & ad lentum ignem, parum ferueant: quibus poſtea ſuperaddas ſenam, cum prædictis floribus, & zingiberis radicem quæ ſimul quoq; ebulitione vna, vel altera feruere permittas: ac ollam optime obturatam, ab igne depoſitam, per aliquot horas ſinito, poſtea fortiter exprimito, ac mel lis roſacei colati vncias quatuor illi admiſceto. Hęc enim completa eſt decoctio ſenæ, quæ variis aliis modis parari ſolet, & plerunq; abſq; melle roſaceo, quia cum aliis miſcetur ſyrupis, vt ſyrupo roſaceo ſolutiuo, ſyrupo de fumo terræ, ſyrupo de epithymo, vel quouis alio, ſed ſæpe cum rhabarbaro datur, vel manna, aut caſsia fiſtulari, aut alio ſimili medicamento purgante, imo ſenam multoties adiungi facimus, ſero caprino, boragini, floribus cordialibus & fumi terræ, veluti, iuri capi, aut gallinæ, caſtratiue, prout intentio noſtra eſt: Sed & aliquando puluiſculum ipſius ſenæ, pondere triũ vel quatuor drachmarum in iure, vel ſtillatitia aqua, aut pulticula propinamus: Cæterum, infuſi ſiue decocti prædicti ſenæ quantitas, advncias ſex deſcribitur quæ tuto ſine læſione, & pue-

Infuſionis ſenæ pondus.

ris, &

tis, & vtero gerentibus, ac senibus in omni temporis constitutione dari potest.

CONSTANTINVS.

SEna Alexandrina siue orientalis siliquares fructus ferens, vt habet Actuarius, quam Serapio cap.58. habohanifa vocat & Mesue Abalzemer, planta est indicta antiquis scriptoribus, tum Græcis, tum latinis, non enim, κολοιτία, ἢ κολυκέα, nec κολουτέα, ἢ κολωτέα Theophrasti lib.j. & tertio de histor. plant.1. Colœtia vel colycea, nec Colutea aut Colotea (sic enim legendum ex emendatiorum codicum fide) Est enim eodem authore & colycea arbor circa Idam, & altera folio salicis, quã Plinij staphylodendron esse multi falsò contendunt: quùm Plinius ipse lib.xvj.cap. simili, arborem esse describat trans Alpes similem aceri albo materia, siliquas ferentem, & in ijs nucleos sapore nucis auellanæ: quæ omnia diuersa ab hac Colycea Theophrasti. Nec magis ipsius Colutea arbor Liparæ peculiaris, potest esse vulgaris sena, quã vocamus etiam baguenaudier: quia hæc frutex humilis est, illa verò arbor procera. Sed ista communis sena, potius connumeranda est inter solani vesicarij genera. Miror autem cuius authoritate contendat Amatus Lusitanus, Coluteam Theophrasti latinorum esse Alburnum: cùm sciamus Plinium lib.xvj.cap.38. Alburnum vocasse, partem illam in arboribus, quam adipis loco natura tribuit. Ipsius hæc verba: Atque in toto corpore arborum, vt reliquorum animalium, cutis, sanguis, caro, nerui, venæ, ossa, medullæ, pro cute cortex. Proximi plerisq; adipes: ij vocantur à colore alburnũ: mollis ac pessima pars ligni, etiam in robore putrescens, teredini obnoxia, quare semper amputabitur. Et lib.xvj.cap.40. robur exalburnatum vocauit, cui alburnum detractum. Ab Alburno autem diuersum est, vt hoc in transitu dicatur, viburnum, planta videlicet, inter vitilia, & ob id à Virgilio in Bucol. lenta nominata vno hoc carmine, nec, alibi, aut alijs authoribus memorata quod sciam: Quantum lenta solent inter viburna cupressi. Ea est quam lantanã vocat. Italia, & Gallia nostra viorne: at aorno vulgò dici malè scripsit Amatus Lusitanus Coluteam Theophrasti.

DE PYRETHRO.

Græcè, πύρεθρον: Latinè, Pyrethrum, & saliuaris herba: Hispanicè, pelitre: Italicè, pirethro: Gallicè, pied D'alexandre, ou pyrethre: Arabicè,

Macharcaraha, Germanicè, Bertram.

Enarratio LXXXIII.

Pyrethrum.

PYrethrum, herba cũ ſua radice, in continuo medico vſu, pro maſticatoriis, & dentiũ doloribus ſedandis eſt, quæ hucuſq; à me abſq; vmbella ſemper viſa eſt. Proinde crederem ipſe, in hoc capite, ita eſſe legendum, ſcilicet, in pyrethro flores, vmbellæ modo rotundi ſunt, vt in camomilla apparent, de qua Galenus libro octauo de Facultatibus ſimplicium medicamentorum ita tradit: Radix eius cauſticam poſsidet facultatem, qua dẽtes refrigeratos mitigat, porro ad rigores ante periodum cum oleo confricatur, ſtupidoſque & reſolutos adiuuat.

DE ROSMARINO.

Græcè, λιβανωτὶς: *Latinè*, *roſmarinus*: *Hiſpanicè*, *romero*: *Italicè*, *roſmarino*: *Gallicè*, *Roumarin*: *Arabicè*, *almeriem*: *Germanicè*, Roſsmarin.

DE CANCHRY.

Græcè, κάγχρυ: *Latinè*, *canchrys*, *fructus libanotidis*,

Enarratio LXXXIIII. LXXXV. LXXXVI.

LIbanotis, à Libano, hoc eſt thure, nomen ſibi traxit, quia vna eius ſpecies thus redoleat. Primam ſpeciem millies vidimus, & cuius fructus canchrys appellatur,

& in

& in eo ſemen obcluditur: Secundam vero ſpeciem, non eſt difficile inuenire: Tertiam autem coronariam dictam, paſsim in ſyluis & montibus creſcere, cum cæteris ſpeciebus nouimus, & ita apud Hiſpaniam frequéter, vt non temere multi illic, pro calfaciendis furnis, altero vtantur ligno. Eſt enim libanotis ſiue roſmarinus, frutex topiarius, ſimul & coronarius omnibus ſatis notus. De quo ita Galenus lib. vij. de Facul. ſimpl. medic. tradit: Libanotides tres exiſtunt, vna ſterilis, duæ fructum ferentes. Omnes vero emollientis, digerentis, incidentis & abſtergentis ſunt facultatis, ſuccus tum radicis, tum herbæ miſtus melli, obtuſam oculorum aciem ab humorum craſſitudine emendat: decoctum eius, quam rorem marinum appellant, potum regio morbo auxiliatur. Hęc Galenus. Ex floribus roriſmarini, conditum ſaccaro paratur, ventriculo roborando accommodatum, & matrici conuenientiſsimum, quod Simon Genuenſis, dianthos appellat, quaſi peculiariter flores iſtos, anthos Græci appellarent, quod falſum eſſe omnes norunt, dicuntur tamen flores iſti ab Arabibus: alkhilil.

Conſerua dianthos. Alkhilil flores.

DE SPHONDYLIO.

Græcè, σφονδύλιον: Latinè, ſpondylion: Gallicè, panay ſauuage: ou Auſtruce.

Enarratio LXXXVII.

Spondylion, ſiue ſphōdylion, herba, in paludoſis & aquaticis naſcitur locis, folio platani, ſiue panacis, caule fœniculi, aliquando cubitali, in quo vmbella albi conſpicitur floris, qua decidente, ſemen innaſcitur ſeſeli montano perſimile, latius tamen ac albidius, ſquamoſiúſve, ſapore quodā ingrato, quo multi ſileris montani loco vtuntur. Nam radix illi, raphano æqualis eſt, alba & grati odoris, quo verò nomine herba iſta apud Hiſpanos appelletur, Chriſtophoro Oroſcio medico probatiſsimo, & olim apud Salmanticenſes, condiſcipulo noſtro, inquirendum committimus, nos vero vt qui ab hinc decem & octo annis, ſponte ab Hiſpania diſceſsimus, non ſic in omnibus herbarum nomina tenere poſſumus, huius tamen vires, proſecutus eſt Galenus, lib. viij. de Facult. ſimplic. medic.

ad istum modũ dicens: Fructus eius acris & incidens est, itaque ad asthma & comitialem morbum, aptum est medicamen, prodest & aurigini: At radix vltra iam dicta, fistularum callos tollit, si sit circumrasa, floris succus, ad diuturniora aurium vlcera conueniens reponitur.

CONSTANTINVS.

PLinius lib.xij.cap.26. spondylion comparat cum quodam genere ferulæ, aitque ab illo tantum differre foliis, quia sunt minora & platani dimisura. Non nisi in opacis gigni, semen eodem nomine silis speciem habere, medicina tantum vtile. Spondylij verò medicinas exequitur lib.xxiij.cap.6. Hæc autẽ planta est, quam pro Acantho ostendebant seplasiariorũ medicinæ, quamq; ne pro branca vrsina vsurpent pharmacopolæ, ipsos diligenter admonet eruditissimus Fuchsius, tametsi in suo herbario spondylion pro secunda Acanthi specie proposuerit. Lege eius lib. de Comp. Medica.

DE FERVLA.

Græcè, νάρθηξ: Latinè, ferula: Hispanicè, cananheia: Italicè, ferola: Gallicè, ferule.

Enarratio LXXXVIII.

Ferula. NAscitur Ferula in regionibus calidis, potissimum in insulis Canariæ, Portugallia, ac vniuersa Hispania, non nisi procere, & nodose, lanceæ altitudine, quã Hispani, à similitudine quam cum cannis in altitudine habet, cannam, & loco ferulæ, corrupte frescham, dicunt. Eam igitur cannam ferulam appellant, cuius plures videntur species, sed duæ præcipue, altera lanceæ altitudine, altera verò humilis, anetho persimilem habens vmbellam, quibus folia fœniculi modo insunt. In Apulia porrò, procerè quoq; ferulam nasci, certũ est, ex qua interim dum viret, pastores, meditullium oui vitello persimile, vt audio, extrahunt, ac sub cineribus coctum, pipere non iniucundo sapore, pro irritanda venere mandunt, de qua Galen. lib. viij. de Facultat. simplic. medic. ita inquit: Narthex, id est ferula eius semẽ calfacit, & tenuat, medulla autẽ astrictionis est particeps, vnde hæmoptoicis, & cœliacis conuenit.

CONSTANTINVS.

FErulam arborum generi ascribit Plinius libro xiij. cap.22. quoniam quarundam natura (sicut ipse distinguit) lignum omne corticis loco habent, hoc est forinsecus, ligni autem loco fungosam

ζοſam intus medullam, vt ſambuci: quædam verò inanitatem, vt harundines. Ferula eo authore calidis naſcitur locis, atque transmaria, geniculatis nodata ſcapis, cuius ipſe duo genera ſtatuit, vti & Theophraſtus lib. vj. de. Hiſtoria plantarum, nartheca aſſurgentem in altitudinem, narthecian verò ſemper humilem. A genibus exeuntia folia maxima, vt quæque terræ proxima. Cetero inquit, natura eadam, quæ anetho, & fructui ſimilis, nullibi fruticum lenitas maior: ob id geſtata facilius, baculorũ vſum ſenectuti præbet. vt autem idem author prodidit lib. xx. cap. 23. ferula ſemen ſimile habet anetho. Et quæ ab vno caule diuiditur in cacumine, fœmina putatur. Caules eduntur decocti, commendanturq; muſto ac melle, ſtomacho vtiles: locoque citato ferulæ multas in medicina cõmoditates recenſet. Sed mirũ illud eſt quòd ferulæ aſſinis gratiſſimæ, eodem Plinio teſte. lib. xxiiij. cap. 1. cæteris verò iumentis præſentaneo veneno. nec minoris eſt miraculi, quòd ferularum natura vſqueadeo murenis infeſta ſit, vt ea ſolum contactæ expirent, quod etiam apud ipſum legitur. lib. xx. cap. 23. ſicuti hoc ipſum lib. xv. cap. 28. quod in papyris & ferulis, ſpinaque alba, caulis ipſe pomum ſit. At ſemen ferulæ in Italia cibum eſſe, condiri quippe, durareq; in vrceis, vel anni ſpatio, ipſemet author eſt Plinius lib. xix. cap. 9. quo loco inquit, duo genera ea ſunt, Caules & racemi: corymbiam hanc vocant, corymboſq; quos condiunt. Verum vt ad herbariæ ſtudium prouocentur iuuenes, ſine cuius, ſaltem mediocri cognitione, humanioris literaturæ principes ſcriptores non poſſunt intelligi, iſta proponam exempli gratia, quæ de ferula ab ipſis tradita. primùm de ναρθηκοφόροις apud Platonem in Phedone, id eſt, de Bacchi miniſtris, quod ferula Baccho dicata: vt teſtis Plinius noſter libro xxiij. cap. 1. cur etiam Ion poeta apud Pollucem Onomaſtici decimo dixerit, ψαφαρὸν νάρθηκα; aut quod ſapit antiquitatem, cur poeta, vt Aeſchylus & Heſiodus, ἐν κοίλῳ νάρθηκι Promethei furtũ, vt loquitur Virgilius, potius fuiſſe prodant, quàm in alia plantarum? Quid ſibi vult Iuuenalis cùm dixit Satyra j. Et nos ergo manum ferulæ ſubduximus? Aut Martialis per illud lib. x. ferulæq; triſtes Sceptra pædagogùm ceſſent. Aut quid tandem innuit Columella vocans, nec manibus mites ferulas: & alibi, ferulasq; minaces? Quare non minimi vſus ſimplicium cognitio.

DE PEVCEDANO.

Græcè, πευκέδανος: *Latinè*, peucedanum officinarũ.

fœnic

fœniculum porcinum: Hiſpanicè, heruatum: Italicè, peucedano: Arabicè, harbatum: Germanicè, Harſtrang.

Enarratio LXXXIX.

PEucedanum, omnium conſenſu, officinarum fœniculum porcinum eſt, herba coma ſpiſſa, ac ſubtili fœniculi modo creſcens, quod verò deſcriptioni omni ex parte non reſpondeat, id in cauſa eſt, quia in Sardinia, ac Samothrace, & Arcadia, laudatiſsimum creſcens Dioſcorides magis quam noſtrum deſcribere videtur: cuius vires, ac temperaturam Galenus ita libro viij. tam ſæpe repetito deſcribit, dicens: ſuccus eius admodum excalfacit, & digerit, eſtque tenuium & incidentium partium, quare omnibus neruorum affectibus creditur opitulari, tum morbis in pulmone & thorace ex craſsitudine humorũ ortis. Nec verò intra corpus ſumptus duntaxat, ſed olfactu etiã prodeſt, ad hæc ſæpe foratorũ dentium dolores, cauitati impoſitus, protinus mitigauit, quin etiam induratos lienes iuuat, ad quæ omnia, licet etiã vti radice, quæ & ſquamas celerrime ab oſsibus detrahit, & arida illita vlceribus cõtumacibus remedium eſt optimum, minus quidem quàm ſuccus excalfaciens, nempe in ſecundo ordine iam completo, deſiccans verò in tertio incipiente.

DE MELANTHIO.

Græcè, μελάνθιον: Latinè, melanthium: Arab. Sunis: Officinis, nigella Romana: Gallicè, poyurette, ou, nielle: Hiſpanicè, alipiure, axenuz: Italicè, nigella ortelana: Germanicè, Schvuartz rœmiſch Coriander.

Enarratio XC.

Melanthiũ non eſt vulgaris nigella.

FAlluntur, qui nigellam in ſegetibus naſcentem, folio porraceo, ſemine nigro, & rotundo, Græcorum melanthium eſſe putant, quum Græcorum melanthium, ſemen paruum ſit, ſubnigrum, guſtu aromaticum, cum quadam acuitate, ob qua Luſitani noſtri ſemen hoc aliud piper appellant, quo mulieres frequentiſsimè contra matricis, & ſtomachi vitia, maxime vtuntur: hoc enim ſemen

Melanthium ſatiuum.

Syluestre.

men illud eſt, quod medici contra capitis deſtillationes potiſsimum laudant, nec ſic facile reperitur, quia nō niſi ſatum creſcat, aliud verò ſubcitrinum granum, in non diſsimili planta naſcitur. Quod aliqui nigellam quoque appellant, ſed nos ipſum potius inter cardamomi genera libro primo numerauimus, nam in tritico repertam nigellam pſeudomelanthium, ad Hippocratis mentem appellare quis poterit, quam Itali ſua voce, gittone, vel ruoſolam nominant, & eam Leonardus Fuchſius non ſine errore, pro lolio depinxit, ſed de Melanthio ita Galenus inquit lib. vij. de Facult. ſimpl. medic. Melanthium excalfacit & ſiccat in tertio ordine, eſtque amarū atq; tenuium partium, quare catarrhos ſanat, in linteo admotum, atque aſsiduè olfactum, flatus potum extinguit, lumbricos eneçat: non eſum modo ſed etiam foris applicitum, lepras, clauos, atque myrmecias exterit, orthopnœam iuuat, & menſes prouocat, in ſumma verò vbi ſectione, exterſione, deſiccatione, excalfactione eſt opus, præſtan

Melanthiū ſubcitrinū.

Gittone.

Fuchſius errat.

ſtantiſsimum id remedium exiſtit.

DE LASERPITIO.

Græcè, σίλφιον: Latinè, laſerpitium, laſer: liquor Cyrenaicus, Officinis, belzuinum, aſſa dulcis: Hiſpanicè, menzoin: Italicè, belgioino: Gallicè, Beniouin: Germa. Meyſter vurtz.

SVCCVS SILPHII IN SYRIA NASCENTIS.

Græcè, ὀπὸς σιλφίε: Latinè, ſuccus medicus, & parthicus, liquor Syriacus: Officinis, aſſa fœtida, ſtercus diaboli, vulgò, aſſa fetida: Germanicè, Teüffels dreck.

Enarratio XCI. XCII.

Cirenaicus ſuccus. Syriacus.

EX planta ſilphio, ſiue laſerpitio dicta, liquor pretioſiſsimus, & in honore maximo ab antiquis habitus, & hodie quoq; ita receptus eiuſdem cum planta nominis colligebatur, cuius duæ erant differentiæ. Nam Cyrenaicus & Libycus, tanquam odore præſtans & ſyncerus, primas obtinebat: Syriacus verò, tanquàm odore virioſus ac fœtidus, poſtremas. Hanc verò differentiam apud Dioſcoridem factam, inter laſerpitium odoratum, & fœtidum animaduertentes Arabes, ſic poſtea eam operibus ſuis indiderunt, corruptè tamen pro laſere, aſſam ſcribentes, & illius alteram odoriferam conſtituunt: alterá verò fœtidam: Odoriferam verò Aſſam eã dicunt, quàm nos benzuinum appellamus: fœtidam verò, ſeruato nomine, aſſam fœtidam, quàm quoq; multi, ob tetrum, & immenſum quem habet fœtorem, ſtercus diabolicum vocarunt. Cæterum authore Hippocrate lib. iiij. de Morbis, non longe à principio, in Ionia & Peloponneſo, hodie Morea regione dicta, ſilphium nunquam repertum fuit: fieri enim non poteſt, inquit ille, multis fruſtra iam id tentantibus, vt in Ionia: aut Peloponneſo ſilphium naſcatur: At in Lybia ſua ſponte naſcitur, non enim eſt neq; in Ionia neq; in Pelopõneſo, eiuſmodi humor, qui ipſum alere poſsit, &c. quæ ad materiam noſtram multum faciunt, à nobis in præſenti prætermiſſa. Vt receptui igitur

canam

canamus, silphium siue laserpitium odoratum, nostrum est belzuinum, præcipue subnigrũ cum quodam rubore, quòd Lusitani nostri à boninas appellant, vt capite de Myrrha copiosè diximus: Nam virosum laserpitium, assa fœtida est, quod & in Syria sagapeno & chalbane, aliisve gummis variis adulteratur, & fœtidum euadit. Quòd verò laserpitium odoratum belzuinum esse dicam, hæ me permouent rationes, quia benzuinum satis odoriferum est lucidum, transparens, ad ruborẽ inclinans, gustui gratum, & quod si lauetur, quoquomodo albicat, quæ omnia laserpitio conuenire certum est: hoc verò nonnulli ex recentioribus ob dulcẽ quem habet saporem, dulcem assam appellarunt. At assam fœtidam, laserpitij speciem esse, illius attestatur odor, modo quis naribus, eam per spatium admotam habeat: tunc enim, qui huius periculum fecerit, deprehẽdet, assam fœtidam, odorem belzuini non absimilem, dereliquisse. Affertur autem belzuinum, ex Indiæ vastissima regione, præcipuè Sumatra insula, quàm Taprobanam dicunt, vbi arborem benzuinum ferentem, incolæ lasarum appellant: vt Ludouicus Romanus testatur, & Lusitani nostri cõfirmant, de quo Galenus lib. viij. de Facultat. simplic. medic. ita tradit: Silphij liquor calidissimus est, necnon folia, caulis, & radix, strenuè etiam sunt calida, omnia tamen flatulentæ magis essentiæ sunt, ac proinde difficilia concoctu, foris autem imposita corpori efficaciora, liquor præcipuè admodum trahentem facultatem possidens, attamen & excrescentias exterit, & quandam liquandi vim possidet.

silphium odoratum belzuinũ.

DE SAGAPENO.

Græcè, σαγάπηνον: Latinè, sagapenum: Officinis, serapinum: Arabicè, sachabenigi.

Enarratio XCIII.

SAgapenum officinarum Serapinum est, liquor scilicet ferulaceę herbę, vt Dioscoridi & Galeno placet, vt verò Mesue, ex arbore oleandro simili destillans gummi est, quod raro ad nos syncerum & purum ex Orientali plaga adfertur, quanquam ex Apulia nunc licet minoris nominis adferri quoque incipiat. Cæterum, Serapinum aluum subducere, Arabes inuenere, & ea de causa, ex illo catapotia,

Serapinũ aluum subducit.

tia, pro euacuandis crassis, viscidis & tenacibus humoribus, velùti & serosis præparant, vnde Mesue de illo ita tradit: serapinum calidum est in tertio, siccum verò in secundo ordine: & subdit, solutione educit humores viscosos, & phlegma grossum, & aquam citrinam, & eius proprietas est mundificare cerebrum & neruos, & adducere materias eorum, & conferre ægritudinibus eorum frigidis, &c. Galenus libro de Antidotis, notas quibus verum sagapenum ab adulterato & falso dignosci debet, describit, dicens breuiter: verũ sagapenum, statim aqua rigatũ soluitur, quod non tale est eliquescit minime, & subdit: Sciendum autem est, chalbani partem in sagapenũ degenerare, sicut etiam optima cassia, in cinnamomum transit, & vt tradit lib. vij. de Facult. simpli. medic. Sagapenum liquor est calidus, & tenuium partium, sicuti & alij liquores, sed absterſionem quandam obtinet, qua oculorum cicatrices expurgat, extenuatq; : suffusionibus etiam & hebetudinibus oculorum quæ à crassitie humorum proueniunt non malum est medicamen. At planta ex qua prouenit, ferulæ assimilis, imbecilla est, & inutilis.

DE EVPHORBIO.

Græcè, ἀφόρβιον: Latinè, euphorbium: Hispanicè, alforuiam, alforsion: Italicè, euforbio: Gallicè, euforbe: Arabicè, farbion.

Enarratio XCIIII.

Euphorbium.

VVlgare & commune, officinis gummi euphorbium est, quod Iuba Mauritaniæ rex in monte Athlante inuenit, & herbam arboreſcentem, vnde effluit nomine sui medici, euphorbij dicti, & Antonij Musæ sui fratris, medici Augusti Imperatoris, euphorbiam appellauit, quæ vt placet Dioscoridi ferulacea est, quanquam Plinius foliis achãtinis potius ornari tradat, non tamẽ sine textus menda, vt suspicor, quum loco, foliis narthicis, id est ferulę, achantinis, scriptum fuit, sed quòd ita Plinius emendandus sit Pintiano viro doctissimo, & maximo Plinij instauratori, olim in bonis literis apud Salmanticenses, præceptori nostro, committimus, non minusque Ioanni Ferdinando, vnico literarum ornamento, & apud Colimbricen

Plinius restituitur.

bricenſes publico bonarum literarum profeſſori, diſcernenda permittimus. Meſue tamen, folia polij marini eam habere tradit, ſed vtcunq; res ſe habeat, vero euphorbio nō caremus, quōd vt tradit Meſue, cætera omnia gummi genera, calfaciendo & ſubtiliando excedit: calidum enim & ſiccum vt illi placet in quarto gradu eſt, & calidius & ſubtilius omni eo quod calfacit ex gummis, & eſt in eo virtus aduſtionē faciens, &c. At Dioſcorides, & Galenus, euphorbiū, vim purgatoriam habere, non nouerunt: Paulus vero, Aetius, ac Actuarius maxime: de quo Actuarius libello ſuo, de Cōpoſitis medicamētis, ita tradit: Pituitam ſubducit, ſed potentius aquam, eſt autem celerrimum, & maxime ignea vi flagrans, vnde colicis, & aluum frigidiorem habentibus datur: cæteros vehemēter conturbat, ſitim maxime ciet, nonnihil ex odoratis ſeminibus ei eſt commiſcēdum. Modus triobolaris ex aqua muſſa, præſtat autem cum melle cocto in catapotia digerere, hactenus ille. A quo poſtea Arabes deſumentes, ex euphorbio pilulas parare ceperunt, aſciti morbo, id eſt aqueæ hydropi, vtiles. Porro recens euphorbium, & vnius anni, fortiſſimum eſt, & cuius drachmę tres, in potu hominem vrendo interficiunt, quum vero ſextum annum tranſcendit, vires in vniuerſum amittit, & in totum elangueſcit: vnde Galenus hæc ſciens lib. iij. de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera, ita de euphorbio tradit: Euphorbium ſane cùm principio bonum fuerit, & probè ſit repoſitum etiam anno tertio adhuc vim aliquam retinet, interim anno quarto: quinto autē & ſexto iam exoluitur: deinde procedente tempore in totum elangueſcit, & vt libro vj. de Facultatibus ſimpli. medicament. de eo quoq; tradit: virentem & tenuium partium facultatem ſortitur.

Euphorbium purgat.

Euphorbij ætas.

DE CHALBANO.

Græcè, χαλβάνη: Latinè, galbanum: Arab. bezard.

Enarratio xcv.

VVlgatiſsimum & tetri odoris galbanum eſt, quod chartilaginoſum ad ammoniaci ſimilitudinem, deſideratur: de quo Galenus libro viij. de Facultatibus ſimplicium medic. ita dixit: ſuccus eſt plantæ ferulaceæ, molliendi & digerēdi vi: calfacit enim ordine tertio incipiēte,

Galbanū.

aut completo secundo, siccat verò secundo incipiente.

DE AMMONIACO.

Græcè, ἀμμωνιακὸν: Latinè, ammoniacum: Hispanicè, aguaxaque: Gallicè, ammoniac: Arabicè, assach.

Enarratio XCVI.

POtius Ammoniacum, quàm Armoniacum, liquor iste appellandus est, quia vt tradit Dioscorides, in Libya, ad Ammonis Iouis templum nascitur, vnde & nomen trahere certum est: cuius duæ species sunt: altera præstans, Thrausma dicta, thuri persimilis, qua olim antiqui pro parandis suffitibus vtebantur, & ea de causa, Ammoniacum thymiama, à Paulo & Aëtio plerunq; appellatum comperimus. Altera vero species, phyrama dicitur, minus bona, harena & calculis permixta, quam dubio procul, commune nostrum Ammoniacum esse crederem. Iisvero Plinius libro duodecimo, capite vigesimo tertio subscribit, quum dicat. Ergo Aethiopiæ subiecta Africa, Ammoniaci lachrymam stillat in harenis suis, inde etiam nomine Hammonis oraculo iuxta quod gignitur arbor, quam metopion vocant resinæ modo aut gummi. Genera eius duo, Thrauston masculi thuris similitudine, quod maxime probatur, alterum pingue & resinosum, quod phyrama appellãt: de quo Galenus libro sexto de Facul. simpl. medic. ita tradit: Ammoniacum, cuiusdam ferulæ est lachryma, intensam emolliendi vim possidens, adeo vt articulorum tophos dissoluat, & lienes induratos sanet, & chœradas per halitum digerat.

Ammoniacũ thymiama dicitur

DE SARCOCOLLA.

Græcè, σαρκοκόλλα: Latinè, sarcocolla: Hispanicè, lancarotes: vulgò, sarcocolla: Arabicè, ansarot.

Enarratio XCVII.

SArcocolla lachryma, siue liquor densatus, officinis familiaris est, quæ ideo sarcocolla dicitur, quia mirifice carnis vulnera, agglutinet porro, ad ruborem inclinantem, & mannæ thuris simile, cum quodam amarore gustatam, laudat Dioscorides: Plinius vero eam potius albam, quàm rubram eligit. vt lib. xiij. cap. 11. apud ipsum quis legere poterit. Tu vero pharmacopola, si optimam dignosc

Sarcocolla amara optima.

dignoscere cupis, eam gusta: quòd si amaram inuenies, optimam esse dicas. Cæterum, sarcocollam vim purgatoriam habere, Mauritanorum inuentum est, & vt tradit Mesue, solutione educit phlegma crudum, & humores crassos, & proprie quod est in iuncturis & anchis, & mundificat cerebrum, & neruos, & pulmonem, & confert tussi, & astmati, & est ex rebus conferentibus senibus, & proprie phlegmaticis, &c. Calida enim in secundo ordine est: Sicca vero in fine primi, & vt tradit Galen. lib. viij. Simplicium, mixtam vim habet, ex emplastica quadam substantia, & paucula amara, itaq; citra morsum desiccat, ac proinde glutinare vlcera valet. *Sarcocolla purgat.*

DE GLAVCIO.

Græcè, γλάυκιον: Latinè, glaucium: Arabicè, memithe.

Enarratio XCVIII.

GLaucium Græcorum, vocant factionis Mauritanicæ medici memitham, vt ex Serapione deprehenditur, & ita esse res ipsa clamat, quum præter quod vulgata in officinis memitha ex Syria adferatur, in parte exteriore rubra est: in interiore vero lutei est coloris, sapore amaro, & odore tetro: quibus addimus, quòd oculorum affectibus mirum in modum subuenit, vt omni ex parte affirmandum sit, hanc memitham, cuius vsus frequens est, glaucium esse. Quòd vero memitha succhus chelidonij non sit, aut cornuti papaueris, explosum iam est, vnde fœde admodum Serapionis interpres hallucinatus est, quum succum chelidonij, memitham esse dixerit, quum revera succus herbæ Syriacæ sit, quæ licet in Syria nascatur, apud Louanienses quoq; eam gigni nouimus Dioscoridis delineationi omnino respondentem, de qua Galenus lib. vj. de Facult. simplic. medica. dixit ita: Astringit cum quodam fastidio, tum adeo insigniter refrigerat, vt solum sæpe erysipelata, si valentia nõ fuerint, curare possit, constat enim ex aquea terreaque substantia, vtraq; frigida. *Memitha.*

DE GLVTINO.

Græcè, κόλλα: ξυλοκόλλα: Latinè, glutinum: Hispanicè, grudel: Italicè, colla de carnicio: Gallicè, colle: Germanicè, Bepp.

Enarratio xcix.

Glutinum ex bubulo corio.

GLutinum quod ex bubulo fit corio, notum est, Rhodium Dioscorides laudat: At nos Hispanum Salmanticense, apud pontem paratum non procul à domo Celestinæ mulieris famosissimæ, & de qua legitur in comœdia Calisti & Melibeæ, cæteris anteponimus. Cæterum huius Galenus quod sciam, in suis libris Simplicium, nullam fecit mentionem: illius tamen, quod ex farina paratur, pro libris agglutinandis, meminit, lib. vij. sic ad istum modum dicens: Gluten quo ad libros præparant ex similagine & garo, emplasticæ cõcoctorięq; facultatis existit.

Gluten ex similagine

DE GLVTINE PISCIVM.

Græcè, ἰχθυόκολλα: Latinè, Ichthyocolla, piscium gluten: Hispanicè, colla de pece: Italicè, colla di pesce: Gallicè, colle de poisson: Arabicè, gara: Germanicè, Mundt leim.

Enarratio c.

ET hoc quoque satis est notum, cuius quoque Paulus meminit.

CONSTANTINVS.

GLutinum siue Græcis collan, authores nominant, quo tenaci nexu res conglutinantur & cohærent, quæ alio modo coire & coniungi aptius non poterant. Glutinamenti autem cum simplex sit ratio, multiplex tamen glutinis materia: quia non omnibus compingendis & coagmentandis rebus Glutinosa compositio vna sufficiat, aut corporis vnius quantumuis lenti & sociabilis impermixta natura. Chrysocolla enim quam Plinius sanderuam vocari scribit lib. xxxiij. cap. 5. nisi legendum sit santeriam, ferruminatur aurum, glutinum vero est argilla ferro, cadmia æri maßis, alumen laminis, resina plumbo, & marmori, sed plumbum nigrum albo iungitur, ipsumq; album sibi oleo. Item stannum æramentis, stanno argentum. In arboribus etiam ex quibus opera intestina fiunt, Glutinis magna ratio (vti etiã docet Plin. lib. xvj. cap. 43. Quia in omni genere & glutinum abducant quadam, & inter se & cum alijs mſociabili glutino, sicut robur. Sed nec ferè cohærent, nisi similia natura, vt si quis lapidem lignumq; coniungat. Quo factum vt glutini diuersa genera necessitas excogitarit, ad humanæ vitæ artificia, quæ postea ad suos

vsus

vſus nonnulla ex parte tranſtulit medicina. Eſt enim lithocollá quæ vtuntur in agglutinandis præcipuè marmorum fragmentis cum reliquo corpore: quæ lapide pario conſtat, ſiue marmore & glutino taurino. Eſt etiam alia glutinis compoſitio, quæ lapidis duritiem ſuperat ſimul atq; inaruit. Calx vino extinguitur, tunditur, additurq; ſuillus adeps & ficus: omniaque vnà probe ſubiguntur. Aliud genus eſt hoc quo cæmentarij vtuntur, quod fit ex picis Græcæ, piceæ reſinæ, ac pulueris laterum mixtura, duriſſimum dum frigidum eſt ac firmiſſimum, ſed ſi incaleſcat non ita fidele. De glutino autem chartarum quomodo parari debeat, legant glutinatores apud Plinium lib. xiij. cap. 12. Glutini alia genera quæ etiam in medicina locum habent, ſunt taurocolla Græcè dicta, ſiue xylocolla: & Ichthyocolla. Taurocolla quæ & ſimpliciter Græcè colla, vt author Ariſtoteles libr. iij. de hiſtoria animalium, fit ex coriorum boum mucoſo lentore, quòd in ijs abundet. Plinius vero lib. xxviij. cap. xvj. Glutinum fieri tradit ex auribus taurorum & genitalibus: nec quicquam efficacius prodeſſe ambuſtis. Nunc de Ichthyocolla, Idē author ſic prodidit lib. xxxij. cap. 7. Ichthyocolla appellatur piſcis, cui glutinoſum eſt corium, idemq; nomen glutino eius, hic Epinyclidas tollit. Quidam ex ventre nō ex corio fieri tradunt Ichthyocollam, vt glutinum taurinum. Et ab eo laudatur pontica quæ cutem erugat & extendit, cuius vicem hac in parte poteſt explere quæ à noſtris dicitur colle de bouche: parata ex mollua, piſce diuerſo à ſalpa aut Ichthyocolla cetacei generis. Glutinum deniq; & Ichthyocollam adinuenit Dædalus Plinio teſte libr. vij. cap. 56. parandi ratio ad vitrum etiam Glutinandum exponitur à Cardano libr. de varietate.

DE VISCO.

Græcè, ἱξὸς: Latinè, viſcum: Hiſpanicè, viſco: Italicè, viſchio: Gallicè, glu: frutex, guy, Arabicè, Dabach: Germanicè, Vogelleim, & miſtel *vocatur frutex.* Enar. C1.

DE viſco in præſenti ait Dioſcorides, quo aucupes pro irretiendis auibus vtuntur, naſcitur autem pluribus in arboribus, præcipue quercu, vnde viſcum quercinum per excellentiam eſt dictum: naſcitur quoq; ſuper aliis arbores, quorum acinis turdi veſcuntur, ac poſtea in illis cacantes, inde viſcum enaſcitur, vnde prouerbium *Viſcum.* *Prouerbiū*

Viſcum.

Lignum viſci.

hoc ortũ eſt, turdus ipſe ſibi malũ cacat. Verum ex Syria viſcum quoq; Venetias in magna copia affertur, quod ex ſebeſten paratur, & à multis Damaſcenum viſcum appellatur, non minus quoq; ex hibiſci radicibus aqua maceratis viſcum conficitur, vnde Poeta, aues fallere hibiſco dixit. Eſt autem hibiſcum, biſmalua, ſiue malua viſcũ dictum. Sed hic adnotãdum eſt, quòd ligni viſci, in operibus artis medẽdi, longe plurimus eſt vſus, vt Gẽtilis Fulginas, ac Iacobus de Partibus, in vſum duxerunt, & ipſum ob præclaras illi inſitas vires, lignũ ſanctæ crucis appellarunt, credunt enim, ac perſuaſum ſibi habent, contra epilepſiam, ac apoplexiam, & paralyſim, multum lignum hoc præſtare, tum intus epotum, tum vero in collo appenſum. Rurſus meminimus, quum de Chamæleone egimus, quòd ixia, ſiue viſcum, ad radices vtriuſq; Chamæleonis naſcens, ἰξιὰς eſt, veneni quoddam genus, quod Dioſcorides deſcribit libr. vj. huius voluminis, cap. xxj. At Galenus de viſco, ita libr. vj. de Facultat. ſimplic. medic. meminit: Ixos, id eſt viſcum, ex plurima aërea & aquea, pauciſsima terrena ſubſtantia conſtat, quare ex alto humores extrahit, eoſq; diffundit, & digerit, tempus autem vt calfiat poſtulat.

Ixia.

ἰξιὰς venenum.

DE APARINE.

Græcè, ἀπαρίνη: *Latinè*, *aparine*: *Hiſpanicè*, *preſera*: *Italicè*, *ſperonella*: *Gallicè*, *grateron*: *Germanicè*, Klebkraut.

Enarra

Enarratio CII.

Aparine.

EX iis herbis, quę primo occursu herbariis se offerunt, aparine est, herba sepibus & leguminibus familiaris: præcipue lentibus, plurimis serpẽs ramis, & illis quidem quadratis, hirsutis, vestibus facile hærentibus: in quorum medio, rotæ quædam, tanquam in calcaribus conspectæ, ex ramusculis prodeunt, veluti quoq; in rubea nasci videmus: vnde multi, hanc herbam, rubeam minorẽ, aut sylvestrem rubeam appellari non dubitabant: quum tamen, revera rubea minor, longe alia fit herba, radicem vtpote rubram habens: qua aparinem carere, certum est. Pandolphus autem Collinutius aparinen, lapariam vocari scribit, & mercurialis foliis vestiri contendit, non sine ingenti tamen, ne dicam pudendo errore. Huius porro herbæ succo, multi tanquam præstantissimo medicamine constringente vtuntur, & vt tradit Galenus lib. vj. de Facult. simplic. medi. modice extergit, & desiccat, habetq; nonnihil subtilium partium. *Aparine.* *Collinutius errat.*

DE ALYSSO.

Græcè, ἄλυσσον: Latinè, Alysson, rubea minor, Plinio incognita.

Enarratio CIII.

VAria de alysso iudicia referuntur, Nam Plinius lib. xxiiij. cap. xj. non procul à rubea differre alyssum contendit, vt eius hæc indicant verba: Erythrodanus, id est rubea tinctorum, distat ab eo qui alysson vocatur, fo-

liis tantum, & ramis minoribus, quippe nomen accepit, quòd à cane emorsos, rabiem sentire non patitur: potus ex aceto adalligatusque: ex quibus verbis, satis constat, alyssum apud Plinium, rubeæ tinctorum herbam persimilem esse, sed re vera, Dioscoridis alysson, à rubea multum abesse videtur, quia exiguus frutex alysson est, folia habens circinata, secundum quæ fructus exigui sunt, duplicis clypeoli figura, in quibus semen est, in latitudinem se æqualiter explicans, quæ omnia rubeæ non conuenire, notius est, quàm explicari possit. Ruellius vero, alyssum, sylvestrem canabem esse opinatur. Aëtius quoq; sermone primo, suæ medicinæ, alyssum aliam herbam à dictis facit, quum dicat: Alysson aiunt esse fideritim herbam appellatam, quæ iuxta vias nascitur, vbique purpureum florem habens, & folia crassiora: nomen inuenit, ex eo quòd commorsis à cane rabido mirabiliter succurrit. Nos vero, post tantam doctorum hominum dissentionem, & longam de hac re inuestigationem, concludimus, quòd Dioscoridis Alysson, eadem est herba, cum alysso à Plinio descripto, quæ proculdubio alia non est, quàm rubea minor dicta: non tamen ea, quam vulgares rubeam minorem appellant, nam rationabilius autem alysson rubea minor appellari meret, quàm vulgata herbula illa aparines similitudinem gerens, quum & si ambæ radices rubras habeant: Alysson tamen præter radicis ruborem, similitudinem in foliis magnam, cum foliis rubeæ tinctorum possidet, vnde hęc, rubea minor potius appellari debet: De qua Galenus libro vi. Simplicium ita tradit: Nuncupata est herba hæc alysson, quod mirifice iuuet morsos à cane rabido, sed rabienti quoque data sæpe in totum sanauit, ob totius substantiæ similitudinem, siccat autem digeritque mediocriter: ac præterea detergit nonnihil, qua ratione vitiliginem & ephelim purgat.

Alysson rubea minor est.

DE ASCLEPIADE HERBA.

Græcè, ἀσκληπιὰς: *Latinè*, *Asclepias*: *Germanicè*, Schvualben vuurtz.

Enarra

Enarratio CIIII.

Asclepias.

LOnge alia herba apud Ferrarienſes aſclepias monſtratur, quàm hedera terreſtris, non eſt igitur aſclepias, hedera terreſtris, vt multi falsò putant: nec illa altera foliis laurinis, ſed acutioribus veſtita, quã vicetoxicum vocant, vt Leonardus Fuchſius in ſuo prægrandi vaſtoque Herbario putauit: quo nomine verò, vera aſclepias apud vulgares vocaretur, expiſcare non valui: qua de cauſa, proprio tantũ nomine eam inſignitam dimittimus, de qua Galenus libro ſexto citato breuiſsime ita dixit: Huius nondum nos periculum fecimus. *Asclepias.*

CONSTANTINVS.

MAthiolus & Amatus immeritò diſcedunt à Fuchſij ſententia, cui etiam ſubſcribit Hieronymus Tragus, verior enim pictura nulla dari poteſt, nec vlla planta quæ magis Aſclepiadis notis omnibus reſpondeat, quàm eſt illa hirundinaria ſiue vicentoxicum Officinarum, cuius picturam illi proferunt. Viuam plantam multoties cũ Dioſcoridis deſcriptione & Plinij lib. xxvij. cap. 5. collatam omnibus numeris reſpondere comperimus. De ea Galen. lib. vj. ſimplic. Paulus lib. vij.

DE ATRACTYLIDE.

Græcè, ἀτρακτυλὶς: *Latinè, atractylis, fuſus agreſtis.*

Enarratio CV.

DEſudant aliqui multum in demonſtrãdo, quòd atractylis non ſit altera cartami ſylueſtris ſpecies, ſed revera fruſtra, quum atractylis, enici id eſt cartami ſylue- *Atractylis*

 ſtris,

Atractylis. 1.

Atractylis. 2.

ſtris, prima ſit ſpecies, vt ex Plinio facillimè deprehenditur, lib. xxj. cap. xv. ad iſtum modum dicente: Sed Aegyptij maximè celebrant cnicon Italiæ ignotam, ipſis autem oleo, non cibo gratam, hoc faciunt ex ſemine eius: differentia prima ſylueſtris, & ſatiuæ: ſylueſtrium duæ ſpecies, vna mitior eſt, ſimili caule: tamen rigido, itaque & colu antiquæ mulieres vtebantur ex illis, quam quidam atractylida vocant, ſemen eius candidũ, & grande, amarum, &c. Ex quibus liquido conſtat, atractylida, primam ſylueſtris cartami ſpeciem, à Plinio vocari, cuius hiſtoriam, plenius capite ſequẽti, eiuſdem libri deſcripſit, cùm dicat: ſcolimus quoq; floret ſero & diu, à corna colore tantum rufo diſtinguitur, & pinguiore ſucco, idem erat atractylis quoq; niſi candidior eſſet, & niſi ſanguineum ſuccũ funderet. Nec enim Theophraſtus lib. vj. de Hiſtoria plantarũ cap. iiij. à dictis diſsidet, quin potius illis aſtipulatur, quũ atractylida, inter ſylueſtris cartami genera adnumeret, & ex illius inciſis foliis, ſanguineũ ſuccum

Atractylis prima ſpecies ſylueſtris cartami.

cum efflui tradat: Hanc verò opinionẽ ſequitur doctiſsimus Ruellius, cui quoq; fauere videtur Aëtius ſermone primo ſuæ medicinæ, vbi atractylida, cnicum ſylueſtre interpretatur, vt demũ concludere debeamus, quòd atractylis ſylueſtris cartamus ſit. Secunda tamen cnici ſylueſtris ſpecies, carduus benedictus eſt, quem alij carduum ſanctum, alij verò herbam Turcam appellant, multis proculdubio dotatum viribus, nam contra omne genus veneni valere fertur, ſimulque contra peſtem: hodie verò illius magnus, & frequens eſt vſus, pro vino vel aqua ex Guaiaco ligno, contra morbum Gallicum conficiendo, nec ſane immeritò, quia exiccandi ac maligna vlcera curandi vires inſignes obtineat.

Secũda ſpecies cartami ſylueſtris carduus benedictus.

CONSTANTINVS.

Mathiolus Senenſis medicus maximi nominis, de Atractylide planè contrariam habet ſententiam, veriorem, necne, alibi ſtatuemus. Eius omnia argumenta, ſed interuertens, ſibi ſuo iure vendicat, vt conſueuit Amatus Luſitanus, ſuppreſſo etiam nomine authoris, quod eſt plagiarium. At in medio poſuit Deus omnia campo: verum, non tamen vt furari, ſed apertè ſumere & mutuari vnicuiq; liceat: quod hic noſter minimè facit.

DE POLYCNEMONE.

Græcè, πολύκνημον: Latinè, polycnemon.

Enarratio CVI.

SEmel mihi tantum polycnemonem herbam, videre contingit, & eam quidem, apud Ioannem Falconerium Anglum, quam libro ſuo, variis referto herbis agglutinatam habebat, Dioſcoridis deſcriptioni apprime reſpondentem: cuius vires ac temperaturam, Galenus vno verſu complexus eſt, dicens: polycnemon deſiccat, & excalfacit, ſecundo exceſſu, itaq; & ipſum vlcera glutinat.

DE CLINOPODIO.

Græcè, κλινοπόδιον: Latinè, clinopodium, pes lecti, montanum pulegium: Gallicè, pouliot de montaigne: Germanicè, Vverbel doſt.

Enarra

Enarratio CVII.

Clinopodium. Pes lecti.

CLinopodium idem est, ac pes lecti, ita dicta herba: quia flores suos per interualla vt in marrubio, ac rotas, lecti pedes referentes, habeat: cui nomina vulgaria, vt nobis ignota, prætermittimus: qui verò ea tenuerit in lemmate scribat ac in medium proferat. At Galenus de clinopodio ita lib. vij. de Facultat. simplic. medicament. tradit: Clinopodium excalfaciendi vim obtinet, sed nondum adurendi, est verò etiã essentia subtili, ponatq; ipsum quispiã in tertio ordine excalfacientiũ tum resiccantium.

DE LEONTOPETALO.

Græcè, λεοντοπέταλον: Lat. leontopetalon Officin. pata leonis: Gallicè, patte de leon: Ger. Levuen tapp.

Enarratio CVIII.

Leontopetalon.

PLinius capite vndecimo, lib. xxvij. ita de leontopetalo tradit: Leontopetalon, alij rhapeion vocant, folia brassicæ, caule semipedali, alæ multæ, semen in cacumine, in siliquis ciceris modo: radix rapo similis, grandis, nigra, nascitur in aruis: Radix aduersatur omnium serpentium generibus ex vino pota, nec alia res celerius proficit, datur & ischiadicis. Hactenus Plinius. Cæterum hæc in aruis non solum conspicitur, sed hortis perquam familiaris est, quam nõnulli patam leonis appellant, præsertim illius radicem nodosam, nigram, rapę æqualem, de qua ita dixit Gal. lib. vij. de Facult. simplic. medic. leontopetali radice maximè vtimur: digerendi facultatem, & exiccandi excalfaciendiq; in tertio ordine posidet.

Pata leonis.

DE TEVCRIO.

Græcè, τευκριον: Latinè, teucrion.

Enarratio CIX.

ADeo Teucri historia, pimpinellæ herbæ, acetariis familiari, respondet, vt contumax, & rudis dicendus ille sit, qui in hanc nõ condescenderit sententiam. Est igitur teucrium pimpinella herba, ideo pimpinella dicta, quòd odore, citrullum pipinum, vel peponem dictum, referat, vnde dubio procul, crederem, quòd huic herbæ nomen

Teucrium. 1. *Teucrium.* 2.

men, ab aliquo Hiſpano vel Græco homine impoſitum fuerit, quia citrullus pepo, apud Hiſpanos, Græco ſeruato nomine, pipinus dicitur: & quia herba iſta, citrulli ſiue pipini odore dotata eſt, inde illi pimpinellæ nomẽ inditum eſt. Dictis accedunt, quòd pimpinella teucrium ſit, quia, vltra quòd delineatione reſpondent, viribus quoq; ſunt pares, vt merito concludendum ſit, quòd vulgaris pimpinella teucrion Græcorũ ſit: cuius vires Galenus lib. viij. de facultatibus ſimplicium medica. ita enarrat: Incidit & tenuium eſt partiũ, quare lienes ſanat, ac exiccat quidem in tertio, calfacit autem ſecundo ordine.

CONSTANTINVS.

HOc Amati paradoxon decretum de Teucrio, propria abſurditate reuincitur: cùm nemo ferè ſit herbarius, qui non verum Teucrion ſiue Teucriam Plinio, hermion & ſplenion dictam nouerit, ſpargentem iuncos tenues, folia curua, auſtero ſapore, κρὶ ἀκαρπον: quæ omnia deſiderantur in pimpinella, cuius etiam radiculam ſuo more, etymologiam profert Amatus. Pimpinella

nella semen gignit: nec trixaginem plantam etiam optimè cognitam, refert. Quò melius quæ verior sit opinio possis liquidò statuere, legendus cum Dioscoride Plinius libro xxv. cap. 5. qui eius herbæ etiam meminit libro xxvj. capite octauo, & Galen. libro octauo simplicium medicament.

DE CHAMAEDRY.

Græcè, χαμάδρυς: Latinè, chamædrys, trixago: Hispanicè, chamedreos: Italicè, querciuola, chalamandrina: Gallicè, germandree: Arab. damederios: Germanicè, Gamanderlin.

Enarratio cx.

CHamædrys genitiuo casu apud pharmacopolas, chamædreos dicitur: latiniores verò, trixaginem vocant, quæ eadem cum chamærope siue gamandrea est: vulgaris herba ista est, chamædrys ita dicta, quòd infima quercus videatur, quam Itali tanquam antidotum à peste præseruans, ieiuno stomacho comedunt, & vt tradit Gale-

Trixago. 1.

Trixago. 2.

nus lib.viij.de Facultat.simplic.medic. Vincentem habet qualitatem amaram, & quodammodo acrem, quare merito lienes colliquat, vrinas & menses prouocat, crassitudinem humorum incidit, viscerumque obstructiones repurgat, calfacit itaque & desiccat tertio ordine, plus tamen calfacit, quàm siccat.

DE LEVCADE.

Græcè, λεύκας: *Latinè*, *leucas*.

Enarratio CXI.

QVod in hoc capite principiũ deest, testatur Marcellus Virgilius, & quòd ita sit, ratio indicat, quia quum de montana egit Dioscorides, de domestica prius egisse credendum est: cui adde, quòd Marcellus ipse affirmat, se ita capitis initium, in quodam Dioscoride Latino, inuenisse, Leuces duæ sunt species, altera domestica, altera verò agrestis, siue montana, Montana in hoc genere, & cætera. Sed quæ hæc sit herba ambigitur, quia Dioscorides illius exactam prętermisit historiam. Ruellius tamen, & ante eum Hermolaus Barbarus Venetus patritius, herbam in vineis nascentem, mercuriali persimilem, & quam pleriq; atriplicem rusticam appellant, leucada esse cõtendunt, de qua Galenus lib.vij.de Facultatibus simplicium medicamentorum ita tradit: leucas aerem possidet facultatem, exuberantem, temperaturã verò calidã siccamque in tertio quodammodo ordine.

DE LYCHNIDE.

Græcè, λυχνὶς: *Latinè*, *lychnis*, *bellaria*, *lychnis coronaria*: *aliqui*, Donner nægelin, oder bluotz trœpflin.

DE LYCHNIDE AGRESTI.

Græcè, λυχνὶς ἀγρία: *Latinè*, *lychnis agrestis*.

Enarratio CXII. CXIII.

VTraque lychnis nobis nota est, nã coronaria in hortis frequens videtur, folio calendulæ herbæ, sed magis hirsuto, latóve, quod viride, oleo inunctũ in flammam *Lychnis herba.*

ad

Lychnis ſatiua. *Sylueſtris.*

ad ignem accenditur, vnde nomen traxiſſe videtur: flos verò purpureus huic ineſt, inodorus, aſpectu gratus, ſimilis violæ cheiri Arabibus dictæ, à qua ſylueſtris non multum abhorret. Cæterum, Plinius, lychnida coronariam inter roſas connumerat: Sylueſtrem verò, antirrhinum eſſe credit: extra tamen omnem dicendi rationē, vt cuiq; mediocriter in re herbaria exercitato notum erit: At de lychnide, ita vt ſolet tradit Galenus libro ſeptimo huic operi dicato: ſemen eius calidum & ſiccum eſt, ſecundo quodammodo, aut etiam tertio ordine.

Plinius erraſſe.

CONSTANTINVS.

ALia eſt lychnis, alia verò lychnitis. Lychnitis enim quæ & thryalliis & phlonis dicta eſt, tertia ſpecies eſt phlomi, id eſt, verbaſci: de qua Dioſcorides lib. iij. cap. 104. & Plinius lib. xxv. cap. 10. De lychnide verò herba coronaria, hoc capite Dioſcorides: & Plinius lib. xxj. cap. 4. in quo de roſis agit, cuius hæc dictio: Eſt & quæ Græca appellatur à noſtris, à Græcis lychnis, non niſi in humidis

humidis locis proueniens, nec vnquã excedens quinque folia, violæ magnitudine, odore nullo. Est & alia gratula appellata, à conuolutu foliorum panniculis, nec dehiscens nisi manu coacta, semperq; nascenti similis, latissimis foliis. Et lib. xxj. cap. 11. lychnis & Iouis flos inter æstiuos flores numerantur. Idem vero Plin. lib. xxv. cap. 10. sic inquit: Antirrhinon vocatur siue anarrhinon siue lychnis agria, similis lino, radice nulla, flore hyacinthi, semine vituli narium. quo loco apparet quàm Amatus impudẽter, aut saltem imperitè Plinium reprehendat: Siquidem ipse Dioscorides lib. iij. cap. 33. disertis verbis scribit Antirrhinon, anarrhinon & lychnida agrestem vocari, semine vituli nariũ. Se reuocet igitur meritò Lusitanus, & Plinium immerentem calumnia exoneret.

DE LILIO.

Græcè, κρίνον: Latinè, lilium: Hispanicè, cebolla fecen, Italicè, giglio bianco: Gallicè, lis: Arabicè, susen, Germanicè, Vveiss Ligen, oder gilgen.

Enarratio CXIIII.

Lilium.

Lilium.

LIlium vulgare & officinis cõmune, sub lilio albo est, ex quo oleum paratum, mulieribus familiare habetur, cuius radix bulbosa emplastrum maturans apprime adornat, & de illius viribus Galenus lib. vij. de Facultat. simplic. medica. ita tradit: Lilij flos temperaturã mistam obtinet; partim ex tenui, partim ex terrena essentia, partim ex aquea, eaq; temperata, quare quod ex eo conficitur oleum, digerendi, emolliendiq; citra morsum facultatem sortitur, vnde fit, vt

vteri sit duritiebus aptissimum. Porro radix foliaque per se trita, desiccant, abstergunt, & digerunt moderatè: proinde quoq; ambustis competunt. Radicem ergo tostam, ac dein rosaceo cõtritam, ambustis, quoad obducatur cicatrix, imponũt, quum sit etiam vlcerum aliorum remedium. Emollit præterea vteros, mensesque prouocat: iterum, quum aut vitiligines, aut psoram, aut lepram, aut achoras, aut aliquid id genus extergere volumus, commiscemus illi aliquod aliorum medicaminum validius extergentium, cuiusmodi est mel: imposuimus verò etiam quandoq; & foliorũ succum cum melle & aceto coctum, eratq; respectu vtriusq; portio ipsius succi quincupla: atq; ita conficiebatur insigne medicamentum ad omnia vlcera, quæ exiccari absq; morsu postulant. Hactenus Galeni verba. Cæterum lilium alterum Italiæ hortis familiare, & sua lingua martagum dictum, flores albo similes, sed croceos mittens, quod Plinius lib. xxj. cap. 8. petilium appellat, huius speciem esse pro firmo teneo: Vnde Fuchsius reprehensione dignus est, qui lilium hoc asphodelum fœminam esse contendit, quum reuera, longe à descriptione abest, vt conferenti manifestum erit,

Martagũ. Petilium.

DE BALLOTE.

Græcè, βαλλωτὴ: Latinè, marrubium nigrum, marrubium fœtidum: Hispanicè, marroios negros: Italicè, marrobbio nero: marrobbio fetido: Gallicè, marrubin noir: Germanicè, Schvuartz andorn.

Enarratio CXV.

Ballote. ITa ballote siue marrubium nigrum melissæ herbæ foliis simile est, vt intuenti inter vtranq; discernere difficile sit, & nisi dubio procul odor esset dispar, alterum ab altera separans, vnam pro altera herbarij eradicarent, fœtida enim herba marrubiũ nigrum est: melissa verò odoratissima: non minus quoq; marrubium nigrum hoc galiopsi persimile est, sed flore differentia percipitur. Nam galiopsis, flores rubricantes ac purpurascentes habet: nigrum verò marrubium, albos, cuius naturam Galenus, sequutus est: Paulus tamen de illo, ita lib. vij. suæ medicinæ dixit: Ballote, quod alij marrubium nigrum dicunt, acris est, & abster

abſterſoriæ facultatis, impoſitum cum ſale, rabidi canis morſibus medetur.

DE MELISSOPHYLLO.

Græcè, μελισσόφυλλον: Latinè, Meliſſa, citrago, melitæna, apiaſtrum: Hiſpanicè, torongil, hierua cidrera: Italicè, herba roſa, cedronella, meliſſa: Gallicè, meliſſe: Arabicè, Bedarungi: Germanicè, Meliſſen.

Enarratio CXVI.

Apiaſtrum.

GRæcorum meliſſophyllon, noſtra eſt meliſſa, quę ideo citrago dicitur, quia, citri odorem habeat. Hęc enim vt Arabibus placet, quibus non parum medicos debere, doctiſsimi homines fatentur, quia medicinam ipſam ampliarũt, cordialiſsima herba eſt, vt apud Auicennam legimus libello ſuo de medicinis cordi faciẽtibus, & vt Serapio teſtatur, animam lætificat, & ieiuno ſtomacho comeſta, ventriculo frigido, & humido, confert: nam virtutem concoctricẽ illius roborat, & cerebri quoq; obſtructiones aperit: cordis quoq; imbecillitati cõfert, & cardiacam affectionem curat: non minus quoq; ſolicitudines, vmbras, timores, ac animi ſimiles affectus, à Melancholia & atra bile ortos, remouet: qua de re, non ſolum aqua per campanam extracta paſsim in officinis parata habetur, ſed etiam ſyrupus ex illius ſucco, quem cum ſuccharo,

charo, meis monitis, præclaris in ciuitatibus, in quibus diu egi, confici curaui, reperitur. Calida enim & ſicca ſecundo ordine meliſſa eſt, vt tradit Auicenna, loco à nobis citato, cuius quoq; Galenus lib. vij. de Facultatibus ſimplic. medic. meminit.

DE MARRVBIO.

Græcè, πράσιον; *Latinè*, *Praſium*, *marrubium*; *Hiſpanicè*, *marrois*, *marruios*: *Italicè*, *marrobio*; *Gallicè*, *marrube*: *Arabicè*, *faraſio*: *Germanicè*, Andorn, oder gotts vergiſs.

Enarratio CXVII.

Porrum.

PRaſium, marrubium eſt, praſſum vero porrum, cuius inaduertentia Plinius ſæpe in errorem labitur. Eſt autem marrubium herba vulgaris & officinis admodum familiaris, ex qua eclegma contra pectoris vitia paratum habetur, non minus quoq; ſyrupus ad eadem valens, praſinus dictus, vbique proſtat, qui ad tuſsim antiquam, aſthma, & longas pectoris ægritudines, à craſſa viſcida, & glutinoſa materia pendentes, multum facit, nō minus quoq; iecinoris, & viſcerum interiorum obſtructiones potenter aperit, illas præcipuè quæ à longis febribus originem & labem quandam contraxerunt. Quia vt tradit Galenus lib. viij. Simplicium, praſium amarum quum ſit, iecur ac lienem liberat obſtructione, thoracem & pulmonem expurgat, ac menſes promouet, ſed illitum etiam detergit & digerit: Calfacit itaq; ſecundo exceſſu completo, ſiccat autem tertio ineunte aut completo, ſucco eius ad aciei oculorum claritatem vtuntur cum melle, per naresq; auriginem purgat, ipſumq; ad inueteratos aurium dolores adhibent.

Marrubij temperatura.

CONSTANTINVS.

PLinium conſummata lectionis & eruditionis authorem, perpetim, vt eius verbo vtar, aut vt Varronis, indeſinenter vellicat Luſitanus, caſim quidem & punctim petens, nequaquam tamen feriens, vt malus gladiator veteranum militem. Praſium inquit hic, marrubium eſt, praſon verò porrum, cuius inaduertentia (ſic enim Pliniomaſtix inartificialiter loquitur, credo quia maſſectata verborum veritas, iuxta Quintilianum) Plinius in errorem

tem ſæpe labitur. Vt autem conſtet quàm falsò ſuggillet Plinium Luſitanus, luculenter Græcè ſcientem, ex ipſo Plinio teſtimonia producam. Marrubium inquit lib. xx. Cap. 22. plerique inter primas herbas commendauere, quod Græci praſion vocant. Et libro xxxvij cap. viij. de topazio loquens, & duo eius genera faciunt, praſoidem atque chryſopteron ſimilem chryſopraſio: Eius enim tota ſimilitudo ad ſuccum porri dirigitur. Ac in eodem capite: vilioris eſt turbæ praſius, cuius alterum genus, ſanguineis punctis abhorret, tertium virgulis tribus diſtinctum eſt candidum. Præfertur his chryſopraſius, porri ſuccum & ipſa referente, ſed hæc paulum declinans à topazio in aurum. Iam ne tibi videtur Amate, Græcorum linguam ſatis caluiſſe Plinius, vt praſi & praſij, id eſt, porri & marrubij ſignificationem poſſet exprimere, & alterum ab altero diſtinguere? Imo verò hoc ſciebat, atque amplius quod fortaſſe neſcis, vel ab ipſo didiciſti: lib. xx. cap. 17. Origani genus quod & praſion vocent Græci, et onitin. hoc quid ſit expendas, & ad verbi notationẽ, quãuis palleas ſemper, notabiliter expalleſcas. Diſce mecum adhuc ex eodem, quo ego præceptore vti conſueui, eſſẽ & maris fruticem phycos, & quia folia habet colore viridi, praſon et Zoſtera vocari, lib. xxxvij. cap 8. de quo Dioſ. lib. iij. cap. 100.

DE STACHY.

Græcè, στάχυς: Latinè, Stachys, Hiſpanicè, yerua olodera: Luſitanicè, hierua do ſouto: Germanicè, Feld andorn, riechen der andorn.

Enarratio CXVIII.

EST Stachys, herba inter cæteras herbas, odorem ſuauiorem, & præſtantiorem habens, qua de cauſa, Hiſpani à ſuaui illo odore, illam olodeam ſua voce, id eſt odoriferam appellant, quo fit, nos in lemmate quoque ipſam herbam odoratiſsimã appellare non dubitauimus, in vniuerſum enim, foliis meliſſæ herba iſta ſimilatur: ex quibus odor vt dixi ſuauiſsimus expirat, quam in Italia hucuſq; nunquam mihi videre contigit, Plinius porro, vt in hac re ſolet, hallucinatur, dicens Stachym folia porri habere, quum potius marrubij, dicere debuerat: Sed ille vocis vicinitate deceptus eſt, quia pro praſio, id eſt marrubio, praſſum id eſt porrum, interpretatus eſt, & de illius viribus Galenus ita tradit libro octauo de Facultat. ſimplic.

Stachys.

Plinius hallucinatur.

simplic. medicament. Stachys gustu est acri & amaro, tertiique calfacientium ordinis, vnde menses rationabiliter prouocat, facit tamen abortum, atq; secundas eiicit.

CONSTANTINVS.

SVperiori animaduersione, ostendimus Plinium prasi, & prasij apud Græcos non ignorasse differentiam: nec vocum germanitate deceptum vnquam fuisse, sed (vt quiuis potest alius vel etiam doctissimus) corrupti codicis vitio & culpa. vti illi accidit libro xxiij. cap. 15. cùm dixit: Ea quoque quæ stachys vocatur porri similitudinem habet, longioribus foliis, pluribusq;, & odoris iucundi, coloriq; in luteum inclinat'. cùm dicere debuisset marrubij, non porri. Sed legit Plinius (vt est indubitabile) πράσον, pro πρασίς, qui procliuis error est & ignoscendus, quem effecit vnius literæ detractio. Remittat igitur supercilium Amatus Lusitanus, nec fines excedat modestiæ: præsertim cum hoc erratum, non ignorantis linguam Græcam Plinij, sed mendosi exemplaris, perspicacibus Mathioli Senensis oculis, non suis inspexerit. Atq; vt vterque horum, imo verò omnes perspiciant, & indubitanter credant deprauati libri culpam fuisse: præter ea quæ superius pro ipsius Plinij excusatione protulimus, adijciemus argumentum euidentissimum istud, quòd dixerit, paucis admodum versibus antea quàm de stachy loqueretur: Ampeloprason in vinetis nascitur, foliis porri. Quid hac notatione & interpretamento clarius?

DE PHYLLITIDE.

Græcè, φυλλίτις : *Latinè*, *phyllitis*, *lingua ceruina*: *Hispanicè*, *lengoa ceruina*: *Italicè*, *lingua ceruina*: *Gallicè*, *langue de cerf*: *Germanicè*. Hirtz zung.

Enarratio CXIX.

Phyllitis lingua ceruina est.

SI quis exactè phyllitidis historiã introspexerit, omnino inueniet phyllitim eandem cũ lingua ceruina esse, quam peruersè admodum multi scolopendriã appellant, quia scolopendria, apud Græcos, asplenium est, Mauritanorum verò ceterach. Sed quòd phyllitis sit lingua ceruina, hæc attestantur notæ, prima, quia lingua ceruina, rumicis oblongiora speciosioraq; folia habet, aliquando numero quinq;, aliquando verò sex. Et plura, & illa quidem lineis illis transuersis, rubricantibus insignita, quæ tanquam vermiculi apparent. Secunda, quia lingua ceruina

Phalangium.

uina in puteis & vmbrosis locis plerunq; nascitur. Tertia, quòd in ea quoq; sapor acerbus reperitur. Quarta, quòd nec caulem nec florem aut semen ex se emittit, quæ omnia phyllitidi cõuenire, satis clare percipitur, nec enim moueor ob id quòd Ruellius, Leonicen. ac Fuchsius, linguam ceruinam hemionitidem esse dixerunt, quia revera, lingua ceruina phyllitis est, quæ nihil omnino cũ splene habet, nec illius, aut viscerisalteriusapperit obstructiones, imo potius compescit, ac cõstringit, vt eius indicat sapor: qualitas quæ nunquam errare finit, quia tamen pro scolopẽdrio, linguam ceruinam, in vsum multi trahebant, factũ est inde, vt eas vires, scolopendrio siue asplenio aut ceterach dicto, debitas, linguæ ceruinæ tribuissent. Nouistis enim asplenium siue ceterach, lienis minuendi insignes vires habere, quibus contrarias lingua ceruina possidet, vtpote constringentes ac obstruentes, vt eius sapor satis testatur, de qua Galenus lib. viij. de Facult. simplic. medic. ita tradit: Phyllitis acerba quum sit, merito & diarrhœas & dysenterias epota iuuat.

DE PHALANGIO.

Græcè, φαλάγγιον: *Latinè*, *phalangium*.

Enarratio CXX.

PHalangion vt meminit Galenus, trifolij species est, sic phalangion dicta herba, quia phalangiorum morsibus medeatur. Nam aliter imposita, aut applicita, similia inducere solet symptomata, quæ à phalangij animalis morsu oriri solent, quæ vero herba hæc sit, hodie ignoratur,

Phalangion.

ratur, de qua ita quoque Galenus lib. viij. de Facultatibus simplic. medic. meminit, dicens: phalangites sic dicitur, quòd morsis à phalangis auxilio sit, Est autem facultatis tenuium partium, & exiccantis, quare tormina lenit.

DE TRIPHYLLO.

Græcè, Τρίφυλλον: Latinè, trifolium: Hispanicè, angelina treuol: Italicè, trifoglio: Gallicè, treffle: Germanicè, Klee.

Trifolium. 1.

Trifolium. 2.

Enarratio CXXI.

QVi herbam Mauram, flauram, vel plantam leonis dictam, trifoliũ esse putarunt, omnino hallucinati sunt, quum herba matura illa dicta, trifolium odoratum, Dioscoridis cytisus est: nam trifolium hoc Dioscoridis, trifolium in pratis nascens est, cuius tria genera passim videntur, alterum foliis rotundis & magnis: alterũ verò acutis: tertium autem foliis quoque rotundis sed minoribus,

bus, quæ omnia, floribus lacteis, quandoque rubris, nonnunquam verò purpureis ornantur, & illa Plin. libro xxj. cap. 9. descripsit, dicens: Folio coronat & trifolium, tria eius genera, minyanthes vocant Græci, alij asphaltion, maiore folio, quo vtuntur coronarij: Alterũ acuto, oxytriphyllon: Tertium ex omnibus minutissimum, de quibus, cap. 35. libri. xviij. tradit, quòd imminente tempestate, inhorrescunt. Cæterũ Scribonius Largus, genus quoddam trifolij, apud montes Lunæ se vidisse inquit, præsertim quum Britannicum secaret iter, quod in Italia nunquam antea cõspexerat. Erat enim dictis simile, sed folio omnino acuto, vt in spinam terminari videretur, lanuginoso & crasso, nam caulis illi duorum pedum altitudine & ampliori erat, quod genus trifolij nos hucusque nunquam vidimus: Nam Trifolium, de quo in præsenti agimus, & pratense appellamus, primo rutã olet, postea verò quum ad cõsistentiam peruenit, bitumen olet, & odoratissimum est, De quo Nicander, in Theriacis, ita cecinit: *Scribonius Largus.*

A tribus hinc dictam foliis, si sumpseris herbam,
Non leue præsidium contra illa venena pararis,
Sunt & qui minyanthes eam, sunt qui tripetelon
Appellant, qualis loto est apparet imago,
Et similes rutæ, donec viget, edit odorem.
At flores vbi magna suos adnataq; membra
Cæperit, ingratum solet eructare bitumen
Collectum illius sume, & bene contere semen.
Apposiri quantum breue vas comprehendit aceti,
Atque bonum aduersus serpentes ebibe potum.

De hoc vero Galen. lib. viij. de Facultatibus simplicium medicamentorum ita meminit, dicens: Triphyllum, calfacit & siccat in tertio ordine, vt bitumen, cui odore est. Proinde potum laterum dolores ab obstructione natos iuuat, & vrinam menseſque prouocat.

DE POLIO.

Græcè, πόλιον: *Latinè*, *polium*, *polium montanum*: *Hispanicè*, *hierua vssa*: *Italicè*, *polio montano*: *Arabicè*, *giade*: *Gallicè*, *pouliot de montaigne*.

Enarratio CXXII.

DEcipiebantur annis elapsis pharmacopolæ, in colligendo polio montano, qui illius vice herbam quandam ramosam lino similem, & semine quodam rotundo ornatam accipiebant: nunc verò in veri polij montani cognitionem omnes ferè iam deuenerunt, in cuius summo, capitulum paruum cano hominis capillo simile apparet. Cæterum, Plinius, polium cum tripolio manifesto errore confundit, vt probe ostendit Leonicenus in epistola ad Hermolaum Barbarum, ter enim tripolium in die, floris colorem mutat, vt Dioscorides lib. iiij. tradit: non verò polium vt Plinius scribit, lib. xxj. cap. vij. imò quod peius est, quòd quæ floribus tripolij tribuuntur, ipse Plinius foliis polij condonat. Scripsit autem de polio Galenus lib. viij. citato, ad istũ modum: Amarum est, ac modicè acre. Obstructione itaq; omnia viscera liberat, vrinamque & menses promouet: at viride magna etiam vulnera glutinat, & maximè species eius fruticosa, aridum sanat rebellia vlcera, præcipuè quod minus est, & subdit: Polium minus, acrius & amarius est, quàm maius, adeò vt ex tertio sit ordine desiccantium: ex secundo verò completo calfacientium.

DE SCORDIO.

Græcè, σκόρδιον: Latinè, scordium: Arabicè, scordeon: Gallicè, scordeon, ou chamaras: Hispanicè, scordio: Germ. Vvasser batteng, oder lachen batteng.

Enarratio CXXIII.

EXplosus ab officinis error ille est, quòd scordiõ allium syluestre esset, qui sanè error non aliunde ortus fuit, quàm ex nominum vicinitate: est enim scorodon, allium: scordion verò, herba folio trixaginis, in aquosis plerunq; nascens, qua de causa, aquatica trixago dicta est. Huius enim folium fricatum, allia subolet, cuius causa alliaria dicta est herba, & quæ in theriaces compositione immitti debet, non verò allium syluestre. Est quoq; altera herba alliaria dicta, quòd eius quoq; folia manibus tractata, alliorum

Alliaria herba.

Scordium.

Alliaria.

liorumodorem expirent, cubitalis enim & amplior herba ista est, folio atriplicis armolæ dictæ. Cæterum, optimum scordion ex Creta affertur, vt tradit Galen. libro de Antidotis primo, ad istum modum: scordiũ optimum ex Creta nobis aduehitur, quod quidem cadauera supra ipsum iacentia, diutissime tueri à putredine proditur.

DE TVSSILAGINE.

Græcè, βήχιον: *Latinè*, *tussilago*: *Officin. vngula caballina*: *Hispanicè*, *vnha de asno*, *farfara*: *Italicè*, *farfara*: *Gallicè*, *pas d'asne*: *Germanicè*, Ross huob, oder brandtlattich.

Enarratio CXXIIII.

BEchion ea est herba, quam officinæ farfaran, siue farfarellam, aut vngulam equinam, vel caballinam appellant, quæ mirum in modum tussi succurrit, præsertim, si per infundibulum eius fumus ad prunas suscipiatur & deuoretur, non immerito recẽtiores ea in multis pectoris vitiis

vitiis hodie vtũtur,& vt refert Galenus sexto Simplicium, bechium inde adeo nuncupatum est,quòd bechas, hoc est tusses & orthopnœas iuuare fit creditũ, siquis folia arida, aut radicem in prunis vrens ascendentem inde fuliginem inspiratu attrahat. Est autem modice acris, vt sine noxa, molestiáve omnes thoracis abscessus credita sit rumpere: sane folia virentia partes cruda phlegmone obsessas illitu extrinsecus adiuuant, nempe ob aqueæ substantiæ admistionem, qua omnia viridia teneraque participant, alia plus, alia minus. Nam sicca bechij folia acriora sunt, quàm vt phlegmonis cõueniat. Hæc Galenus. Ad radices verò tussilaginis maturæ & cõpletæ, inchoãte hieme, lana quædã reperitur, ex qua cocta, ignis fomentum, esca dicta paratur, quæ celerrimè, tacto ilice lapide cũ ferro, accenditur,& eam Germani passim in nundinis vendunt.

DE ARTEMISIA.

Græcè, ἀρτεμισία: Latinè, artemisia: Hispanicè, artemisa: Italicè, artemisia: Gallicè, armoise, & herbe S. Jan: Germanicè, Beyfuoss.

Artemisia maior.

Minor.

SECVNDA TENVIOR ARTEMISIA.

Græcè, ἀρτεμισία λεπτόφυλλος: Latinè, tenuior artemisia.

Enarratio CXXV.

ARtemisia ab Artemisia, vxore Mausoli regis, quæ sibi hanc herbam vendicauit, dicta est, & est duplex, Altera, latifolia hortensis, odore acuto, sapore verò amaro: Altera verò matricaria dicta tenuifolia, à Græcis leptophyllos appellata, nec enim in eam imus sententiam, quòd matricaria hæc parthenium sit, vt Mathiolus contra omnes ferè grauissimos medicos cõtendit, quum reuera, tenuifolia artemisia, vulgaris matricaria est, nam parthenium brusaculum, herba fœtida camomillæ similis est, vt suo dicemus loco. Galenus tamen de artemisia ita lib. vj. Simplicium tradit: Duplex est, vtraq; tamen calfacit secundo ordine, intenso autem primo, aut secundo remisso desiccat, estq; tenuium partium, vnde calculis renum, vteriq; fomentationibus haud mediocriter congruunt. Hæc Galenus. Cæterum sequens caput, cui titulus est, de tenuifolia artemisia, vt alienum, & in multis codicibus non repertum prætermittimus. *Mathiolus errat.*

CONSTANTINVS.

NIhil certius quàm illud caput de Artemisia Leptophyllo ascitum & spurium esse: cuius fidem facit vetustissimum exemplar Græcũ Dioscoridis, in bibliotheca regia de Fontaine de bleau, in quo illud caput non legitur: testes etiam Mathiolus & Tragus, quorum authoritatem plurimi facio. Laterem itaque lauat Amatus, & quotquot super hac re disceptant.

DE AMBROSIA.

Græcè, ἀμβροσία; Latinè, ambrosia: Gallicè, herbe à vin.

Enarra

Ambrosia.

Enarratio centesima vigesimasexta.

GRæcorum ambrosia, recentiorum tanacetum est, de qua Galenus breuissime ita libro sexto Simplicium locutus fuit: illita vim habet astringentem, ac repellentem.

CONSTANTINVS.

ABsurdà admodum opinio & iam explosa à Marcello Virgilio, quo authore non cognoscitur Ambrosia, falso tamen id asserente. Plinius allegat inter artemisiæ genera: vt tanacetum Tragus, inter anthyllidis species. nos hoc controuersum in alio opere componemus.

Botrys.

DE BOTRY.

Græcè, βότρυς: Latinè, botrys: Gallicè, pymen: Germ. Türckischer beyfuoss.

Enarratio CXXVII.

HAec superiorum, species quædã est odorifera: quã vniuersi Germani inferiores, prope diem diui Ioãnis colligunt, eamque inter vestes suas panni pretiosissimas,

fissimas, quibus maxime abundant, interponunt, quam Galenus tacuit, sed Paulus lib. suo septimo ita de ea dixit: botrys, quam alij ambrosiam, alij artemisiã dicunt, planta est insigniter odorata. Hæc cum vino pota, subrecta cervicem spirantibus quos orthopnoicos appellat succurrit.

DE GERANIO.

Græcè, γέρανιον: *Latinè*, *geranium*: *Hispanicè*, *pico de ciguenha*, *agueyas pampilhos*: *Italicè*, *rostro di grua*: *Gallicè*, *Eguille à berger*, *pied de coulomb*, *herbe Robert*: *Germ.* Storkenschnabel.

Geranium. 1.

Geranium. 2.

Enarratio CXXVIII.

PLinius libro vigesimo sexto, capite vndecimo, Geranij tria facit genera, quorum vltimum, apud Dioscoridem primum descriptum geranium est, quod anemonis folia habet, & inter ea, oblongas quasdam acus, ciconiæ aut gruis rostro persimiles, vnde herba nomen accepit:

nam

nam radicem rotundam posſidet,& illam quidem albam: ſecundum vero genus geranij Plinij, idem eſt, cum ſecundo, à Dioſcoride deſcripto, folio maluæ, ſed minori, & acubus quoq; illis inſignitum, quod multi pedem columbinum appellant, herbam duorum cubitorum, quam nonnulli, ſed falſo amomum quoq; vocant, cuius alteram nouimus ſpeciem, à multis dictam momordicam, reliquam vero dictam robertianam, ſiue robertam, quam Ruellius, non ſine errore Mirrhida apud Dioſcoridem eſſe credidit, quum Mirrhis, longe alia eſt herba, vt quarto libro latius dicemus. Aduertendum tamen eſt, quòd primum genus geranij, apud Plinium delineatum, noſtratum acus muſchata eſt, quia inter ſe, cum foliis, tum odore, & ſapore conueniunt, ideo enim acus muſchata dicta herba, quia præter quod acus illas, gruis roſtrum, referentes habeat, moſchi odorem ex foliis exſpirat, vnde moſchata potius quam muſchata dicēda herba eſt, quam quoq; falſo Ruellius primum genus geranij apud Dioſcoridem putauit, quia vltra quòd foliis non conueniant, radicæ quoq; differunt: Nam primum geranium Dioſcoridis radicem habet rotundam, acus vero moſchata, ea caret: vt eas inter ſe differre, certum ſit. Quare, vt noſtram ſententiam tandem interponamus, dicimus, quòd primum geranium Plinij noſtratum eſt, herba acus moſchata dicta: primum verò geranium Dioſcoridis, vltimum eſt Plinij, herba vbiq; vulgaris: ſed ſecundum geranium Dioſcoridis, ſecundum quoq; eſt Plinij, herba pes columbinus iam ab herbariis dicta, cuius duæ ſpecies ſunt, altera dicta robertiana herba, altera vero momordica. Vulnerariæ omnes iſtæ herbæ ſunt, quarum decoctum, & puluis, contra inteſtinalem rupturam in potu multum prodeſt: De quibus omnibus Galenus libris Simplicium, nullam facit mentionem: Paulus tamen libr. vij. ſuæ medicinæ, breuiſsime ad Dioſcoridis mentem ita dixit: Geranium id quod foliis reſpondet anemonæ, radicē habet eſculentā quę cū vino denarij modo pota, vteri inflationes diſſoluit, altera geranij ſpecies ad medicinā inutilis eſt.

Momordica.

Robertiana.

Roberta herba.

DE GNAPHALIO.

Græcè, γναφάλιον: Latinè, gnaphalium.

Enarra

Enarratio CXXIX.

Gnaphalion. Cẽtumculus tomentum herba Herba Zigi.

GNaphalion, centumculus, vel centumcularis, aut tomentum herba dicitur, folia habens tenuia, alba, & mollia, imò tota ipsa herba albicat, & mollicula est, & ea de causa, vice tomenti, à multis vsurpatur, quæ ab Anconitanis herba zigi appellatur, & ea pro restauranda intestinali ruptura, & constringenda aluo, ac glutinandis recentibus vulneribus, chirurgici passim vtuntur, quam Plinius quoq; lib.xxvij.cap.10.ita describit quum dicat: gnaphalion, alij chamæzelon vocant, cuius foliis albis mollibusq; pro tomento vtuntur, sane & similia sunt, datur in vino austero ad dysenteriam, ventris solutiones, menseſq; mulierum sistit, infunditur autem tenasmo: illinitur, & putrescentibus vlcerum. Cæterum Hispani, Lusitani præcipue hanc herbam hirundinum vocant, an forsan quia ea hirundines suos exornant nidos.

CONSTANTINVS.

GNaphalion non est centumculus vt vult Lusitanus: diuersa enim planta est, à Gnaphalio centumculus, quem his verbis depingit Plinius lib.xxiiij.cap.15. Itali centumculum vocant rostratis foliis, ad similitudinem capitis pennularum, iacentem in aruis, Graci autem clematidem. Cuius egregius effectus ad sistendam aluum in vino austero. postrema hæc clausula de viribus centumculi, quia respondet cum his quæ ab eodem Plinio traduntur lib.xxvij.cap.10.de gnaphalio effecit vt Gesneri viri comprimeruditi hæsitationem, Amatus in asseverationem conuerteret. Ille enim libro à se conscripto de historia plantarum, Gnaphalion centumculum esse dubitanter protulit, hic vero assceueranter, & id quidem cumulatè: scilicet gnaphalion centumculum esse, vel centumcularem, aut tomentum. Copia hæc, sed inepta, nè quid dicam grauius. Non etiam Gnaphalion est ea planta, quam non minus doctus, quàm diligens Fuchsius, cuius etiam astipulator Lusitanus, pro gnaphalio demonstrat. nam ea, teste Mathiolo medico, & in re herbaria principe, potius est impia dicta herba, quam itidem fons literarum Plinius delineat libr.xxiiij.cap.19. Equidem, vt ingenue fatear quid super hac re senserim, in suam sententiam me ferè perduxit Hieronymus Tragus, & ipse non leuiter in plantarum inquisitione versatus: qui pro vero gnaphalio ostendit hoc harundinacei generis, siue, vt ipse habet, iuncei

graminis, quod in vliginosis prouenit, caule terete & enodi, quodq; fert obbam & paniculam lanuginosam, tomento molliss. simo, & candidissimo Gossipÿ modo. præter authoritatem viri cum ratione coniunctam: hoc accedebat, quòd me legere memineram, Apud antiquos tomenti duplex fuisse genus: Leuconicum, quod fiebat ex lana alba concisa: Aliud Circense ex harundinibus ad stibadia, vel stramenta plebeiorum in circo Romano. Cuius testimonium apud Senecam de beata vita, & Martialem lib. xiiÿ. quo loco inquit:

Tomentum concisa palus Circense vocatur:
Hoc pro Leuconico stramine pauper emit.

Causa vero cur ab hac hæresi desciscam, ea est, quòd de tomento in panicula, nulla quæstio sit: sed de albore ac mollitie foliorum, quæ tomenti vicem ob hoc expleant. quæ omnia in hoc calamo quem proponit Tragus, desyderantur: tametsi plausibilior & acceptior eius opinio videri poterat, quòd typha palustris etiam harundinis historiam, gnaphalio subiungat Dioscorides: qui tam breuiter atq; concisè hoc ipsum percurrit, vt commodùm intergnosci queat, ab eo traditis notis (vt regula Lesbia cuiuis parieti) quàm plurimis alÿs plantis, se se accommodantibus. Plin. verò qui solet omnes difficultatis nodos expedire, hunc de gnaphalio magis constringit, & fere reddit inexplicabilem. Etenim cum dixerit lib. xxvÿ. cap. 10. Chamæzelon vocari, lib. xxv. capite 9. Chamæzelon vocat Quinquefolium. Quinquefolium inquit, nulli ignotum est, cum etiam fraga gignenda commẽdetur, Græci vocant pentapetes, siue chamæzelon, siue pentaphyllon. Quare ne in errorem inextricabilem incidamus, si in rebus ita perplexis aliquid inconsideratè statuerimus, adhuc ampliandum censeo.

DE TYPHA.

Græcè, τυφη: *Latinè*, typha: *Hispanicè*, bohordo, iunco ama corocado: *Italicè*, mazaforda: *Gallicè*, roseau à masse, marteau, ou ionc marin: *Germanicè*, Moss kolben, oder narrenkolben.

Enarratio cxxx.

Typha & tipha differunt.

TYpha genus quoddam frumenti dicitur: At typha, iuncus quidam leuis, lacubus & paludibus familiaris, in altum crescens, & enodis est, in cuius summitate pappus quidam densus apparet, quem pueri, manu carpentes

Typha.

pentes, per aërem tanquã passerculos mittunt, & illum Itali, mazam surdam appellant, ea de causa, quia si contigerit in aurem cadere, surdastrum hominem reddit? cæterum è radicibus typhæ, folia enascuntur, quibus sedilia muliebria & puerilia texuntur, non minusq; phialæ, & cœnophora vestiuntur, de qua nullam quod equidem obseruauerim, mentionem Galenus aut ipsius simia Paulus fecere: infimæ tamen plebis homines, in nonnullis locis, suas culcitras typha interius albescente, vice gossipij, aut lanæ implent. Medetur enim panicula illa, siue pappus, ambustis præsertim si adipe excipiatur.

DE CIRCAEA.

Græcè, κιρκάια: Latinè, circæa.

Enarratio CXXXI.

QVæ nam circæa hodie sit herba, ignoratur, quæ ideo circęa dicitur, quia Circe famosissima incatatrix, ea multoties ad veneficia sua vtebatur, de qua Plinius ad Dioscoridis mentem lib. xxvij. cap. viij. sic inquit: Circęa, strychno satiuo similis est, flore nigro, pusillo, paruo semine, vtmilij, nascente in quibusdam corniculis, radice semipedali, triplici ferme, aut quadruplici, alba, odorata, gustus calidi, nascitur in apricis saxis, diluitur in vino, bibiturque: ad dolorem vuluæ & vitia. macerari oportet in sextariis tribus quadrantẽ radicis tusę per noctẽ & diem. Trahit eadem potio secundas semine, lac minuit in vino aut mulsa aqua pota. In iis enim vltimis verbis Plinius Dioscoridi cõtradicit, quum dicat, lac circæam minuere, nam

Plinius contradicit Dioscoridi.

nam Dioscorides potius circa lac prouocare tradit, cui Galenus quoq; lib. vij. de Facultat. simplic. medicamentorum fauet, dicens: Dioscorides ait, radicem eius ex vino dulci potam, secundas purgare, est enim boni odoris, & calfactoria; semen autem eius in sorbitione exhibitum, ad lactis generationem conducit.

Oenanthe.

DE OENANTHE.

Græcè, οἰνάνθη: *Latinè*, *œnanthe*, *filipendula*: *Hispanicè*, *filipendola*: *Gallicè*, *filipendula*: *Ger.* Rot steinbrech, & vuild garben.

Enarratio CXXXII.

OEnanthe multorum consensu, recentiorum filipendula est. Est quoque altera œnanthe vitis sylvestris flos, de qua suo loco plura.

DE CONYZA.

Græcè, κόνυζα: *Latinè*, *conyza*, *pulicaria*: *Hispanicè*, *attadegua*: *Italicè*, *conyza*: *German.* Hunds aug, dürrvuurtz.

Enarratio CXXXIII.

OB oculos maiorem & minorem conyzam habemus, quas hucusq; perpauci nouerunt. Est enim conyza minor, herba sarmentosa, ad summum cubitali altitudine crescens, caule rotundo, & hirsuto, à quo pluret ramuli prodeunt foliis acetosæ paruæ similibus, sed circinatis, resinosis, ac boni odoris, in quorum ramulorum summitatibus flos luteus, camomillæ flori æqualis, sed

sapor

saporis acuti ad amaritudinem tendentis videtur: Maior vero conyza duplo maior crescit, folio oliuæ crasso, resinoq;: ex quo odor grauis, non adeo iniucundus oritur, in cuius summitate flos quoq; minori non absimilis nascitur. Crescunt autem herbæ istæ vbiq; præsertim hic Anconæ non procul à muro, quæ mense Augusto florent, & de illis ita Galenus lib. vij. de Facul. simpl. medi. tradit: Coniza & maior & minor adsimilis sunt, tum temperaturæ, tum facultatis, gustu amaræ & acres, luculenter autem excalfaciunt, siue quis folia cum teneris ramulis parti infricet, siue vbi oleo incoxerit, eo vtatur, siquidem rigores per circuitum redeuntes sanare tale oleum videtur. Consimilis quoq; flores sunt facultatis, quos quidem nonnulli ex vino propinant, ad educendos menses, atq; pellendũ fœtum. Est & tertiũ conyzæ genus in locis humidioribus nascẽs vtrisq; illis graueolẽtius & imbecillius: at primæ memoratæ calfaciunt & siccant in tertio ordine.

Conyza temperatura.

DE HEMEROCALLI.

Hemerocallis.

Hemerocalles.

Græcè, ἡμεροκαλλὶς: Latinè, ſylueſtre lilium, lilium pallidum: Hiſpanicè, lirio amarilho: Italicè, giglio ſaluatico gialo: Gallicè, lis ſauuage: Germa. Geel gilgen, goldt vuurtz, heydniſch bluom.

Enarratio CXXXIIII.

Hemerocallis.

HEmerocallis, lilium ſylueſtre eſt, pallidum florem habens, quod in aruis & incultis vineis naſcitur, radice bulboſa ad luteum vergente, qua de cauſa Hiſpani lilium pallidum, aut luteum lilium appellant. Qui hemerocallim lilium conualliũ eſſe putarunt, omnino errant, de quo capite de ephemero plura legito: ſed de hemerocalli, ita tradit Galenus lib. vj. de Facul ſimpl. medicamẽ. Hemerocalles radicem habet lilij radici ſimilem, & figura & viribus: prodeſtq; vt illa, igni ambuſtis, nimirum tum leuiter digerens, tum nonnihil aſtringens.

DE VIOLIS LEVCOIS DICTIS.

Leucoium luteum. *Leucoium purpureum.*

Græcè, λευκόιον: *Latinè, leucoion, viola alba, viola matronalis: Arabicè,* keiri: *Hiſpanicè, alilis, violetas amarilhas, violetas blãquas: Italicè, viola giala e biancha: Gallicè, violes, violiers, giroflees: Germanicè,* Geel violen.

Leucoium luteum.

Purpuraſcens.

Enarratio CXXXV.

Violæ quæ leucoia Græcis dicuntur, ab Arabibus keiri appellantur, cuius differentiæ ſunt plures, aliæ albæ, à quibus potiſsimum leucoia dicuntur, aliæ purpureæ: aliæ vero luteæ, quæ cæteris primatum obtinent, & in muris, & veteris parietibus, frequentiſsime naſcuntur. Hæc vero omnes, tum qualitatibus, tum quoq; viribus contrariæ ſunt violis nigris, ferrugineis dictis, quæ propria & abſoluta voce, violæ dicuntur, & veris initio iuxta muros & ſepes, & inter dumeta, non ingrato odore, purpureo colore naſcuntur, frigidæ natura, de quibus *Leucoion. Keiri.*

lib.iiij.sermo habetur. Hæc vero quibus de agimus,calidæ sunt, & morbis muliebribus familiares,de quibus Galenus libr.vij.Simplicium, ita tradit: Leucoion extergit ac tenuium est partium, plus tamen flores, ac præcipuè qui sunt sicciores: hi quippe & oculorum crassas cicatrices extenuant, præterea menses, eorum decoctum mouet, secundas, & partum emortuum elicit, bibitumque facit abortum, maxime amarum quum sit: Quòd si eius vires multa mistione aquæ frangantur, erit contra phlegmonas,& difficilia vlcera commodũ medicamen: semen etiam est eiusdem facultatis, radicesq; similiter, nisi quod hæ sunt crassioris essentiæ, terreæq; magis, cum aceto tamen lienes induratos persanant. Hactenus Galenus.

Keiri purpureum.

Cæterum scire licet, quòd planta siue frutex purpureas violas ferens, quas Dioscorides in præsenti describit,post tertium ætatis annũ flores non simpliciter purpureos,sed albedine mixtos, ac emaculatos mittit, tã visui gratos,vt cum caryophyllis,floribus cõmunibus certare, nõ solum pulchritudine,sed odoris suauitate videantur. Quibus de causis,ab omnibus in fictilibus ad fenestras aluntur, & in omniũ manibus frequentissimè veris tempore habentur.

DE CRATAEOGONO.

Græcè, κρατ αιόγονον: Latinè, crataeogonon.

Enarratio CXXXVI.

QVæ hodie cratęogonos sit, ignoratur.

DE FOLIO, HERBA.

Græcè, φύλλον: Latinè, phyllon, folium: Germanicè, Ein blat.

Enarratio CXXXVII.

HAnc Ruellius alteram persicariã esse credidit, quo verò iudicio, alij iudicent, Est verò hodie

Phyllon thelygonon.

hodie herbula quædam, vnico tantum ornata folio, inde vnifolium dicta, semen racemosum, serpentis similitudinem ferens, ex qua oleum conficitur, pro glutinandis vulneribus accommodatissimum.

DE ORCHI.

Græcè, ὄρχις: Latinè, testiculus canis: Hispanicè, coyon de perro, hierua, sed corrupte, satyrion: Arabicè, chastalkel: Gallicè, souppe au vin, ou couillon de chien: Germanicè, Rag vurtz.

ALTER TESTICVLVS. CANIS.

Græcè, ὄρχις ἕτερος: Latinè, alter testiculus canis: Germanicè, Knaben kraut.

Orchis.

Cynosorchis.

Enarratio CXXXVIII. CXXXIX.

Palma christi herba.

NOn ſolum duo hæc genera teſticuli canis in officinis habentur, ſed plura alia, inter quæ, palma Chriſti herba reponi debet, ſic ab herbariis dicta, quia ſimilitudinem in radice cum humana palma habet, quam quoque Auicenna, digitum citrinum appellat, cuius folia punctis quibuſdam, veluti ſtigmatibus, decorantur. Verum Leonardus Fuchſius, in ſuo vaſtiſsimo Herbario, hanc inter Satyriones reponit, ac depingit, quem quoque imitari video, fratres Meſues Antidotarij enarratores, non ſine errore tamen: quia ſatyriones, vnica tantũ naſcuntur radice, & illa quidem bulboſa, pomi magnitudine: non verò duabus, vt illi delineant: Reuera tamen ad errorem paruum conniuendum fortaſsis eſt, quum ſatyrionis loco, quodlibet genus teſticuli canis, accipi poteſt, quia eaſdem fere communes vires obtineant, præſertim, ad veneré irritandam, & pruritum libidinis excitãdum, calidæ enim & ſiccæ radices digiti citrini ſunt, & vt Auicennæ placet, in ſecundo ordine. At de teſticulis canis Galenus libro octauo de Facultatibus ſimplicium medicamentorum ita tradit: Orchis, id eſt teſticulus canis, radici eius bulboſę & geminæ, vis ineſt humida, & calida, guſtantibúſq; dulciuſcula. Cæterum maior radix multam habere videtur humiditatem excrementitiam, & flatulentam: quapropter epota venerem excitat: Minor verò, quũ ad calidius & ſiccius vergat, tantum abeſt vt ad coitum ſtimulet, vt etiã cohibeat, & reprimat. Eduntur bulborum more, toſtæ, ſub nomine vtdiximus ſatyrionum hodie.

Fuchſius errat.

DE SATYRIO.

Græcè, σατυριον: Latinè, ſatyrion: Arabicè, iatarich: Gallicè, ſatyrion: Hiſpanicè, ſupinos de raposa: Germanicè, Creutz bluom.

Enarratio CXL. CXLI.

DEſiderantur hodie veri ſatyriones, vnum tantum bulbum pro radice habentes, ſic ſatyriones, à ſatyris ſalacibus animalibus dicti, quorum loco, teſticuli canum herbæ ſuperiori capite deſcriptæ ſuſcipiuntur ſic dictæ, quia duos habeãt bulbos canum teſticulis ſimiles. Verum, cùm

Dioſco

Satyrium trifolium.

Basilicum.

Dioscorides dicat, in hoc textu. 141. Venerem satyrionem stimulare, si quis manu tantum radices eius gestauerit, in mentē venit herba illa, de qua Theophrastus dixit, lib. nono de Causis plantarum, capite vigesimo, ad istum modū: Ad rem autem Veneream mirum in modum herba pollebat, quam Indus attulerat: non enim solum edentibus, sed etiam tangentibus tantum genitalibus vim dixere vehementem adeo fieri, vt quoties vellent coire, valerent, & quidem qui vsi fuerunt duodecies egisse dixerunt. Indum autē ipsum, qui vel magno, atq; robusto corpore erat, septuagesies aliquando coiuisse fatentē licuit audire, verum emissionem seminis guttatim fuisse, demumq; in sanguinem deuenisse: & cętera. Porro de satyrionibus ita meminit Galenus libro octauo, de Facultatibus simplicium medicamentorum: Satyrion, triphyllon, humidum calidumque est temperie, ob idq; dulce, recrementitiam tamen & flatuosam humiditatem possidet, quo circa ad venerem incitat. *Herba venerea.*

DE

DE ORMINIO.

Græcè, ὄρμινον: Latinè, horminum.

Enarratio CXLII.

Orminium

EST proculdubio, orminum, ea herba quam hodie omnes communi voce galli cristam siue sclaream, aut Sancti Ioannis herbam appellant, quæ hortensis & syluestris reperitur. Hortensis folia latiora & albidiora sunt, agrestis verò nigriora & strictiora, ex quibus Lusitani intinctus ad incitādum stomachum deiectum parant, vtriusq; tamen caulis, quadrangulus est, & in reliquis Dioscoridis historiis apprime respondent. Hanc verò Plinius describens libro vigesimo secundo, capite vltimo, manifestissime errauit, quum loco horū verborū: Horminum habet folia similia marrubio: dixit porrò cōfundens, vt sæpe diximus, prasiū, & prassum. Aduertēdum diximus tamen, quòd Galenus in calce libri primi de Facultatibus alimentorum, alterum citat horminum, quod inter frumenti genera reponit, de primo verò, nullā penitus quod equidem ipse obseruauerim mentionem fecit: Paulus tamen, quæ à Dioscoride de illo tradita sunt, breuiter sic descripsit, libro suo septimo, dicens: Orminon marrubio specie simile est, calidum, mediocriter siccum & abstergens, venerem igitur stimulat, & oculorum crassities cum melle repurgat, tumores laxos discutit, & extrahit aculeos, syluestre domestico est valentius.

Plinius errat.

Orminium Galeni.

CONSTANTINVS.

Illa planta quam vocamus Toute bonne, ou oruale, & Itali scarleam, caulem sæpè profert bicubitalem, folia multò maiora quàm marrubij, & calyculos sursum tendentes, semenque etiam rotundum syluestris, quæ omnia cum hormini descriptione discordant. non potest igitur horminum esse scarlea, aut gallitricum dictum. Errat igitur Ruellij & Fuchsij assectator & astipulator Lusitanus. Verum horminum ostendit Mathiolus.

DE HEDYSARO.

Græcè, ὑδύσαρον: Latinè, securidaca: Hispanicè, yerua que ahoga las lenteias: Gallicè, graue, ou febue de loup: Germa. Vnkraut der linsen.

Enarra

Enarratio CXLIII.

SEcuridaca ciceris folia habet, flores luteos, & siliquas corniculorum figura inflexas, intra quas semen est ancipiti securi simile, & illud quidem amarissimum, ita vt triticum vel frugis quoduis aliud genus: in quod misceri contigerit, amarissimum quoq; reddat, de qua Galenus libro sexto de Facultatibus simplicium medicamentorum ita dixit: huius semen amarum & subacerbum apparet, ob idq; potum stomacho gratum existit, viscerumq; obstructiones expurgat, idem præstant totius fruticis germina. *Securidaca.* *Pelecinus.*

DE ONOSMA.

Græcè, ὄνοσμα: Latinè, onosma.

Enarratio CXLIIII.

NAscitur Onosma plerunq; inter rapunculos, sua sponte in aruis nascentes, ita illis similis, vt sæpe interdum parua est, pro illis eradicetur, postquam verò adulta est, & illi folia maiora facta, hirsuta aliquantulum apparent, quam nos Ferrariæ in horto magnifici Azaioli, scholasticis indicauimus, humi enim serpit, nec aliud præter folia emittit. *Onosma.*

DE NYMPHAEA.

Græcè, νυμφάια: Latinè, nymphæa alba: Officin. nenuphar album: Hispanicè, guolfam del rio blanquo: Italicè, nenuphar biancho: Arabicè, nilofar: Gallicè, nenuphar, ou roses d'estang: Germanicè, Vveiss seebluomen.

DE ALTERA NYMPHEA.

Græcè, νυμφάια ἄλλη: Latinè, altera nymphæa, lutea nymphæa: Officin. nenuphar luteum: Hispanicè, Lusitanicè, figuos del rio amarilhos, golfan amarilho: Italice, nenuphar giallo: Germanicè, Geel seebluomen.

Enarra

Nymphæa lutea.

Nymphæa alba.

Enarratio CXLV. CXLVI.

Nenuphar

NYmphæa Græcorum, nenuphar corruptè ab Arabibus appellatur, cuius album & luteum, in paludibus lacubus, & aquarum ſtagnis reperiuntur folio lato, amplo, ſuper aqua natante, ſed flore roſeo, aliquando albo, quandoq; verò luteo, ex quo aqua per campanam elicitur, & inter cordiales frigidas adnumeratur. Non minus quoque ex eo ſyrupus conficitur, febribus peſtilẽtibus, & acutis conuenientiſsimus, veluti vnguentum, quo cordis regio, loco epithematis cordialis, dum opus eſt, inungitur, & vt trádit Galenus lib. octauo de Facultatibus ſimpliciũ medicamentorum: Tum radix eius, tum ſemen, deſiccandi citra morſum vim habet, itaq; vẽtris profluuia, ſemenque immodice profluens ſiſtit: At cui adeſt candida radix, ea & muliebri medetur profluuio, ex vino nigro & auſtero epota, vtraq; autẽ abſtergẽdi quandã vim poſsidet, quare maceratæ quidem aqua, ſanant alphos, liquida verò picc, alopecias, ad hæc tamẽ aptior eſt ea cuius radix eſt nigra.

DE

DE ANDROSACE.

Græcè, ἀνδρόσακες: Latinè, Androſaces.

Enarratio CXLVII.

EX herbis quæ ſupra lapides naſcuntur, Androſaces eſt, quam ſemel tantum vidi, & eam in muſæo ſuo mihi monſtrauit Antonius Muſa Braſauola vir cum quouis doctiſsimo conferendus, quam ex Illyrico ad illum aduexerant, erat enim herbula tota candens ſuper ſaxo naſcens, capillis albiſsimis loco foliorum ornata, digitalis altitudinis, in ſummitatibus quorum, capitula quædam valde parua cernebantur, in quibus ſemen continebatur. Nam cirros illos, ſiue capillos guſtu ſalſos, cum quodam amarore, tunc eſſe deprehendimus, de cuius viribus ita Galenus tradit, lib. vj. tam ſæpe citato: Amara & acris eſt herba, poteſt autem reſiccata ebibitaque tum ipſa, tum fructus eius magnopere prouocare vrinam, & nimirum etiam digerere & deſiccare.

Androſaces herba qualis ſit.

DE ASPLENIO.

Græcè, ἄσπλενον: Latinè, aſplenium, ſcolopendrium, offic. caterach: Hiſpanicè, doradilha: Italicè, Scolopendria, Gallicè, ceterach: Arabicè, Scolofendrion: Germanicè, Ceterach, *&* neſſel farn.

Enarratio CXLVIII.

ASplenium, ſiue aſplenum, aut ſcolopendrium, vel ſcolopendria, Arabum cæterach eſt herba, non vero lingua ceruina, vt multi olim putabant. Nam lingua ceruina vt diximus, phyllitis apud Dioſcoridem eſt, quæ lienis potius obſtructiones claudit, quàm abſumit: cæterach vero ita lienem minuit, & eius oppillationes aperit, vt circa Cortinam vrbem, vt author eſt Vitruuius, pecora propter abundantiam aſplenij, multa ſine ſplene inueniantur, de quo Galenus lib. vj. citato, ita inquit: Aſplenum tenuium eſt partium, non tamen calida eſt herba, hac vtiq; ratione, lapides frangit, & lienes liquat.

DE HEMIONITIDE.

Græcè, ἡμιονῖτις: Latinè, hemionitis.

Enarra

Enarratio CXLIX.

Hemionitis.

VT capite de phyllitide diximus, perperam Ruellius, Manardus, & ante eos Leonicenus, opinati sunt, quòd vulgaris lingua ceruina, hemionitis est, quum reuera lingua ceruina, quã corruptè admodum scolopendriam vocãt, phyllitis vt dixi est, hemionitis verò herba est linguæ ceruinæ similis, sed lunata, quam nobis, Gaspar de Gabrielis nobilis Patauinus, primo Ferrariæ indicauit, quæ quoq; in locis vmbrosis & puteis nascitur: de qua Plinius ita lib. xxv. cap. 5. dixit: Inuenit & Teucer eadem ætate teucrion, quã quidam hemionitim vocant, spargentem iuncos tenues, folia curua, asperis locis nascentẽ, austero sapore, nunquã florentem, nec semen gignit, medetur lienibus, &c.

CONSTANTINVS.

AMatus Lusitanus perperam legit apud Plinium libro xxv. cap. 5. hemionitim: legendum enim cum correctis exemplaribus hermion, quam etiam lectionem se reuocans agnoscit Mathiolus Senensis in Dioscoridem capite de hemionitide, vbi Plinium in erroris suspitionem vocat, quòd lib. xxvij. cap. 5. asplenum vocarit hemionion: creditq; ipse Mathiolus, vt eius verba declarant, hemionium significare hemionitidem, sed tantus vir hoc in loco altùm dormit, & fas opere in tanto aliquando somnum obrepere, olum enim Plinius Dioscoridi astipulatur, per ipsius incedens vestigia. Disertis enim verbis Dioscorides tradidit asplenum, hemionium vocari, capite de Aspleno.

DE ANTHYLLIDE.

Græcè, ἀνθυλλὶς: Latinè, anthyllis.

Enarra

Enarratio CL.

OMnis cinis qui ex Syria aduehitur, pro conficiendo ſapone, & vitro, ex herba anthyllide combuſta conficitur, quam herbam & cinerem, Mauritani alkali appellant, ignorantes hodie multi quòd cinis iſte aduectus ex Syria, alkali ſit, ſalem tamen concretum ex lixiuio huius cineris reſultantem, ſalem alkali dicunt: Cinerem vero, alumen carinum. Naſcitur autem herba iſta, non ſolum in Syria, ſed optima apud Hiſpanos in regno Valentiæ: veluti in Gallia & Italia, præcipue maritimis in locis: Variat tamen, quum altera craſſa ſit, ſua ſponte naſcens, quam Valentini propria voce, bordam vocant, ex cuius cinere ſapo paratur, quo etiam pictores, cyaneum colorem parant. Hæc enim ſecunda Anthyllis Dioſcoridis eſt: Altera vero ſeritur dicta præſtantior, quam quoq; ſua voce, barrilham appellant, & eam Dioſcorides capite de Traho, ſiue Trago, libro quarto depinxit. Tertia vero, in lacubus naſcitur maritimis, quæ rara inuentu eſt, cæteris tamen nobilior, præcipue pro vitro conficiendo, quam Salicorniam nominant, & non ſeritur, nec vult ſeri. Adnotandum tamen eſt, quòd cùm herbæ iſtæ ad ignem vruntur, quòd eliquantur, & tanquam plumbum fluunt, poſtea vero, quum refrigerantur, concreſcunt, & cineres globati manent. Vnde ſi cinerem alkali verum eſſe, quis experiri voluerit, in ignem illum coniiciat decet, quod ſi eliquabitur, & ebullierit, verum eſſe dicet: ſi minus, contrà. Sunt enim omnes iſtæ herbæ ſapore ſalſæ, prope mare naſcentes, quæ foliorum loco, grana quædam tritici modo confecta habent, quæ quum matureſcunt, ad ruborem quendam tendunt, vt capite de Traho, ſiue Trago, lib. iiij. dicemus. Omnes certæ herbæ iſtæ, abſtergendi vires obtinent, ac ſtigmata & maculas faciei delent, & vt tradit Gal. lib. vj. de Facul. ſimpl. med. Anthyllis vtraq; modice deſiccat, vt & vlcera glutinat: atque chamæpity aſsimilis eſt: ſubtiliorum eſt partium, magisque detergit, præterea comitialibus competit.

Alkali.

Sal alkali.

Alumẽ carinum.

Salicornia herba.

DE ANTHEMIDE.

Græcè, ἀνθεμὶς: Latinè, Anthemis: Hiſpanicè, macella, manzanilha: Italicè, camamilla: Gallicè,

Chamomilla satiua.

Chamomilla syluestris.

Camomille : Arabicè, Babunegi : Germanicè, Camillen.

Enarratio CLI.

CHamomilla vulgaris est herba: At quæ flores luteos habet, raro videtur: de cuius viribus Galenus libro tertio de facultat. simpl. medic. cap. 9. ita tradit: Est & chamæmelum tenuitate quidem rosæ persimile: calore vero, ad olei vires magis accedens, homini tum familiares, tum temperatas. Quapropter lassitudini, vt si quid aliud, in primis confert, doloresq; sedat, præterea tensa remittit & laxat, mediocriter dura emollit, constipataq; rarefacit, ad hæc febres quæ citra viscerum inflammationem infestant, concoctas discutit, ac dissoluit, & potissimum quæ ex cutis densitate & humoribus biliosis proueniunt, ob idq; Soli à sapientissimis Aegyptiorum est consecratum. Est autem hypochondriis gratissimum, quibus etiam lini semen est gratum, minus tamen quam chamæmelum,

lum, quum & minus calidum sit, & essentiæ crassæ: Libro vero sexto eiusdem voluminis, ita quoq; de eo tradit: chamæmelum calfacit & desiccat in primo ordine, estq; tenuium partium, ac proinde digerendi, laxandi, & rarefaciendi vim obtinet.

DE PARTHENIO.

Græcè, παρθένιον: *Latinè*, *parthenium*, *cotula fœtida*, *amaracus fœtida*: *Hispanicè*, *manguarca*: *Italicè*, *brusaculo*: *Gallicè*, *cotula fetida*: *Arabicè*, *Achuen*: *Germanicè*, Vvilde camillen, krotten dill.

Enarratio CLII.

Parthenium.

Parthenium cotula fœtida est.

RECte admodũ Dioscorides, quum de chamomilla egit, de parthenio sermonem fecit, quũ revera, parthenium, chamomilla erat, nisi fœtor in parthenio inuentus indicaret: Vnde cotula fœtida herba dicta est, quam Hispani simul & Lusitani, magorcam, ac si dixisses, Heu quod ardet, appellant, Quæ vox non multum abest, ab ea per quam Italicè indicatur, brusa culũ, id est, ardet culum. Proinde errant, qui parthenium, matricariam esse credunt, inter quos Mathiolum Senensem, reponere est: Quia parthenium, cotula vt dixi fœtida est, vt capite de Arthemisia quoque meminimus, in ea enim odor virosus, & amaror intensus reperitur, vt gustanti & olfacienti, experiendum committimus. Proinde si Mathiolus

thiolus, iterum experiri voluerit, non dubitamus, quin in nostram eat sententiam, est enim quoq; parthenium Parietaria dicta herba, de qua suo loco diximus. Fuchsius autem in suo Herbario cotulam fœtidam cum matricaria confundit, vt legenti notum erit.

CONSTANTINVS.

Homonymum &, vt Martianus loquitur, pluriuocum est nomen hoc parthenium, sicuti etiam tradidit Galenus in glossematibus Hippocratis: quo authore parthenion vocatur anthemis, & helxine, & linozostis, & amaracum. Hoc ipsum confirmat Plinius lib. xxij. cap. 17. helxine inquit, etiam dicitur perdicium & parthenion: & lib. 15. cap. 5. linozostis, siue parthenion, siue mercurialis dicitur. Nec de alia intellexit planta quàm de parthenio cùm dixit lib. xxv. cap. 7. Mulieres quoque hanc gloriam asseclauere. In quibus Artemisia vxor Mausoli, adoptata herba quæ antea parthenis vocabatur. de hoc autem parthenio de quo agit Dioscorides, mihi videtur intellexisse Plinius lib. xxj. cap. 30. cùm ita inquit: Contra parthenium, alij leucanthen, alij tamnacum vocant, Celsus apud nos, perdicium & muralium. Nascitur in hortorum sepibus flore albo, odore mali, sapore amaro: ad infidendum decoctum in duritia vuluarum, & inflammationibus &c. quo loco pro tamnacum legendum ex Dioscoride & Galeno, amaracum: & odore malo, vice odore mali. Apud eundem libro xxj. cap. 15. cùm parthenion censeatur inter herbas vulgares in cibo, de qua intellexerit meritò anquirendum, equidem intelligo de mercuriali locutum. Nunc vero quæ planta sit parthenion Dioscoridis, de quo etiam apud Theophrastum lib. 7. de historia plantarum, inter peritissimos res herbaria non parua oritur contentio: alijs matricariam esse quam vulgò vocamus espergoutte pro certo affirmantibus, ex quorum numero Mathiolus Senensis: alijs vero contendentibus esse cotulam fœtidam, vt Amatus Lusitanus, cuius sententiæ hoc in loco calculum meum adijcio. alibi enim causam ostendam fusius. In presentia satis sit hæc ratio, quod cotula fœtida Græcum etiam nomen seruet apud aliquas nationes, vt apud Northmanos meos, à quibus cotula fœtida vocatur amareuque, ou amoureuque, quod nihil aliud est quàm amaracum, id est parthenion: quod graueolens est & σμυρόφυλλον apud Hippocratem, quæ notæ non cadunt in matricariam. Hæc autem alibi, vt dixi, magis explicatè & distinctè.

DE

DE BVPHTHALMO.

Græcè, Βούφθαλμος: Latinè, Buphthalmus, offic. bouis oculus, cappacorania, crispula herba: Hispanicè: ben mequeres amarilho: Italicè, occhio di boue herba, chrispula: Gallicè, œil de beuf: Arabicè, bihar: Germanicè, Rindsaug.

Enarratio CLIII.

IN demonstranda herba ista errat Fuchsius, veluti plures alij, quum tamen non difficilis inuentu sit. Nascitur enim in pratis & iuxta vias, folio chamomillæ, flore vero toto luteo, vnde nomen accepisse creditur. Hæc vero crispula à multis dicitur, vnguentum exornans, marciaton dictum, & de ea, ità Gal. tradit lib. vj. de Facultat. simpl. medic. Buphthalmos, flos eius floribus chamæmeli est, tum maior, tum acrior: vehementiusque digerit, adeo vt & durities sanet, cerato mistus. *Buphthalmos. Oculus bouis herba. Crispula herba.*

DE PAEONIA.

Græcè, παιονία: Latinè, Glycysida, pæonia: Hispanicè, rosa del monte, rosa albardeira: Italicè, peonia: Gallicè, piuoesne: Arabicè, feonia: Germanicè, Vene dische rosen.

Enarratio CLIIII.

PAeonia tam masculus, quàm fœmina, tum semina rubra, tum etiam nigra mittens, vbique vulgaris est, de qua Galenus lib. vj. de Facultatibus simplicium medic. ita tradit: Radicem habet leuiter astringentem cum quadam dulcedine: At si plusculum dentibus mădas, acrimoniam item quampiam subamaram subesse percipies, proinde menses ciet ex melicrato, amygdali pota quātitate, expurgat porro etiam iecur obstructum & renes, vētrisq; sistit fluxiones, si in aliquo austero vino cocta sumatur. Est præterea omnino resiccatoria, quare ex collo pueris suspensa, meritò comitialem morbum persanat, idque aut *Pæonia.*

Pæonia.

aliquem à se fluorem, per infantuli inspirationem immittens, aut aërem assidue mutans, atq; alterum reddens. Nam hoc pacto succus Cyrenaicus Columellam phlegmone affectam iuuat, & melanthium fictum palam catarrhos & coryzas deficcat, si quis id in calidum linteum raruni liget, assidueque calorem ex eo per inspirationem in nares attrahat, quin etiam si compluribus linis, & maximè marinæ purpuræ, collo viperę iniectis, illis viperam præfoces, eaque postea cuiuspiam collo obuincias, mirifice profueris: tum paristhmiis, tum omnibus iis quæ in collo expullulãt, pæonia itaq; & exiccat: & tenuium est partium, calfacit autem mediocriter.

DE LITHOSPERMO.

Græcè, λιθόσπερμον: *Latinè*, *Lithospermon*, *offic. lachryma*, *lachryma Mariæ*: *vulgo lachryma simiente*: *Arabicè*, *Culb*: *Germ.* Marien trahen.

Enarratio CLV.

Lithospermon lachrima est.

LItho Spermon nõ est milium Solis, vt hucusq; omnes omnes seplasiarij, & vulgares medici putarunt: Quũ milium Solis, phalaris est, vt capite sequẽti dicetur: lithospermon verò, semen album, rotundum, durum, lapidosum magnitudine ciceris, quo mulieres suos indices quibus preces, & patres nostros ad deos fundunt, parant: & ipsum Italicè præcipue, lachrymam Mariæ appellãt. Nascitur enim semen hoc, vt tradit Dioscorides, & viua ipsa herba indicat, prope summitatem iuncei cuiusdam ramusculi,

Lithospermon maius.

Minus.

sculi,à quo quoq; per medium perforatur iunco ipso,tanquam spica.in summa parte apparente, De qua Plinius libro xxvij.cap.11.admiratus,sic tradit:Inter omnes herbas lithospermo nihil est mirabilius. Aliqui ægonychon vocant,alij dios pyron,alij heraclion,herba quincũcialis fere foliis duplo maioribus quàm rutæ, ramulis surculosis, crassitudine iunci,gerit iuxta folia singulas velut barbulas,& in earum cacuminibus,lapillos candore,& rotũditate margaritarum magnitudine ciceris, duritia verò lapidea. Ipsi quà pediculis adhæreant cauernulas habent, & intus semen.Nascitur in Italia,sed laudatissima in Creta, nec quicquam inter herbas maiore quidem miraculo aspexi,tantus est decor,velut aurificum, arte alternis inter folia candicantibus margaritis,tam exquisita difficultas lapidis ex herba nascentis,iacere atq; humi serpere, authores tradunt. Ego vulsam non hærentem vidi: Iis lapillis drachmę pondere potis vino albo,calculos frangi,pelliq; constat,& stranguriam discuti,nec in alia herbarum fides *Plinius.*

est: At de ista herba, quòd sciam, Galenus libris Simplicium, nullam fecit mentionē. Paulus tamen, vt solet, egregie ita de ea differit: Lithospermon, quod alij diosporon, alij heraclion, vocant, herbæ aëtonychi dictæ semen est lapideum, album, quod cum vino albo potum calculos frangit, & vrinas eiicit.

DE PHALARIDE.

Græcè, φάλαρις: Latinè, phalaris, milium Solis: Hispanicè, mijo del Sol, hierua: Italicè, milium solis: Gallicè, gremil, ou herbe aux perles: Germanicè, Meer hirsch.

Enarratio CLVI.

Milium Solis. Phalaris.

HAec officinarum milium Solis est, granum scilicet emittens herba, candidum, longum, milio persimile, quæ in vniuersa Italia frequens admodum est, & vbiq; nascitur, pluribus composita ramulis, in quibus folia oliuæ, parua sed hirsuta conspiciuntur, & de illius viribus, ita tradit Galenus lib. viij. de Facultatibus simplicium medicamentorum. Phalaridis tum succus, tum semen, tum folia potari vtiliter creduntur ad vesicæ dolores, ceu in sese habeant tenue quiddam & calidum.

DE ERYTHRODANO.

Græcè, ἐρυθρόδανον: Latinè, rubia tinctorum: Hispanicè, laruuia, à ruiua: Italicè, robbia da tingere: Gallicè, Garance, Arabicè, Paue: Germanicè, Roete.

Enarratio CLVII.

Rubea tinctorum.

NOtissima omnibus rubea tinctorū est, cuius rubra radice, panni lanei & sericei inficiuntur, & de illius viribus, Galenus ita lib. vj. de Facultatibus simplicium medicamentorum dixit. Est autem tinctorum rubia radix acerba & amara: quare lienem & iecur expurgat, & vrinas crassas multas,

Rubia satiua.

Rubia syluestris.

tas, & interdum sanguinolẽtas promouet, quin & mẽses ciet, extergitq; mediocriter, proinde vitiligines albas cum aceto illita iuuat.

DE LONCHITIDE.

Græcè, λογχῖτις: *Latinè, lonchitis, lanceola.*

Lonchitis prior.

DE ALTERA LONGHITIDE.

Græcè, λογχῖτις ἑτέρα: *Latinè, altera lonchitis, altera lanceola.*

Enarratio CLVIII. CLIX.

Secundam pingit Mathiolus.

NVllum hucusque inuenire medicum potui, qui mihi vnam vel alteram lõchitidem indicare potuisset, proinde silentio eas præteribo.

DE ALTHAEA.

Græcè, ἀλθάια : *Latinè*, *Althæa*, *agrestis malua*, *Ibiscus*, *Hispanicè*, *maluauisco*: *Italicè*, *malnauisco*: *Gallicè*, *guimmauues*: *Germanicè*, Ybisch.

Enarratio CLX.

Althæa.

DIcitur althęa, id est medica, quia plures facultates medendi habeat, herba omnibus vbiq; familiaris, de qua eclegma id est loch & cum aromatibus, & sine illis, in officinis contra pectoris & pulmonis vitia prostat, & vt tradit Galenus libro vj. citato, facultate digerendi, laxandi, phlegmone liberandi, mitigandi, & concoquẽdi difficiles coctu affectus est prædita. Cæterum, radix & semen, quàm folia, & tenuiorum sunt partium, magis quam exsiccatoriam & extersoriam facultatem ostendunt, vt vitiligines detergant, & semen, renum calculos frangat: At radicis decoctum, ad dysenteriam, diarrhœam & sanguinis reiectionem est aptum, quum nimirum etiam nonnihil astringat, hæc Galenus. Verum scire licet, quòd ebiscus siue hibiscus, ex iis herbis est, quarum radices, foliis potentiores sunt, vt tradit Galenus libro secundo de Facultatibus alimentorum, capite 61.

DE ALCEA.

Græcè, ἀλθέα: *Latinè*, *Alcea*, *Officinis*, *herba Vngarica*, *herba Simeonis*, *syluestris malua*: *Hispanicè*, *malua de Vngria*, *malua montesina*: *Italicè*, *Malua saluatica*, *buon vischio*: *Gallicè*, *Guimauue sauuage*, *ou rustique*: *Germanicè*, Sigmars vuurtz

Enarratio CLXI.

Alcea.

ALcea inter maluas plerunq; nascitur, nec immerito, quia semine, flore, caule, & folio, maluæ similis est, est tamen illi folium maiusculum, ac magis communi malua diuisum, cuius radix vnice pro curanda dysenteria commendatur, vt Dioscorides fatetur, & Paulus illi subscribit, libro septimo ad istum modum dicens: Alcea syluestris maluę & hæc genus est, in vino pota intestinorum torminibus & rupturis medetur, multo magis ipsius radix. Galenus de ista lib. Simplicium, nullum præfixit, quòd equidem sciam caput: credere tamen est, inter maluas, lib. vij. eam collocasse.

DE CANNABI SATIVA.

Græcè, κάνναβις ἥμερος: *Latinè*, *Cannabis satiua*: *Hispanicè*, *canhamo*, *canauo domestico*: *Italicè*, *Canape domestico*: *Gallicè*, *chanure*: *Arabicè*, *Canab*. *Germanicè*, Hanff.

DE

DE CANNABI SYLVESTRI.

Græcè, κάνναβις ἄγρια.

Enarratio CLXII. CLXIII.

Cannabis satiua.

Cannabis.

CAnnabis satiua vulgaris est, excellens tamen apud Hollandos nascitur, ex qua lineæ panni Hollandiæ dicti, quos Itali, de renzo appellant, fiũt. Huius porro semen comestum, hominibus genituram extinguit, gallinis verò auget, videmus enim gallinas rigida hieme hoc semine pastas, oua parere, id quod aliis semẽ non comedentibus, nõ euenit: & vt tradit Gale. lib. vij. de Facultat. simplic. medic. cannabis semen adeo flatus discutit exiccatque, vt si argius edatur, genituram absumat. In fine vero libri j. de Facul. aliment. de illo quoq; ita tradit, multum autem calefacit, ideoq; sumptum paulo largius caput ferit, vaporé sursum ad ipsum mittens calidum simul ac medicamentosum. Ex quibus Galeni verbis, satis clarè liquet, quàm perperam agant ij, qui semen hoc cõtra epilepsiam, ac capitis affectiones dent.

Cannabis syluestris.

Cannabis syluestris, sua spõte in aruis nascitur, nec enim est, vt multi rentur, ea herba quam multi pro eupatorio hucusq; arripiebant.

DE ANAGYRI.

Græcè, ἀνάγυρις: Latinè, Anagyris: Hispanicè, Anagyro: Italicè, eghelo.

Enarratio CLXIIII.

NAscitur anagyris arbor in syluis, quæ multorum spectaculo in hortis quoq; seritur, procere enim crescit,

ſcit, folio, quàm viticis, maiori, flore racemoſo, aureo, pendente, viſui grato, ſed omnino tetri odoris, ſemen in ſiliquis ſeruat, ſubnigrum, renum figura, vomitum maxime prorritans, de qua Galenus libro ſexto de Facult. ſimpl. medic. ſic dixit: anagyris frutex eſt grauiter olens, & digerentis, excalefacientisq; facultatis, cuius folia viridia tumores reprimunt: at reſiccata, incidentis ſunt, exiccantisq; potentiæ: ſimilem fere vim habet eius radicis cortex: Semen autem ſubtiliorum eſt partium, vomitum tamen prouocat.

DE CEPAEA.

Græcè, κηπαία: *Latinè*, *Cepæa herba*: *Germanicè*, Vuild purtzel. Enarratio CLXV.

Cepæa herba.

HAc ad littora arenoſa præcipue naſcitur, portulacæ perquam ſimilis, quam Galenus ſiluit, ſed Paulus de ea ita dixit: cepæa portulacæ ſimilis eſt, folia ipſius contra veſicæ ſcabies vtiliter bibuntur, radix cum aſparago, quem myacanthinum appellant, pota, vrinæ ſtillicidia, quæ oppleto vrinario meatu fiunt, abigit.

DE ALISMATE.

Græcè, ἄλισμα: *Latinè*, *Aliſma*, *Damaſonium*: *Officinis barba ſyluana*, *plantago aquatica*, *fiſtula paſtoris*: *Hiſpanicè*, *herba fiſtola*: *Italicè*, *piantagine aquatica*: *Gallicè*, *plantain aquatiq*: *Germanicè*, Vvaſſer vuegreich, froſchloeffel. Enarratio CLXVI.

Planta incognita Mathiolo.

ALiſma ſiue damaſonium, doctorum hominum conſenſu, aquatica plantago eſt, quā barbam ſyluanam, ſiue fiſtulam paſtoris, pharmacopolæ appellant: Naſcitur enim aquoſis in locis, & lacubus, & eam Luſitani noſtri, cannam fiſtolam herbam ſua voce appellant: cuius duas ſpecies meminit Plinius capite decimo, lib. xxv. ſic dicēs: Item aliſma quam alij damaſonion, alij lyron appellant, folia ei plantaginis, niſi anguſtiora eſſent, & magis laciniosa, conuexaq; in terram, aliàs & venoſa, ſimiliter caule ſimplici, & tenui, cubitali, capite thyrſi, radicibus denſis, tenuibus, vt veratri nigri, acribus, odoratis, pinguibus, naſcitur

scitur in aquosis: Alterum genus eiusdē in syluis nigrius, maioribus foliis,&c. De cuius viribus Galenus ita meminit, libr. vj. citato: Damasonij decoctū radicis, calculos renum cōminuit, quare absterſoriæ facultatis est particeps.

DE ONOBRYCHI.

Græcè, ὀνοβρυχὶς: Latinè, onobrychis, opaia.

Enarratio CLXVII.

Onobrichē ipsi nouimus.

NVllus ex multis, quibuscum versatus sum medicis, pro dignoscendis herbis, hucusq; mihi onobrychim monstrare valuit, de qua Plinius, libr. xxiiij. cap. 16. dixit, Onobrychis folia habet lentis, longiora paulo, florem rubentem, radicem exiguam & gracilem, nascitur circa fontes, siccata in farinæ modum & inspersa vino albo strangurias finit, aluum sistit, succus eius perunctis cum oleo sudores mouet, & vt refert Galenus, lib. viij. Simplicium, rarefaciendi, digerendiq; vim obtinet, proinde folia eius virentis illita, phymata digerūt, arefacta verò, & cum vino pota, strangurias sanant, sudoresq; eliciunt, cum oleo inuncta.

DE HYPERICO.

Græcè, ὑπερικὸν: Latinè, hypericum: Officin. mille perforata: Arabicè, keiosaricon: Hispanicè, coraionzilho, mil furado: Italicè, perforata: Gallicè, millepertuis: Germa. Sant Iohans kraut.

Enarratio CLXVIII.

Hypericō.

HYpericon, officinis familiarissima est herba, quæ ideo mille perforata, quia folia pertusa ac crebris foraminibus perforata habeat, in cuius lectione, male & corruptè Marcellus Virgilius Græcum exemplar suum, habebat, hypericum ornari flore albo, violæ matronali simili, quia in melioribus, & emendatioribus exemplaribus, flore luteo hypericū, albæ violæ simili, ornari legamus. Proinde non est, quòd quis in hac re deinceps dubitet, veluti multi hucusq; hæsitantes, rutam syluestrem albo flore cōpositam, pro hypericone accipi contendebant, vt doctissime sane Matthiolum Senensem hic adnotasse legimus, communis autem perforata, hypericon quoq; dicta, Dioscoridis

Mathiolus Senensis.

scoridis hypericum est, in quo quoq; Plinius, errore comprehenditur, libr. xxvj. cap. 8. quum dicat historiam Dioscoridis describens: hyperici semen in siliqua claudi nigrum, quod cum hordeo matureſcit, quum tamen Dioscorides hoc nõ asserat: sed potius hypericum siliquam habere non adeo hirsutam, in rotundo oblongam, magnitudine hordei, in qua semen nigrum clauditur, odore resinę: Sed vltra quod Plinij error satis patet, ex hoc quoque conuinci potest, quia hordeum in fine Maij exiccatur, hypericonis verò granum, in fine Iulij. Ex hypericone, quasi supra remedio, dicta herba, oleum cõficitur saluberrimum, & ad multos vsus accõmodatum, cuius confecturam, elegantissime apud Ioãnem Agricolam Ammonium, sic descriptam comperio: Sume, cacumina hyperici ad quantitatem trium vnciarum, & in vinum odoratum infundantur, trium dierum & noctium curriculo, mox duplici vase optime obturato bulliant, denique exprimantur, & abiiciantur cacumina, in eodemq; vino eandem quantitatem cacuminum hyperici infundito totidem diebus & noctibus: postea adde terebinthinæ vncias tres, olei veteris vncias sex, croci scriptulum vnum, misceantur hæc, & in duplici vase coquãtur, quo ad vinum euanescet, postea in vitriato vase, vitreóue seruato. Est enim oleũ hoc, coxendicis dolori accommodatissimum, vlcera immedicabilia sanans, & vt tradit Galenus de ipsa herba, lib. viij. de Facultatibus simpl. medicamen. calfacit & siccat, essentia tenui, adeo vt menses vrinasque prouocet, illitum viride, ad cicatricem omnia perducit vlcera: siccum contusumq; si inspergas, mollia, humida, & putrilaginosa sanabis, sunt qui & ischiadicis bibendum propinent.

oleũ de hypericone.

DE ASCYRO.

Græcè, ἄσκυρον: Latinè, ascyron: Vulgò herba hircina: Gallicè, supparu: Germanicè, Hartavu.

Enarratio CLXIX.

Ascyron, planta nobis satis est cognita, quam vulgares herbarij, herbam hircinam appellant, pluribus autem & viticosis protenditur ramis, in quibus folia sunt matris syluæ foliis similia, inter quæ, semina quædam ciceris magnitudine nascuntur, viridia, resinosa, tetri odoris,

Herba hircina.

odoris, vnde hircina herba sit dicta, creditur. Cuius meminit Galenus, quum de androsæmo libro sexto Simplicium agit, dicens: Planta est fruticosa androsæmum, natura duplex, vnum enim dicitur ascyron, species hyperici: alterum à quibusdam appellatur Dionysias. Est autem semen eorum purgatorium, foliorum vero facultas modice extergens, & desiccans, vt & ambusta curare credantur: cæterum in vino austero decocta, vinum ipsum vulnerum grandium glutinatorium efficiunt.

DE ANDROSAEMO.

Androsæmon.

Græcè, ἀνδρόσαιμον: Latinè, androsæmum, hyperici species: Germanicè, Ruonradt, & rotharthavu.

Enarratio CLXX.

Errat Andreas Lacuna.

HAnc Euritius Cordus, vulgatum hypericum esse putat, quę hodie quoq; imitatur Andræas Lacuna Secobiensis, in epitomen à se redacto Galeno, sed revera falso, quia hypericũ Dioscoridis, cũ nostro cõuenire certũ sit. Est igitur androsæmum, hyperici altera species, cuius vires superiori capite, ex Galeno audiuimus.

DE CORI.

Græcè, κόρις: Latinè, coris: Altera species hyperici: Germanicè, Erdkiuer.

Enarratio CLXXI.

Coris.

COris pro chamæpity ab aliquibus vsurpatur, tam enim inter se herbæ istę conueniunt, similesue sunt, cuius Galenus, libris Simplicium non meminit: Paulus tamen

tamen libro ſeptimo ſuæ medicinæ, ita de ea tradit: Coris herba, quam alij vocant hypericon, acris eſt, & odorata: ſemen eius ad vrinam & menſes ciendos bibitur. Succurrit & phalangiorum morſibus, item ad opiſthotonon cum oleo inungitur.

DE CHAMAEPITY.

Græcè, χαμαιπίτυς: Latinè, chamæpitys, abiga, aiuga: Officin. iua arthetica: Hiſpanicè, Luſitanicè, pinilho: Italicè, iua, chamepitio: Arabicè, hameſitheos: Gallicè, iue muſcate: Germanicè, Yelenger yelieber.

DE ALTERA CHAMAEPITY.

Græcè, χαμαιπίτυς ἑτέρα: Latinè, altera chamæpitys: Officin. iua moſchata: Vulgò, iua moſchata.

Chamæpitys 1.

Chamæpitys 2.

Enarratio CLXXII. CLXXIII.

CHamæpitys, in officinis gignendi casu, Chamæpiteos appellatur, ab aiuga vero, siue abiga, vel ibiga corruptè iua hodie dicitur: Altera vero minutioribus foliis reperitur chamæpitys, boni odoris, ac ea de causa à seplasiariis iua moschata vocatur, notæ enim hæ sunt herbæ, & à seplasiariis in frequenti vsu habitæ: quarum vires, prosecutus est Galenus, libro octauo de Facult. simpl. medic. ad istum modum dicens: chamæpitys magis amara est quàm acris: quare abstergit, purgatq; viscera, magis quàm calfacit, proinde auriginosis, & quibus facile iecur obstruitur, bonum remedium est, quin & vrinam, & menses ducit, tum pota, tum illita cum melle, viridis vulnera magna glutinat: vlcera putrescentia sanat: durities vberum discutit. Est enim in siccando tertij ordinis, in calfaciendo, secundi.

Finis Libri Tertij.

IN DIOSCORIDIS ANAZARBEI DE MEDICA MATERIA, LIBRVM QVARTVM,

Enarrationes Doctoris Amati Lusitani Medici in Italia celebratissimi.

*

DE BETONICA.

Græcè, κέφρον: Latinè, Betonica, Vetonica, serratula: Hispanicè, bretonica: Italicè, betonica: Gallicè, betoine: Arabicè, chastara: Germanicè, Braun betonick.

Enarratio Capitis Primi.

DEO est communis, & vulgaris, herba Betonica, vel Vetonica dicta, vt eam indicare, vel delineare non sit opus. Vocatur vero serratula à nonnullis, vt testatur Plinius, quia circumcirca in modum serræ diuisa est: De cuius viribus ac laudibus, libellum Antonius Musa, Cæsaris Augusti medicus, descripsit. Cæterum, errat Otho Brunphelsius, qui betonicam, flores albos habentem, herbam paralysis esse dixerit, quanquam, vt noto, tomo vltimo erratum fateatur. Non minus quoque Auerrois, in præsenti accusandus venit, qui lib. v. Colliget, betonicam calidam & siccam in quarto gradu constituit, quum tamen eius sapor amarus indicat secundū non excedere, vt rectè admodum elici potest ex Galeno lib. vij. de Facultat. simplic. medic. vbi de ea ita loquitur: Cestrum, id est betonica, vim habet incidendi, vt gustus indicat, est enim subacris & amariuscula, quare calculos renum frangit, pulmonem, pectus, & iecur

Otho Brūphelsius errat.

Auerrois errat.

Betonica.1.

Betonica.2.

iecur expurgat,menſes promouet, comitialibus prodeſt, rupta conuulſaque curat, omnibuſq; beſtiarum morſibus illita auxiliatur, poſtremo acidum ructantibus & iſchiadicis bibita prodeſt. Cæterum, hodie ex herba iſta, ſyrupus à ſeplaſiarijs paratur, quem Ferrarienſes prætermittunt,nec eo vnquam ante me vſi fuerunt, quum tamen in omnibus ægritudinibus frigidis,ſed præcipue capitis,inter cæteros ſyrupos primatum obtineat, non minus quoque ex ea vnguentum, ac etiam cerotum conficiuntur, quibus nunc chirurgici maxime vtuntur.

DE BRITANNICA.

Græcè, βρεταννικὴ, Latinè, Britannica: Offic. biſtorta.

SECVNDA BISTORTA.

Græcè, βρεταννικὴ δευτέρα: Latinè, Heptaphyllon, ſeptem folium, biſtorta ſecunda, tormentilla: Hiſpanicè, Sette enrama: Italicè, ſettifoglio herba,la tormentilla: Germanicè, Genſs ampffer.

Enar

Enarratio II.

Britannica.

QVum de Britannica doctorũ hominum varia inquirerẽ iudicia, nõ aliud extorquere valui, quàm quod britannica, biſtorta herba ſit, acetoſæ magnę ſimilia folia habens, nigriora tamen, & cuius radices varie cõſpiciuntur, nam quandoque ſubtiles apparẽt, aliquando verò craſſæ, rubricantes, & tortuoſæ, de qua Plin. lib. xxv. cap. 3. ita dixit: In Germania trans Rhenum, caſtris à Germanico Cæſare promotis, maritimo tractu, fons erat aquæ dulcis ſolus, qua pota, intra biennium dentes deciderent, compagesq; in genibus ſoluerentur, Stomacacen medici vocabant, & ſceletirben. Ei malo reperta auxilio eſt herba, quæ vocatur britannica, non neruis modo, & oris malis ſalutaris, ſed contra anginas quoque & ſerpentes, folia habet oblonga, nigra, radicem nigram, ſuccus eius exprimitur, & ex radice, florem vibones vocant, qui collectus priuſquam tonitrua audiantur, & deuoratus ſecuros in totum reddit. Friſij quà caſtra erant, noſtris demonſtrauere illam. Miror quidem quæ nominis eſſet cauſa, niſi forte confini Oceano Britãniæ veluti propinquæ dicauere: non enim inde appellatam eam quoniam ibi plurima naſceretur, certum eſt. Cæterum eſt & alia biſtorta, herba ſatis vulgaris, & pentaphylli ſpecies: quæ nonnunquam quinque, aliquando verò ſeptem emittit folia, & ideo biſtorta dicta quoq; quia eius radix tormentilla appellata, cũ prædicta ſimiles habeat poteſtates virésve. Eſt enim vt obiter dicam radix hæc craſſa, breuis, plena granis, ad ruborem

Hanc opinionem refutat Matthiolus.

inclinans: quæ veluti prima astringentem vim habet, & ad omnia quæ densari syrupus vtilis est, priuatim verò, vino austero pota, tum etiam super aluum, ac renes, aceto mixta, & admota, fœtum solitum per abortum perire, retinet, & seruat: eius quoq; puluis cum succo plantaginis, iis propinatur, qui vrinam retinere non valent, non minus quoque super vulnera, puluis eius respersus, ad cicatricem facillime ea perducit, demum menses muliebres supprimit, & choleram morbum compescit. Porro tormentillam contra omne genus veneni, præstantissimum antidotũ, recentiores affirmant, qua de causa, ab ea aquam per elambicum parant, veluti ex radicibus decoctum, imo multi grassante peste, cõditum ex ista radice parant, quo ieiuno stomacho muniti, luem pestilentem minime formidant. Contra dysenteriam quoque radicem istam multum prodesse fertur, imo internum omne vlcus, ad cicatricem ducere, tum epota ad foris applicita creditur. De Britãnica verò, ita meminit Galenus lib. vj. de Facultatibus simplicium medicamentorum. Huius folia astringentia sunt, & vulnerum glutinatoria, similia agrestibus lapathis, at expressus ex illis succus perinde natus est astringere, videturque sanare iam putrescentia.

DE LYSIMACHIA.

Græcè, λυσιμάχιον: *Latinè*, *Lysimachia*, *salicaria*: *Hispãnicè*, *lismacho*, *Gallicè*, *Chasseboſſe*: *Germanicè*, Vveiderich.

Enarratio III.

LYsimachion siue Lysimachia, frequens & multis cognita herba est, quæ aquosis potissimum locis gaudet. Nascitur enim ad ripas Padi, magna in copia, flore quandoq; ruffo, aliquando verò aureo, folio verò salicis, sed viridiori, nam huic cauliculi cubitales sunt, & maiores, fruticosi, tenues, ac nodosi, & vt paucis dicam, persicariæ omnino similis herba ista est. Vnde Leonicenum, ac post eum Ruellium Gallum errasse, clarũ est, quum corniolam herbam, qua infectores pro tingendis lanis vtuntur, lysimachium esse crediderunt, Nam reuera corniola

Ruellius errat.

longe

Lysimachia. 1.

Lysimachia. 2.

longe à lysimachio alia est herba, quam luteam quoque nonnulli appellant, & Hispani simul & Lusitani Lirium infectorium sua voce dicũt: Itali verò Cerretam, vel bragliam, in qua nec salicis folia videntur, nec in eis aliqua percipitur stypticitas, imò in ea potius cauliculi & folia lini conspiciuntur, vt liquido constet, corniolam Lysimachiam non esse. Lysimachium verò nos verum nouisse, nouit vniuersa Ferraria, ad quam, quicunque de re herbaria, veluti de bona medicina exactã notitiam habere desiderat, accedat consulo: Sunt enim Ferrarienses, cœlesti quodam influxu fauente, medici doctissimi, ac rerum naturalium cognoscendarum diligentissimi, qua de causa, apud eos, per sex annos, nunquam pœnitendos commorati sumus. Dicitur verò lysimachion quia Lysimachus rex eam primo inuenerit, vt testatur Plinius li. xxv. cap. 7. dicens: Inuenit & Lysimachus herbam Lysimachiam, quæ ab eo nomen retinet, celebrata Erasistrato, folia habet salicis viridia, florem aureum, fruticosa, ramulis erectis,

odore graui, gignitur in aquosis. Vis eius tanta est, vt iumentis discordantibus iugo imposita, asperitatem cohibeat, & vt inquit Galenus lib. vij. de Facult. simpli. medic. Superantem astrictionem sortitur, per quam omnes sanguinis fluxus reprimit, tum pota, tum cataplasmatis modo admota.

DE POLIGONO MASCVLO.

Græcè, πολύγονον ἄρρεν: Latinè, Polygonon centinodia, seminalis herba, corrigiola, proserpinaca, sanguinaria, sanguinalis: Hispanicè, cien nudos corriola: Italicè, corrigiola, centinodia: Gallicè, Corrigiole, ou herbe aulx innocens: Arabicè, Casialrahagi: Germa. Vveggras, denngras, vueg dritt.

DE POLIGONO FOEMINA.

Græcè, πολύγονον θῆλυ: Latinè, Polygonon fœmina, sanguinalis fœmina, corrigiola fœmina, centinodia fœmina: Germanicè, Klein schafftheuu.

Enarratio IIII. V.

Polygonō. TAm masculus quàm fœmina, polygonon, siue centinodia dicta herba, officinis familiaris est, quę ideo sanguinaria vel sanguinalis dicitur, quia sanguinem vndecunq; fluentem maxime constringit compescitue. Masculum quia serpit, humiue repit, Apuleius proserpinacam appellat, quam aliquis potius fœminam nominaret. Alteram vero in altum crescentem, masculum. Sed revera, quæ humi serpit, masculi denominationem habens, viribus potentior est, vt ex Galeno didicimus, lib. viij. de Facultatibus simpl. med. ad istum modum dicente. Vti astrictionis est particeps: ita in eo frigidum aqueum vincit, vt secundo excessu refrigeret, aut etiam initio tertij. Itaq; æstuanti ventriculo, erysipelati, atq; calidis phlegmonis, si illinatur frigidum, auxiliatur, sistit præterea vniuersas fluxiones, qua ratione videtur exiccatorium: quare ad herpetas, vlceraq; bonum remedium est: quin etiam cruenta vulnera glutinat, aurium q; puri & vlceribus confert,

Proserpinaca.

stillic

ſtillicidio & ſtranguria affectis exhibitum, vrinam mouet, vt Dioſcorides ait, fœmina ad omnia mas præſtat.

DE POLYGONATO

Græcè, πολυγόνατον: *Latinè*, *Polygonatũ*, *Offic. geniculata*, *fraxinella*, *ſecacul*, *ſigillum Salomonis*, *ſigillum Mariæ*: *Hiſpanicè*, *fraxinella*: *Italicè*, *fraſſinella*: *Gallicè*, *Signet de Salomon ou genouillée*: *Germanicè*, Vveiſs vuurtz.

Poligonatum mas. *Fœmina.*

Enaratio VI.

Poligonaton.

POlygonatum, hodiæ fraxinella, ſiue geniculata appellatur, pratis frequens herba, & Italiæ quoq; hortis ſatis familiaris, quam Manardus Secacul Arabum eſſe autumat, reclamante tamen Mathiolo Senenſe, Reuera tamen, polygonatum, ſiue fraxinella, à ſimilitudine quam cum foliis fraxini habet, dicta, Secacul eſt, cuius radices ſaccharo pro irritanda libidine, à multis parãtur,

& vt tradit Galenus lib.viij.de Facul.ſimpl.medic. Aſtrictionis pariter & acrimoniæ habet quippiam, cum faſtidioſa quadam amaritudine. Quare non vſq; adeo eſt veſcum, Sunt qui radicem eius illinant vulneribus, alij eo næuos in facie detergunt.

DE CLEMATIDE.

Græcè, κλημᾶτις: *Latinè*, *Clematis*, *vincaperuinca*: *Hiſpanicè*: *peruinqua*: *Italicè*, *prouenca*: *Gallicè*, *Eſperuenche*, *ou Lyſeron*: *Germanicè*, Ingrien, oder ſingrien.

Enarratio VII.

Clematis.

Clematis.

CLematis prima, vt hiſtoria clamat, officinarum peruinca eſt, herba humi ſerpēs, & qua hortulani, & hortorum mulierculæ, herbarum faſciculos ligāt, viciuntue, vndē illi peruincæ nomen inditum eſt. Cæterum, quidam peruincam chamædaphnē eſſe contendebant, non ſine tamen errore, quia chamædaphnes, alia vt dicemus eſt herba. De hac vero clematide, Galenus in medio capitis de clematide, libro ſeptimo de Facult. ſimplic.medic. ita dixit: Dicitur etiam clematis illa herba, quam nonnulli polygono idem appellant, quæ tantum abeſt vt exulceret, vt profluuiis, & dyſenteriis cum vino pota auxilietur, manſaq; dentium dolores mitiget, ac deniq; doloribus vteri in peſſo admota ſit vſui.

DE

DE ALTERA CLEMATIDE.

Græcè, κληματὶς ἑτέρα: *Latinè*, *Altera clematis, ambuxum, flammula*: *Hiſpanicè*, *Italicè*, *flammola*: *Gallicè*, *Viorne*: *Germanicè*, Vvald raeben Lynen.

Enarratio VIII.

HAec vero ab Herbariis, flammula dicitur, quia flammæ modo vrit, exulceratue: An vero alio nomine à flammula Hiſpani herbam iſtam vocent, mihi non ſuccurrit, nobis vero herba ſatis nota eſt, quæ validiſsime linguam rodit: in ſecunda tamen editione huius libri, viri doctiſsimi Hiſpani, quibus herbarum nomina vulgaria in promptu ſunt, lemmati ea addere poſſunt, vt pharmacopolis, & aliis exteris nationibus, herbarum integram cognitionem præſtent: porro huius naturam, & vires, Galenus initio capitis citati, ita proſequitur, dicens: Huius folia acrem & adurentem obtinent Facultatem, adeo vt lepras excorient, fuerit itaq; in quarti ordinis excalfacientium initio.

DE POLEMONIO.

Græcè, πολεμώνιον: *Latinè*, *Polemonium*.

Enarratio IX.

FErrarienſium cõſenſu, polemonium ruta capraria eſt, herba vbiq; nota, & quam omnes ob raras eius dotes, plurimi faciunt: quum vero Ferrarienſes dico, intelligatis velim, Leonicenum, Manardum, ac Muſam Braſauolam, ex quibus vltimus, ſe frequentiſsime per huius herbæ ſucci potum, obſeruaſſe tradit, plures peſtilentia correptos, in ſanitatem reſtitutos, id quod Dioſcorides quoq; fateri videtur, quum contra ſerpentes, & venena valere tradat. Quibus de cauſis, ex huius ſucco, Aloe, Myrrha, & Croco, contra puerorum vermes ſingulare paratur vnguentum. Nec eſt, quòd Mundella Brixienſis, vir mea ſententia doctus, ſed in praxi parum inſtructus, Braſauolam in hac re vellicet, quum ex variis ſimplicibus tandem vim habẽtibus, vnum medicamentũ componere, apud

Contradicit Mathiolus, nullã tamen depingit.

apud medicos nouum non sit. De polemonio Galenus lib. viij. de Facul. simpl. medi. ita inquit: Polemonium tenuium partium est, & desiccandi vim obtinet, vnde quidam radicem eius cum vino, ad Ischiadas, dysenteriam, lienemq; induratum propinant.

DE SYMPHYTO PETRAEO.

Græcè, σύμφυτον πέτραιον, Latinè, Symphytum petræum, consolida: Hispanicè, Suelda: Italicè, Simphyta consolida: Gallicè, Bugle: Germanicè, Stein gunsel.

Enarratio x.

Symphytū Petræum.

Symphyton Petræon.

EX herbis, quas Ioannes Falconerius Anglus, secum afferebat, Symphytū petręum erat quam consolidam nonnulli appellant, quæ vt testatur Ruellius, familiaris Gallis admodum est, & eam sua lingua, buglam vocant: in Italia quoq; nasci, cum Paulo Castiliono medico affirmamus, quanquam Mathiolus nunquam eam se vidisse tradat: de cuius viribus Galenus lib. viij. de Facul. simpl. medi. ita dixit: Habet quandam vim incidendi, qua collectum in thorace pulmoneq; pus expurgare potest, ac simul contrahendi facultatis est particeps: qua eiectionibus sanguinis auxiliatur, estq; humidum, ac non immodice calidum, vnde & dulce apparet, ac odoratu iucundum: Ad hæc, mansum sitim extinguit, & arteriæ sanat asperitates, liquet igitur ipsum etiam & digerere & constrin

constringere posse: vnde & enterocæliis imponitur, & ad conuulsa & rupta cum oxymelite bibitur.

DE ALTERO SYMPHYTO.

Græcè, σύμφυτον ἄλλο: Latinè, symphytum alterum, consolida maior, alum, solidago: Hispanicè, suelda maior: Italicè, consolida maggiore, alo: Gallicè, consyre, & oreille d'asne: Germanicè, Vval vvurtz.

Enarratio xi.

Consolida maior.

HAec, omnibus consentientibus, consolida maior est, quæ flore non solum luteo, sed rubro, & albo ornatur, cuius radicem, tum intus, tum extra, contra rupturas, casus, ac vulnera, hoc tempore medici frequentissimè adhibent. Dicitur verò, consolida maior, alterius minoris respectu, quã falso multi seplasiarij, pro petræo symphyto vsurpare minime verentur, iis Germani, sanniculam addunt, quinquefolio, aut fragariæ persimilem herbã quam diapensam quoq; vocãt, quia eius folium in quinq; partes diuisum habet, vnde multi inter pentaphylli genera eam reponunt, cuius radix alba mira nodorũ concatenatione implicita, ad eosdẽ dictos effectus valet, est quoq; præter dictas, alia consolida, quam margaritam aliqui, alij verò primulam veris, nonnulli verò herbam sancti Petri, herbam paralysis, vel clauium herbam appellant, hortis familiarissimã, vtpote flores iucundos, ex albo rubricantes, ac oculis gratos emittentem. Est quoq; altera consolida, regia vel regalis dicta, herba mira pulchritudine obuia, quæ flore purpureo, violæ magnitudine ornatur, & quam Germani militis calcar appellant, quia calcaris similitudine, corniculum, eius flos in infima sui parte emittat. Huius herbę flores, oculorũ ardori opitulari tradunt, præcipue si pisti, ac aqua rosacea excepti, desuper apponatur, paratur quoq; ex herba ipsa decoctum, quod multum valere scimus, ardoribus tussis, inflammationibus, veneno, ac cholericæ passioni, non minus quoq; vrinæ retentioni, renum calculo, & coxendicis dolori prodest, demum pro aluo purganda à multis vsurpatur. De altero verò Symphyto, quod magnum appellat, loco citato Galenus ita tradit:

Sanniculæ

Margaritæ.

Consolida regalis.

tradit: Symphytum magnum, similem dicto vim habet cæterum neq; videtur dulce, neq; odoratum. Est verò secundum viscositatem mordacitatemq; scillæ simile.

DE HOLOSTEO.

Græcè, ὁλόστεον: Latinè, holosteon.

Enarratio XII.

HAllucinantur, qui Holosteum pilosellam esse autumant, quum inter se maxime, vt conferenti manifestum erit: nam pilosella folia oliuæ emittit, albis onusta pilis, vnde nomen traxisse certũ est, cuius quoq; ramusculi serpunt, lanuginosi, pilosiue, in quibus flores lutei nascuntur, nam radices tametsi illi graciles insint, longæ tamen non sunt, sed perbreues admodum, vt inter se differre certum sit: Non ab re tamen esset, nec contra rationẽ actum, si quis vice holostei, pilosellam acciperet, & ea vteretur, quia vtraq; astringendi vires habet: ita enim pilosella potenter adstringit, vt animalia, præcipuè pecora, quæ illam pascuntur, ob restrictos ventres, de vita periclitẽtur: vnde pastores hoc scientes, præcauent suos greges à campis & pratis herba ista scatẽtibus. Caue tu tamen optime lector, ne Auriculam muris, pilosellam quoq; dictam, hanc pilosellam esse autumes, de qua nunc sermonem habemus. Cæterum, est holosteon, ea herba quam rura, molle gramen, vel canis denticulum appellant, quæ humi serpit, foliis, viticulisque coronopo, aut gramini similibus gustu astringentibus, radice alba, prætenui vsq; in capillamenti speciem protracta, longitudine quatuor digitorũ, de qua Galenus lib. viij. de Facultatibus simplicium medicamentorum ita tradit: Olosteum desiccandi vim obtinet, cum astrictione, ideoq; propinatur ad rupta.

CONSTANTINVS.

GRæcus codex Dioscoridis ante octingentos annos conscriptus, consecratusq; bibliotheca regiæ, munere illustrissimi viri domini d'Aramont regis legati apud Mahumetanos, in pictura holostei, mihi notissimam herbam ostendit, quam ab effectu herbarij vocant herniam, nosq; vulgò de l'herbe au turc. hæc explet omnes notas holostei apud Dioscoridem & Plinium, qui ipsam plantam ita descripsit lib. xxvij. cap. 10. Holosteon sine duritia herba, exaduerso appellata à Græcis, sicuti fel dulce (nam, vt in supplemen-

so linguæ Græcæ omnium primi aduotauimus, ex Cælio, Aureliano, lib. iij. Chronion cap. j. multa contrariæ interpretationis vocabulum sumpserunt, vt fella quæ Græci γλυκία, vocant, cum sint amarissima) tenuis vsque in capillamenti speciem, longitudine quatuor digitorum, cæu foliis angustis, astringens gustu. Nascitur in collibus terrenis, vsus eius ad conuulsa, rupta in vino pota, vulnera quoq; conglutinat. Nam & carnes coguntur addita. legendum verò ex authoritate Galeni & Plinij holosteon (vti etiam in prædicto manu scripto Dioscoridis exemplari legitur) non autem Olestion, vt in impresso Græcè codice.

DE STOEBE.

Græcè, στοιβὴ: Latinè, stœbe, colymbas, phleon.

Enarratio XIII.

PRætermittit Dioscorides stœbes historiam tanquam herbæ vulgaris, & omnibus notæ, quæ Theophrasto phleos est, herba fruticosa, aculeata, tum caule, tum folio, semine molli, rubido, radice tenera, quam oues vtilissime comedunt, nec alibi quàm in aquaticis nascitur. Galenus verò libro primo, de Antidotis, vbi de vinis sermonem facit, inquit: patrem suum, ad cõseruanda vina imbecillia & aquosa, ne quoque acescerent, stœbe copiosa, calida, apud domum calidissimã vasa plena vino cooperiebat, & assecutus fuit id quod sperabat, & subdit: porro herba quæ apud nos nascitur fruticosa, admodum est calida, acris, & odoratum quippiam resipiens. Vocant ipsam incolæ colymbadem, nonnulli stœben, ad vini conseruationẽ aptissimam, & cætera. Libro quoque de Fœtuum formatione, stœben herbam, iecori assimilat, quum dicat, ipsa propria hepatis substantia, de qua antea dixi, in orbem circumnascitur, & media fissurarũ spatia ad similitudinem stœbes herbæ explet, atq; ita quidem exortus ex inferiore vena, in simis huius visceris partibus fiunt. Hæc Galenus. In quibus stœben herbam iecori similẽ facit, at quæ illa hodie sit, ignoratur: In Græcia tamẽ, vulgarem herbam esse, Græcus quidã medicus mihi retulit. Multi verò stœben, scabiosam esse dixerunt, sed falso, quia scabiosa aculeata herba non est, imò folia erucæ multidiuisa, aç subhirsuta habet, flores verò cæruleos, albicantes: item, scabiosa nascitur in campis, & siccis locis: stœbe verò in aquosis, vt liquid

Stœbe.

Scabiosæ herba.

liquido conſtet ſcabioſam non eſſe ſtœben. Proinde Pandectarius, in hac, vt in aliis ſæpe ſolet, hallucinatur, credens vtiq; ſtœben ſcabioſam eſſe. Sed nos Matthæũ iſtum Syluaticum, cum ſuis erroribus miſſum facimus, & ad ſcabioſæ facultates accedamus, quæ ita habent: Scabiem & pſoram curat, non decoctum vel ſolum aqua ebibita, ſed etiam vnguentis eius ſuccus mixtus, qua de cauſa purgat, & abſceſſus rumpit, ac carbunculos curat. De ſtœbes vero viribus, ita tradit Galenus lib. viij. de Facul. ſimplic. medic. Fructus eius & folia aſtringunt citra mordacitatem, deſiccantq; in tertio fere incipiente ordine, quare decoctum eorum iniicitur dyſentericis, auribusq; pure fluentibus, quod etiam magna vulnera glutinat, præcipuè cum vino atro & auſtero. Valenter enim deſiccat omnes præter naturam humiditates: folia viridia illita erumpentem ſanguinem ſupprimunt, ſuffuſionibusq; oculorum ex ictu medentur.

DE CLYMENO.

Græcè, κλύμενον: Latinè, clymenum.

Enarratio XIIII.

Clymenos herba.

CAule tantum, clymenos à ſaponaria vulgari, differre videtur, quia clymeno, caulis fabaceus quadrangulus ineſt: Saponariæ verò rotundus, ac nodoſus, vtriq; tamen eadem ſunt folia plantaginis: cæterum clymenum mulierculæ Luſitaniæ, apud quas, præ cæteris nationibus, Romanorũ voces ſeruatas inuenio, ſua voce, ſexafriguam, vel ſaxifragã appellant, vnde in mentem venit, quòd non ab re eſſet, herba hac, quadratum caulem habente, quam nos clymenũ dicimus, ſaponariæ veræ loco vti, quia vera ſaponaria ſaxifragia dici poteſt, quia calculos veſicę frangit, & eos cum vrina pellit: imò Mathiolus Senenſis, vir mea ſententia, in re herbaria veluti cæteris medicinę partibus, ſatis inſtructus, pro vera ſaponaria, hanc quadrangulum caulem habentem recipit, & eam clymenum eſſe dicit, De qua Galenus, nullam libris Simpli. mentionem fecit, veluti nec Paulus: Plinius tamen libro xxv. cap. 7. hanc à rege Clymeno, vnde & nomen traxit, inuentam contendit, cui, quæ periclymeno debebãtur, non ſine errore tribuit.

Mathiolus Senenſis.

Plinius erat.

CONST

CONSTANTINVS.

CVm hominis sit oris durissimi, & perfrictæ frontis, in re aperta mentiri, subit mirari Amati Lusitani (cui sane alioqui, sua etiam laus debetur) ingenium atq; audaciam, quem Mathioli viri insigniter docti, authoritatem ementiri non pudeat: nec idquidem semel, sed sæpius, vti facit hoc in loco de Clymeno, quam plantam sibi incognitam esse ingenuè confitetur ipse Mathiolus, contenditq; non esse saponariam: iure quidem, nam plerique iam veram clymenon mecum agnoscunt, longe diuersam à saponaria, vt in alio opere graphica ipsius pictura, testabimur. Immeritò tamen Plinius a Mathiolo, ita culpatur: Hanc inquit, vt Plinius memoria prodidit lib. xxv. cap. 7. inuenit rex Clymenus, vnde & nomen herbæ. Quo in loco idem Plin. Clymeno perperàm illa omnia reddidit, quæ Dioscorides periclymeno assignat. hactenus Mathiolus, cuius postrema clausula plane falsa est (quod tamen cum tanti viri bona venia dixerim) optimè enim Dioscoridis vestigijs insistens Plinius periclymenon distinxit a Clymeno: sed pro diuersitate eorum quos sequitur, Clymenon duplicem describit, in secunda non dissentit a Dioscoride, in prima tantum specie, non omnes. vt inquit ipse Mathiolus, sed quasdam periclymeno attributas notas a Dioscoride, Clymeno ascribit Plinius, pro plantarũ, aut scriptorum differentia & varietate. Quæ omnia vt plana faciam, Plinij locos super hac re adducere operæ pretiũ est, lib. xxvij. cap. 12. Periclymenos fruticat & ipsa, ex interuallo, duo folia habens, subcandida, mollia. In cacumine autem semen inter folia durum, & quod difficile euellatur. Nascitur in aruis ac sepibus, conuoluens se adminiculis quibuscunq; semen eius in vmbra siccatum tunditur, & in pastillos digeritur. Hi resoluti dantur in vini albi cyathis tribus, trienis diebus, ad lienem: eumq; vrina cruenta, aut per aluum absumit, quod intelligitur à decimo (Dioscorides habet sexto) statim die. vrinam cient & folia decocta, quæ & orthopnoicis prosunt. Partum quoque adiuuant, secundasq; pellunt pota simili modo. At verò lib. xxv. cap. 7. sic inquit, Clymenos à rege appellata est, hedera foliis, eramosa, caule inani, articulis præcincta, odore graui, & semine hederæ, syluestribus & montosis nascens. Quibus morbis pota medeatur, dicemus (nempe lib. xxvj. cap. 8.) sed hic indicandum est, dum medeatur sterilitatem pota etiam in viris fieri. Græci plantagini similem esse dixerunt, caule quadrato, folliculis inter se implexis, velut in polyporum cirris. Et succum autem in vsu, vis eius summa in refrigerando. Hactenus

Plinius, quem etiam, vt debitorem creditor appellat, & obtorto collo pertrahit Lusitanus, ipse qui totus est in ære Mathioli, ex cuius non mutuatitia, vt loquitur Gellius, sed surreptitia pecunia, suas facultates exornat, & amplificat.

DE PERICLYMENO.

Græcè, περικλύμενον: Latinè, periclymenos: Officin. volucrum maius, mater sylua, vinciboscum: Hispanicè, madre sylua: Italicè, matri selua: Gallicè, succetz, ou cheurefeuille: Germanicè, Geyſs blatt, ſpeck oder vualdgilgen, vnd zeünling.

Enarratio XV.

PEriclymenos, omnium doctorum hominum voto, Matriſiluia eſt, quia omni ex parte inter ſe maxime reſpondent, quam quoq; nonnulli caprifolium appellant, ſed reuera non ſine errore: quum caprifolij nomen pyxacanthæ Dioſcoridis magis conueniat: Sed huius erroris Matthæus Syluaticus author fuit, quem ſubticere ſatius eſt. Cæterũ ex periclymeni ſiue matris ſyluæ ſucco, optimum confici ſolet cerotum capitale, quod medici & chirurgici iuniores miris extollunt laudibus. At Ioannes de Vigo, non aſpernendus chirurgus hanc herbam, crurium vlceribus, multum valere ſcriptũ reliquit, qui remedium hoc, à Galeno lib. viij. accepiſſe fatetur, ſed ſua pace bona dixerim, non ſine menda, quum apud Galenum hoc non reperiatur, vt ex ſuis verbis percipitur, quæ ita habent: Fructus eius & folia adeo vehementer incidunt & calfaciunt, vt ſi diutius bibantur vrinam ſanguinolentam efficiant, principio tantum vrinam mouentia, foris cum oleo illita etiam excalfaciunt. Iuuant & lienoſos, & difficulter ſpirantes, competens menſura eſt, drachmæ vnius cum vino, deſiccat etiam ſemen (& vt quidem tradunt) ſi liberalius bibatur, ſterilitatem inducit.

Ioãnes de Vigo errat

DE TRIBVLO.

Græcè, τρίβολος: Latinè, tribulus: Hiſpanicè, abrojos, abrolhos ſpinas: Italicè, tribolo: Arabicè, haſach: Gallicè, maeres, ſaligots, & chaudetrapes.

DE

DE TRIBVLO AQVATICO.

Græcè, Τρίβολος ἄλμος: *Latinè*, *Tribulus aquaticus*: *Hiſpanicè*, *abroyos delhagoa*: *Italicè*, *tribolo aquatico*, *caſtagne del aqua*: *Gallicè*, *triboli aquatici*: *Germanicè*, Vvaſſer nuſs.

Enarratio XVI.

NOrunt terreſtrem tribulum, qui excalciati in pratis ſecus flumina, & in domorum areis vagantur. Humi enim ſerpit herba hæc, cuius folia minuta portulacæ figura ſunt, inter quæ ſpinæ tribuli dictę, magnitudine ciceris naſcuntur. Cuius alteram ſpeciem Theophraſtus lib. vj. de Hiſtoria Plantarũ, cap. 5. facit. Eſt præter terreſtrem tribulum, alter aquaticus, ob id quod in aquis tã dulcibus, quàm maritimis naſcatur, dictus, qui ſupernatat & triangularis magnitudine caſtaneæ apparet: qua de cauſa, Mantuani & Ferrariẽſes, imò omnes ferè Longobardi, tribulos iſtos, caſtaneas aquaticas appellãt, vel potius forſan ob id quòd caſtanearum ſaporem in guſtu referant, ex quibus quoq; peregrini ſuas coronas parant, vt collo ſuſpenſis melius hypocriſim ſuam oſtentent. Nam Venetiis apud Riuum altum tribuli ij venduntur, & marini dicuntur. Naſcuntur enim, vt ſæpe vidimus in lacubus prope Clodiũ portum. De quibus Galenus lib. viij. de Facult. ſimplic. medi. ita inquit. Tribulus ex humida eſſentia modice frigida, & ſicca non mediocriter, cæterum ſimiliter frigida conſtat: Vnde contra phlegmonarũ generationes, & cõtra omnes influxus congruit: porro terreſtris ipſius fructus, quum tenuium ſit partium, potus renum calculos conterit.

Tribulus terreſtris.

Tribulus aquaticus.

DE SAXIFRAGA.

Enarratio XVII.

TAmetſi ſaxifraga verbum Latinum quàm Græcum potius referre videatur, cuius cauſa, caput hoc multi cum Marcello adiectitium Dioſcoridi eſſe putarunt: nihilominus tamen verum & germanũ eſſe atteſtatur quod in omnibus Dioſcoridis exemplaribus reperiatur. Quæ tamen hodie ſaxifraga Dioſcoridis ſit, multi non allequuntur, quum illius vice, herba quadam inter ſaxa plerunq; naſcente vtantur, quæ pimpinellæ ſimilis videtur,

Saxifraga

Sed in hoc differunt, quia pimpinella habet pilos: Saxifragia verò illos non habet, vnde notum euadit, quòd recentiorum saxifragia, apud Dioscoridem non est saxifraga, quia Dioscoridis saxifraga epithymo potius, quàm pimpinellæ similis est. Revera tamen, Dioscoridis saxifraga, epithymo omnino respondens in Italia conspicitur, qua in minuendo renum & vesicæ calculo, ac lotio euocando, non infelici successu operamur, cæterum de empetro alibi caput habetur.

CONSTANTINVS.

SVppositicium & spurium est illud caput de saxifragia, non enim in antiquis Dioscoridis exemplaribus legitur. Quin hæc quæ à falsario quodam, interposita sunt de saxiphragia, ita deprauatè & corruptè Græcè traduntur, vt qui hæc interiecta & non legitima non potest agnoscere, nesciat planè quid distent era Lupini. Plinius vocat Adiantum saxifragum, quòd calculos comminuat, libro xxv. capite 21.

DE LIMONIO.

Græcè, λειμώνιον: Latinè, limonium, beta syluestris: Hispanicè, aselga montesina: Gallicè, bette, ou reparee de pré: Ger. Vvald mangolt.

Limonium.

Enarratio XVIII.

VT testatur Plinius, lib. xx. cap. viij. limonium beta est syluestris, quãquam Galenus, lib. ij. de Facult. alimen. nullam reperiri betã syluestrem dicat, Reuera tamen, Limonium hodie variis in locis reperitur, folio paruo betam referente, caule cubitali, & maiori, subtili, simili corneolæ, siue luteæ dictæ herbæ, Sed semine omnino

omnino onusto, cui radix alba raphani similitudine inest. Cæterum, non sunt audiendi medici illi, qui contendunt Limonium apud Paulum Aeginetam, fructum vulgo limonem dictũ, esse, inest enim limonij herbæ dictæ semini vel fructui dicto, austeritas quædam, ob quam limonem fructum esse falso opinati sunt: Vnde Galenus libr. vij. de Facul. simpl. medic. ita quoq; dixit: Eius fructum, vt pote acerbum, ex vino exhibent cœliacis, dysentericis, & hæmoptoicis, iuuat & profluuium muliebre: Satis est oxybaphi mensura.

DE LAGOPO.

Græcè, λαγώπους: Latinè, lagopus.

Enarratio XIX.

Lagopus.

IAm succinctè ac breuiter de Lagopo loquutus est Dioscorides, vt quæ illa sit herba, difficile sit diuinare, vt tamen coniecturis assequi potuimus, lagopũ, herbam illam, quam trinitatis appellant, esse, credendum est. Quæ ideo trinitatis herba dicitur, quia folia sua maculata, in tres partes diuisa, & longis pediculis à radicibus ortis, adalligata habeat, in cuius cubitali cauliculo, ineunte vere, cæruleus quidam flos peruincæ similis nascitur: nam radix huic multiplex est, subtilis & in nigrum rubricans. Cæterum hæc herba trinitatis, pes leporis dicitur, quia eius folium in tres partes diuisum pedem leporis animalis referat: Quæ aluum reprimit, vulnera consolidat, ac intestinali rupturæ prodest, præcipue si eius pulueris drachma in vino austero & styptico bibatur.

Quæ omnia, lagopo ex directo conuenire, certũ est. Cęterum hanc Trinitatis herbam, Otho Brunphelsius, extra omnem animaduersionis modum, inter hepaticas reposuit, qua ratione illi in hac re nulla præstanda est fides. Item non minori errore comprehensus videtur Matthęus Syluaticus, quum lagopum, caryophyllatam esse dixerit: quia lagopus in hortorum areis nascitur: caryophyllata verò, in montibus longe à sepibus & viis, quã multi quoque, sanam mundam, alij herbam benedictam appellant. Dicitur verò caryophyllata, siue gariophyllata quia eius radix odorem caryophylli expiret: Quæ, vt mea fert opinio à Plinio, Geũ lib. xxvj. cap. 7. appellatur, Datur enim iis qui ex alto cadunt: Huius radix in puluerem redacta, per se vel consolidæ adiuncta, ac in vino pota, certo iuuamento, stomachum quoq; roborat, ac fluxum omnem restringit, & solo odore spiritũ recreat, calida enim & sicca est, vt eius attestatur sapor & odor. Porro de lagopo, ita breuissime tradidit Galen. lib. vij. de Facult. simpl. medic. Facultatis est desiccantis, adeo vt fluxus alui probè exiccet. Verum meminisse decet, esse alteram herbam trinitatis dictam, inter coronarias cõnumeratam, quam trinitatis appellant, quia in eius flore, trinus reperitur color.

Brunphelsius errat.

Matheus Syluaticus errat.

Caryophyllata.

Geum Plinij caryophyllata est.

Altera herba trinitatis.

CONSTANTINVS.

Lagopus planta ignota est, quia à nemine descripta. Caryophyllata etiam quo nomine dicta sit ab antiquis, incompertum est. Mathioli suspitionem de Geo apud Plinium, in affirmationem arripuit Lusitanus. Illa verò planta etiam herba trinitatis dicta, à doctis hominibus creditur phlox, siue phlogion apud Theophrastum lib. vj. de historia plantarũ & Plinium lib. xxj. cap. 10. nos vocamus mentue pensee: Alteram herbam trinitatis pied D'alexandre, ou D'alouette, quæ Lagopus Lusitano, Mathiolo absque nomine cap. de trifolio.

DE MEDIO.

Græcè, μήδιον: Latinè, medion.

Enarratio xx.

DIfficile admodum est, medium herbam hodie dignoscere, quum in Media nasci tantum credatur regione, ac id magis, quia quibus ornetur foliis non cõstet. In quibusdam enim exemplaribus, legimus, medium folia seridis

dis habere, in aliis vero iridis: vtcunque tamen, ne ordinem peruertamus, de eo Galenus, lib. 7. de Facultat. simpl. medicamen. ita tradit: Radix quidem eius austera est, omnesque fluxiones cohibet, At semen tantum abest, vt id moliatur, vt etiam menses cieat, nimirum tenuium partium quum sit, & facultate incidendi præditum.

DE EPIMEDIO.

Græcè, ἐπιμήδιον: *Latinè*, *epimedium*.

Enarratio XXI.

QVæ hæc sit herba, mihi albo coruo rarior est, iis tamen quæ Dioscorides de ea tradidit, subscripsit Plinius, lib. xxvij. cap. 9. & vt de illius viribus tradit Galen. lib. vj. refrigerat moderate, cum aquea humiditate, vberibus illitum, surrecta ea seruare potest, aiunt verò, si potu hauriatur, sterilitatem parere.

DE XIPHIO.

Xiphion.

Græcè, ξίφιον: *Latinè*, *Xiphium*, *gladiolus*: *Hispani*. *gladiolo de entre los panes*: *Italicè*, *monacuccie*: *Galli*. *glais ou*, *glaieul*: *Arabicè*, *Kasiflon*: *Germanicè*, Schvuertel.

Enarratio XXII.

NAscitur Gladiolus inter segetes vbiq; folio iridis, sed breuiori, angustiori, venoso, & cultri modo in mucronem desinente, vnde nomẽ traxisse videtur. Caulem verò ex se cubitalem mittit, in quo purpurei flores, ordine bene dispositi videntur, qui & si iridis figura similentur, breuiores

tamen sunt, nam radices huic rotundæ duæ sunt, testiculorum canis, dictis radicibus admodum similes, quarum vna alteri subsidet. Plinius verò libro xxv. cap. ii. per Xiphium, aquaticum gladiolum intelligere videtur, quia Xiphium, aquæ accolam dixit, quum tamen Dioscorides, in aruis nasci tradat, de aquatica verò illa gladiolo, capite de acoro sermonem habuimus: sed multo ampliorem capite suo proprio de Xyride: At de Xiphio ita meminit Galenus lib. viij. de Facultat. simplic. medicamentorum. Xiphij radix maxime altera quæ superior est, attrahit, digerit, desiccatque.

Plinij xiphium.

DE SPARGANIO, SIVE XIPHIDIO.

Græcè, σπαργάνιον: Latinè, Sparganium: Gallicè, pillette: Arabicè safarhe ramon.

Enarratio XXIII.

Sparganium spatula fœtida.

SParganion, siue Xiphidion, officinarum spatula fœtida est, quum inter se maxime cõueniant, vnde Mathiolum Senensem hic errare certũ est, quia sparganium non esse spatulam fœtidam contendit, & eo magis, quia in spatula fœtida pilulas non comperiri in quibus semen claudatur dicat, quod falsissimũ esse, qui spatulæ fœtidæ mediocrem notitiam habent: norunt, proinde sparganium spatulam fœtidam esse certum est, cuius succus hodie vnguentis, contra scabiem & psoram miscetur, & merito, quia, vt inquit Galenus lib. viij. de Facult. simplic. medic. Sparganium desiccantis est facultatis.

CONSTANTINVS.

SParganion & Xyridem puto Lusitanũ ne per somnium quidem vidisse, nihil enim certius his qui vtramq; plantã cognoscunt, quàm spatulã fœtidam esse Dioscoridis Xyridem: nõ autem sparganion. Ego quidem qui millies vtramq; plantam vidi in Anglia, & multis alijs locis, sæpeq; contuli cum Dioscoridis descriptione, doctissimo Mathiolo hoc in loco nõ inuitè subscribo, à quo quidem non desciscit Lusitanus, nisi vt aliquis esse videatur.

DE XYRIDE.

Græcè, ξυρὶς: Latinè, Xyris: Hispanicè, lirio spadanal: Gallicè, cossue, ou glaieul sauuage: Arabicè,

bicè, Caſoras: officinis, ſpatula fœtida: Germanicè, Vuandtleuſz.

Enarratio XXIIII.

Xyris.

NAſcitur Xyris aquoſis in locis, & hodie gladiolus purpurea, à flore purpureo appellatur. Altera autem gladiolus luteis floribus reperitur, cuius radix pro acoro à multis vſurpatur, vt capite 2. libri primi diximus. De xyride verò Galenus ita tradit, lib. viij. de Facultatibus ſimplicium medicamẽtorum. Xyris, tenuium partiũ, attractoriæ, digerendi, & deſiccandi facultatis eſt, cũ radix, tum multo magis fructus, qui quidem & vrinam ciet, & lienes induratos ſanare poteſt.

DE ANCHVSA.

Græcè, ἄγχουσα: Latinè, Anchuſa: Hiſpanicè, ſoagem: Italicè, Anchuſa: Gallicè, Orchanette, ou Anchuſe: Germanicè, Rot ochſsen zung.

DE SECVNDA ANCHVSA.

DE TERTIA ANCHVSA.

Enarratio XXV. XXVI. XXVII.

ANchuſæ omnes tres ſpecies norunt mulieres, quia earum ſucco radicum rubro, ſuas fucant genas. Ornantur enim per vniuerſum caulem, flore purpureo ad albedinem inclinante, bugloſſæ perſimili: De quibus Galenus lib. vj. de Facul. ſimpl. medic. agit, & illis lycopſim adnumerat, dicens: Anchuſæ quatuor ſunt ſpecies, Ono-

clea, quam vocant, radicem habet admodum refrigerantem, desiccantem, astringentem, & subamaram, corporibus condensandis & modice extenuandis idoneam, tum abstergendis quoq; & abluendis biliosis & salsis succis: quare aurigini & lienosis est vtilis. Præterea cum polenta illita, iuuat erysipelata, & abstergit non modo epota, sed etiam admota extrinsecus. Proinde aceto macerata, vitiligines & lepras sanat: At folia ipsius herbæ imbecilliora radice sunt, non tamen à resiccatione & astrictione aliena: itaq; profluuium sanant cum vino pota. Lycopsos nominata refrigerans etiam & siccans, similiter erysipelatis congruit, verumtamen radicem quàm onoclea magis astringentem sortitur. Onochilo cognominatæ vis & calidior & medicamentosior inest: quare eos qui à viperis morsi sunt, admodum iuuat, tum illita, tum suspensa, tum esa. Reliqua vero quæ quarta est, & parua, cæteris est calidior, amarior & medicatior: ac proinde ad latos lumbricos idonea, oxybaphi mensura cum nasturtio & hyssopo epota.

DE LYCOPSIDE.

Græcè, λύκοψις: *Latinè*, *Lycopsis*, *Anchusæ altera species*: *Germanicè*, Scharpffochsen zung.

Enarratio XXVIII.

GAlenus quum de anchusa egit, de lycopside quoque tanquam anchusæ altera specie, sermonem habuit, vt ex præcedente enarratione facile comprehendi potest. Ruellius tamen, aliorum iudicio, lycopsim eam esse herbam contendit, quam vulgares Italiæ pharmacopolæ cynoglossam appellant: Sed revera falso, quia inter se maxime differunt, vt conferenti notum erit. Iis adde, quod Plinius noscens lycopsim herbam differentem à dicta cynoglossa, lib. xxvij. cap. 11. seorsum de ea agit dicens: Lycopsis longioribus, quàm lactuca est foliis crassioribusq; caule longo, hirsutis, adnatis multis cubitalibus, flore paruo, purpureo: nascitur in campestribus, illinitur cum farina hordeacea, igni sacro, sudorem in febribus mouet, succo aquæ calidæ admixto. De prædicta vero cynoglossa, lib. xxv. cap. 8. sermonem habuit, quum dicat: Inungitur & cynoglossos, caninas imitans linguas, topiariis oper

Ruellius errat.

operibus gratiſsima, aiuntq;, quæ tres thyrſos ſeminis emittat, eius radicẽ potam ex aqua ad tertianas prodeſſe, quæ quatuor, ad quartanas: Eſt alia ſimilis ei, & quæ ferat lappas minutas: eius radix pota ex aqua, ranis & ſerpentibus aduerſatur: vt liquido conſtet, lycopſim alteram herbam à prædicta cynogloſſa eſſe.

DE ECHIO.

Græcè, ἔχιον: *Latinè*, *Echion*, *Alcibiadion*, *Alcibiacum*: *Hiſpanicè*, *Yerua de la biuora*: *Luſitanicè*, *Chupamel*: *Italicè*, *la bugloſſa ſaluatica*: *Gallicè*, *Bugloſe ſauuage ou herbe à bouc*: *Germanicè*, Ochſen zung.

Echium domeſticum.

Sylueſtre.

Enarratio XXIX.

ECHis Græcis, Vipera Latinis eſt, quæ ideo Echis herba dicitur, quia ſemen, capiti viperæ ſimile habet, multis ſatis nota, folio oblongo, ſtricto, aſpero, bugloſſo vulgari

vulgari simili, qua de causa multi syluestrem buglossum appellant: imò Otho Brunphelsius, pro syluestri buglossa, graphice eam depingit, quæ purpurascentes flores, ad ruborem tendentes, à medio caulis, versus partem superiorem habet, in quibus dulcedinem quandam pueri in Hispania sugentes, percipiunt, vnde nomen herbæ imposuerunt, quale in lemmate fiximus: Nam semen paruum est, nigrum viperino capiti persimile, quod veluti & radix nigricans, digitalis crassitudinis, viperarum morsibus, in potu succurrit. Hanc vero Galenus siluit, libro suorum Simplicium, quanquam Paulus ad Dioscoridis intentionem, de ea mentionem fecerit. Verum, Echion eadem est herba cum Alcibiadio, vt ex Dioscoride percipitur, quãquam Plinium hoc ignorasse satis claret, vt eius indicant verba, quæ ita lib. xxvij. cap. 5. habent: Alcibion qualis esset herba apud authores non reperi. Sed radicem eius & folia trita ad serpentis morsus imponi & bibi iubent. Hactenus Plinius. Ex cuius verbis satis percipitur, quòd quia alcibium esset ignorasset, imò quòd Echion non esset alcibion, ex libro vigesimo quinto, cap. ix. euidentissime comprehenditur, quum de Echio ita dicat: Echios vtriusq; generis pulegio similis, foliis coronata, drachmis duabus ex vini cyathis quatuor datur: item altera lanugine distinguitur spinosa, cui & capitula viperæ similia sunt, hæc ex vino & aceto.

Plinius errat.

CONSTANTINVS.

Memoria in homine permulta complectitur, non tamen omnia: & finita cùm sit, rerum infinitatem non assequitur. quo fit vt minime mirum sit, Plinium quem ex scriptis constat tenacissimæ memoriæ fuisse, hoc in loco obliuiosum videri, nec quidem iniuria: siquidẽ testatum, se Alcibion qualis esset herba, apud authores non comperisse. Et tamen præter Dioscoridẽ, apud quem legendum Alcibion non Alcibiadion: etiam apud Nicandrũ in theriacis, luculentum hoc extat testimonium de alcibio.

Εσθλὼ δ' ἀλκιβίου ἔχιος περιφράζεο ῥίζαν.
Τῆς καὶ ἀκανθοβόλος μὲν ἀεὶ περιτέτροφε χαίτη.

Lege apud ipsum authorem reliquos septem versus. herba inquit, ipsius Nicandri interpres Diphilus, vocatur Alcibios & echis: Alcibios quidem à repertore: Echis autem ab efficacia aduersus viperas, historiaq; authorem aduocat Demetrium. Nicander alibi

vocat

vocat ἐχίειον cuius duo genera facit. locus etiam in Theriacis, quo loco versus incipit:

Εὖτε δύω ἐχίεια πιφάσκεις.

Plinio autem prior refricuit memoriam, illi aurem vellens Senensis Mathiolus. quod silendum non est, vel hac potissimum causa, vt imponam plagiario pudorem, iuxta Martialem.

DE OCYMASTRO.

Græcè, ὠκυμοειδὲς: Latinè, ocymoides, philitarium, ocymastrum, ocymum syluestre, basilicum syluestre: Hispanicè, albahaqua montesina, alfabega syluestre: Italicè, basilico saluatico: Gallicè, basilic sauuage: Germanicè, Vvild basilig.

Enarratio xxx.

NAscitur Ocymastrum, basilicum dictum syluestre, in segetibus plerunq;, folio ocymi, ramulis quadratis, hirsutis, & illis quidem dodrantalibus, in quibus flores albi (silente Dioscoride) nascuntur, quibus decidentibus, siliquæ dentatæ, hioscyamo persimiles, semine quodam nigro melanthio æquali plenæ conspiciuntur. Quibus labiis admotis, pueri non tam Italiæ quàm totius Hispaniæ sibilum edunt, & de eo Galenus vltimo capite libri octaui, de Facul. simpl. medic. ita dixit: Semen ocymoidis, tenuium est partium, & citra morsum, facultatis desiccatoriæ. *Ocymastrũ*

DE ERINO, SIVE ECHINO.

Græcè, ἔρινον: Lat. erinon, echinos, ocymũ aquaticum, basilicũ aquaticũ: Hisp. alfahaqua, de lhagoa: Ital. basilico aquatico: Gal. basilic aquatique: Ger. Vuasser basilig.

Enarratio xxxi.

QVi ex isto capite expungere contendunt, hæc verba, lacteo liquore abundat caulis & folia erini, omnino nunquam herbam istam se vidisse indicant, quæ procul dubio in aquastrinis nascitur locis, plena non nisi liquoris lactei, & de ea Plinius lib. xxiij. cap. 7. ad istũ modum dixit: Herba quoq; quam Græci erinon vocant, reddenda in hoc loco propter gentilitatẽ, palmo alta est, cauliculis quinis fere ocymi similitudine, flos candidus, semen nigrum *Hæc omnia adverbum ex Mathiolo.*

grum, paruum, tritum, cum melle Attico oculorum epiphoris medetur, vt cũ duabus drachmis cum cyathis Atticis quatuor, manat lacte multo & dulci, herba perquàm vtilis aurium dolori nitri exiguo addito, folia reſiſtunt venenis. Hęc enim vltima verba Dioſcorides ſiluit, quum tamen Nicander, in ſua theriaces cõpoſitione herbã hanc, vtpote contra venena valentem miſcuerit. Verum Galenus hanc non erion, ſed potius echinon appellat, nec mirum, quia in multis Dioſcoridis exemplaribus, ſic in lemmate, de echino legitur, de qua ille ſexto de Facultat. ſimplic. medic. tradit: echini herbæ fructus, acerbus eſt, ac proinde repellentis & exiecatoriæ facultatis, vtuntur eo ad oculorum fluxiones, & aurium.

DE GRAMINE.

Græcè, ἄγρωϛις: Latinè, gramen: Hiſpanicè, grama gramenha: Italicè, gramigna: Gallicè, dent de chien: Arabicè, negen: Germanicè, Graſs.

DE CALAMAGROSTI.

Græcè, καλαμάγρωϛις: Latinè, harundinaceũ gramen.

Graminis 1. genus.

Graminis 2. genus.

DE GRAMINE PARNASSI.

Græcè, ἄγρωστις ἡ παρνασσῶ: Latinè, gramen Parnasi.

Enarratio XXXII. XXXIII. XXXIIII.

Graminis aliud genus.

Gramen.

APprime dubio procul de gramine Plinius disserit, cuius præter istas à Dioscoride citatas species, alias tres aculeati lib. xxiiij. cap. xix. ad istum modum describit: Gramen ipsum est inter herbas vulgatissimum, geniculatis serpit internodiis, crebroq; ab iis & ex cacumine nouas radices spargit, folia eius in reliquo orbe in exilitatẽ fastigiantur. In Parnasso tantum hederacea specie densius quàm vsquam fruticante, flore odorato, candidoque. Iumentis herba non alia gratior, siue viridis siue in veno siccata, tunditur aspersa aqua, Succum quoq; eius in Parnasso excipi tradunt, propter vbertatem, dulcis enim hic est. In vicem eius in reliqua parte terrarum succedit decoctum, ad vulnera conglutinanda, quod & ipsa herba tusa præstat, tueturq;, & ab inflammationibus placat. Decocto adiicitur vinum ac mel, ab aliquibus & thuris & piperis myrrhæq; tertiæ portiones: rursusq; coquitur in æreo vase ad dentium dolores & epiphoras. Radix decocta in vino torminibus medetur: & vrinæ difficultatibus, vlceribus vesicæ, calculos frangit, semen vehementius vrinam impellit, aluum, vomitionesq; sistit, priuatim autem draconum morsibus auxiliatur, & subdit: Quod à graminum genere septem internodia habet, efficacissime capiti contra dolores adalligatur, Quidam

propter

propter vesicæ cruciatus decoctum ex vino gramen ad dimidias è balneis bibi iubent. Sunt qui & aculeatum gramen vocant trium generum, cum in cacumine aculei sunt plurimum quini, dactylon vocant, hos conuolutos naribus inserunt, extrahuntq; sanguinis ciendi gratia. Altero quod est aizoo simile, ad paronychia & pterygia vnguium, & cùm caro vnguibus excreuerit vtuntur cum axungia, ideo dactylon appellantes, quia digitis medeatur. Tertium genus dactyli, sed tenuius nascitur in parietibus aut tegulis: huic caustica vis est, sistit vlcera quæ serpunt. Gramen capiti circũdatum sanguinis è naribus fluxiones sistit. Camelos autem necare traditur in Babylonis regione id quod iuxta vias nascitur. Hactenus Plinius. Nos vero graminis primam speciem communissimam, ac vbiq; vulgarem esse nouimus, & qua iumenta optima pabulantur, & ex ea aquam per campanam in officinis paratam pharmacopolæ habẽt, quia angustiis vrinæ prodest, & lapillos frangit: frigida enim aqua ista est, veluti alkakengi, in summo pretio habenda, quum perpaucæ sint medicinæ natura frigidæ, calculos frangentes, & vrinam elicientes. Cæterum perperam dixerunt, Leonicenus & Ruellius, quòd gramen aculeatum in quinq; diuisum penulas, & quo pueri è naribus sanguinẽ prorritant, coronopus est, quum vt diximus, coronopus, herba cornu cerui, vel stella maris, appellatur. Nam de aculeato illo gramine, abunde Plinius citato loco meminit. Non minori quoq; errore, olim à me cõprehensus est Otho Brunphelsius, quum in suis Tomis, gramen polygonion esse putauerit. Harundinaceum vero granum vulgatissimum quoq; est, nascitur autem ad ripas fluuiorum, præcipue Eridani, Padi dicti, qui Ferrariam præterlabitur. Dulce autem hoc gramen est, & iumentis gratum, ex quo in farinam redacto, panes deficientibus frugibus parari possunt, & multo meliores illis, quibus Brasilij homines ali solent, non nisi ex puluere cuiusdam arboris apparatis, ac pistis, ad quam regionem vtpote nobis nouam, quum Lusitani nostri, longa nauigatione fracti, appulissent, deficiente pane, ac omni genere cibariorum, coacti sunt farinam illius arboris, pro pane, more incolarum in victu gustare, sed non sine eorum magna iactura, quum ex multis

Aculeatũ gramẽ trium generum.

Ruellius errat.

Leonicenus errat.

Brunphelsius errat.

Panis ex scobe ligni.

multis perpauci euaserint, & in patriam reuersi sunt. Gramen vero Babylonicum, aut Parnassi, à me hucusq; visum non est. De viribus tamen graminis ita meminit Galenus lib. vj. de Facult. simplic. medic. Graminis radix, modice frigida est & sicca, mordacitatem quandam exiguam, & partium tenuitatem obtinens: At herba ipsa primo quidem recessu refrigerat, in humiditate vero & siccitate existens quam moderata, & subdit: Graminis esculenti radix, modice frigida & sicca est, proindeque cruenta vlcera glutinat: ipsa autem herba illita non vehementer refrigerat, in medio constituta humiditatis & siccitatis. Radici porro mordacitas & tenuitas quædam exigua inest, qua nimirum lapides frangit, si quis eam decoctam bibat: At semen alterius quidem, imbecillum est, eius vero quæ in Parnasso nascitur, vrinam ciet, ac fluxus ventris & stomachi reficcat, vis enim eius est exiccatoria, tenuium partium, & subacerba.

Gramen Babilonicum.

DE SIDERITIDE.

Græcè, σιδηρῖτις: Latinè, sideritis: Arabicè, sidrichis: Officin. tetrahit: & herba iudaica.

Enarratio xxxv.

CONspicitur sideritis hæc in nonnullis vallibus, folio aspero, saluiæ magnitudine, tanquam marrubij albicante, & per circuitum tanquam quercus dentato, quod fricatum, ex se odorem, qualem ex citoniis optime maturis oriri videmus, emittit, quem Dioscorides sub intelligit, quum dicat, gustu non iniucundo cum adstrictione aliqua. Hãc vero Fuchsius in suo Herbario, nouisse videtur, quanquam Mathiolus oppositum contendat: sed reuera Mathiolus eam nunquam vidit, quia si eam cognouisset, illius odorem suauissimum nunquam prætermisisset. Porro Ruellius hanc Iudaicam herbam appellari contendit, quum tamen Iudaica herba apud Auicennam, erui herba sit. Est tamen, altera quoq; herba Iudaica siue Pagana dicta, cuius caulis bicubitalis & maior est, colore subrufus, lucidus, & tersus, in quo folia oliuæ per circuitum minutim serrata apparent, Nam flores quoq; in herba ista, facile euanescentes, sed aurei coloris sunt,

Fuchsius. Mathiol. Inconsequentia.

Aurea virga herba.

Sideritis.

vnde Aurea virga dicta quoq; est, qua chirurgici, & empirici cruenta vulnera glutinant, & fluxus compescunt. At de sideritе ita tradit Galenus libro octauo de Facultatibus simplicium medicamentorum, Sideritis nonnihil abstergit, sed plurima pars eius est humida & mediocriter frigida, cum exigua astrictione, qua phlegmonem sedat & glutinat, Sideritis autem Achillea, dictam superans astrictione, sanguinis eruptioni, dysenteriæ, & muliebri profluuio est aptissima.

DE SIDERITIDE SECVNDA.

Enarratio XXXVI. XXXVII.

Sideritim secundam hucusq; nunquam vidi, tertiam vero Heracleam dictam, sub prædicto obseruaui nomine, & ea mulieres, pro cruentis glutinandis vulneribus vtebantur.

DE ACHILLEA.

Græcè, ἀχιλλεῖος; Latinè, Achillea, Gallicè, herbe au charpentier, ou reueille pasteur, Arabicè, Demalochotten; Germanicè, Vuild garben.

Enarratio XXXVIII.

HAec merito sideritis quarta species appellari meretur, quæ mille folium officinarum non est, quia mille folium stratiotes altera est, vt suo loco huius libri dicemus: Nec vero Achillea, vulgaris, & hortis familiarissima

Achillea.

rissima est herba: quia hæc Dioscoridis Achillea tenui & minuto ornatur folio, adeo vt Ruellius eam vulgatum mille folium esse dixerit: vulgaris vero Achillea, herba bicubitalis est, hodie pro hortorũ ornamento habita, folio rotundo, diuiso, flore verò vario, aliquando albo, aliquando purpureo, nonnunquam vero subnigro, quæ quoque pro agglutinandis vulneribus, ac constringendis membris dissolutis vsurpatur. Est igitur Achillea hæc Dioscoridis, herba pratis vulgatissima, & quæ à vulgari mille folio parum abest. Hallucinatur certe Serapio, qui ex Constantini authoritate credidit, sanguinem draconis liquorem huius herbæ succum esse, quum revera Sanguis Draconis, proceræ arboris, apud insulas Maderiæ, & Canarias, olim Fortunatas dictas, crescentis liquor sit, quam arborem Hispani nostri Draconariam, vel Draconem appellant, & illius rubrum liquorem, sanguinem, vnde sanguis Draconis liquor iste dictus est. Quod ignorans Plinius, veri draconis animalis sanguinem esse credidit, vt quinto libro, capite de cinabari, diuinis fauentibus gratiis, vberius dicemus. Cæterum, quum de Achillea agebamus, ad nos herba quædã aduecta est, caput Aquilæ dicta, caulis subtilis, quadrati, dodrantalis altitudinis, in quo folia stricta, oblonga, hyssopi modo sunt, quibus à latere alia duo folia à caule orta hærẽt, in summitate vero caulis flores stœchadis modo plures sunt, in quorum infima parte alij flores nascuntur, cum albedine rubricantes, per medium diuisi, vt vnusquisq; illorum flos, serpentis caput referre videatur, vel potius Achillis caput, vnde

Serapio Hallucinatur.

Sanguis draconis quid.

Caput aquilæ herba.

nomen traxisse videtur. Hæc autem astrictoria herba est, & vt sapore percipitur, frigida temperatura.

DE RVBO.

Græcè, βάτος; Latinè, rubus, sentis: Arabicè, buleieh: Italicè, rouo: Hispanicè, carza: Gallicè, ronce: Germ. Brombeer, bramen.

Enarratio xxxix.

Rubus mora.

Rubus.

RVbus mora ferens, in omnibus fere sepibus videtur, & ex illius moris diamoron parari debet. Curent tamē pharmacopolæ ea immatura, veluti ipsius rubi flores, in officinis seruare: fluxus enim constringunt, & decoctiones omnes constringentes ornant. Vnde Galen. hæc noscens, de rubo ita lib. vj. de Facul. simplic. inquit: Rubi folia, germina, flos, fructus, & radix, qualitate astringente neq; obscura participant. Sed folia germinaq; recens nata plurimum in se habent substantiæ aqueæ, parum vero astrictionis, quare vulnera glutinant: At fructus maturus, non parum habet succi calidi temperati, quæ existit dulcis, ob idq; & ob modicam astrictionem non est insuauis gustui: At immaturus acerbus est & validè exiccatorius, ac sane vterq; reconditur, validius quàm recens desiccans, flos eandem vim fructui immaturo possidet. Vtraq; ad dysenterias, ventris profluuium, robur deperditum, sanguinisq; expuitionem sunt idonea remedia. Radix præter astrictionem, non

paucam

paucam habet substantiam in sese tenuem, per quam & lapides tenuum comminuit.

DE RVBO IDAEO.

Græcè, Βάτος ἰδαία: Latinè, Rubus Idæus.

Enarratio XL.

DIcitur Rubus Idæus, quòd in Ida mõte multus nascatur, qui à prædicto differt, quia spinis careat, & eius mora rubra pleruniq; sunt, quandoq; verò alba & odorata, nonnunquam autem nigra, quæ paucioribus granis constant, gustui perquàm grata, vt ea ad ripas Padi viginti quinq; milliaribus à Ferraria gustauimus, præsertim, cum Ariostum virum doctissimum & grauissimum, ac Herculis illustrissimi ducis Ferrariæ negotiatorẽ, Milliarij oppido à morbo liberauimus. Sunt præterea fragra fructus, moris simillima, sed rubra, quæ in herba trifolio magno humi serpente nascuntur, de quibus Virgilius ita cecinit.

Qui legitis flores, & humi nascentia fragra.

Quæ Seruius eo loco, ob prædicta, terrestria mora appellat, & ea Hispani iuxta ac Lusitani, murangaos, vel muranganos vocant. Galli autem des frayses. Gustui autem grata sunt fragra, quæ apud Germanos inferiores, vino & saccharo mixta, in continuo victus vsu sunt, veluti quoq; apud Anglos, & alias nationes, stomachum enim refrigerant, & dejectam appetentiam incitant.

CONSTANTINVS.

RVbus Idæus appellatus est: quoniam in Ida non aliàs nascitur vt testis Plin. lib. xxiij. cap. 14. non potest igitur esse ea planta, quam vocamus framboesier, & Itali vt inquit Mathiolus Ampomole. Lusitani igitur palato fides abroganda, etiam vadibus datis. gustatus sapores discernit: Sed quæstio de plantarum conuenientia, & cui conueniat descriptio.

DE HELXÍNE.

Græcè, ἑλξίνη: Latinè, helxine, parthenium, parietaria, vrceolaris, perditium: Hispanicè, Italicè, parietaria, vitreola: Gallicè, paritoire: Germanicè, Tag vnd nacht.

Enarratio XLI.

Vrceolaris herba.

Helxine.

COmmunis herba Helxine est, muralis, siue parietaria dicta, quòd muris & parietibus adnascatur, & hæreat, quā Auicenna quoq; herbam vitri appellat, ob viriditatem forsan quandam, qua veluti vitrum splendescere videtur, vel potius, quia ea vitrea vasa lauantur. Qua de causa Scribonius Largus eā vrceolarem, quòd tergendis vrceis idonea sit, vocare non dubitauit. Hac iam medici in initio dolorum, tam frigidorum quàm calidorum, tanquā præstantissimo remedio vtuntur: nec sane absque ratione: quum omnis dolor attrahit & sua attractione inflammationem plerunq; minatur, quod opus parietaria sua stypticitate, maxime materiā propulsando, ac locum roborando inhibet. Vnde Galenus de ea ita prudenter lib. vj. de Facul. simpl. medic. inquit: Helxine, quam parthenium vocant, abstergit, constringitq; cum humiditate subfrigida, vnde phlegmonas incipientes vsque ad augmentum sanat, maxime si calidæ fuerint, incipientibus etiam phygetlis cataplasmatis ritu illinitur, ad auriumque dolores phlegmonosos succus eius instillatus, sicuti ad paristhmia Gargarizatus conducit.

DE HELXINE CYSSAMPELO.

Græcè, ἑλξίνη κυσσάμπελος: *Latinè, helxine cyssampelos, conuoluulus: Arabicè, acsin: Hispanicè, cāpanela: Italicè, vilucchio: Gallicè, lizet, ou campanette:*

panette: *Germanicè*, Mitelvuinden, vueingart vuinden.

Enarratio XLII.

REpit herba hæc, & vitibus ac sepibus circumuoluitur, vnde cyssampelos, id est hedera vitis appellatur: quæ dubio procul alia non est, quàm conuoluoli species quædam parua, flores albos, campanarũ modo in æstate ferens, quam quoq; paruam volubilem appellamus, & de ea Plinius lib.xxj.cap.v.sermonem fecit, sub conuoluoli nomine dicens: Est flos non dissimilis illi in herba, quam conuoluolum vocant, nascens per fruteta, nullo odore, nec crocis intus, candorem tantum referens, ac veluti rudimentum naturæ lilia facere condiscentis. Hanc quoq; Seruius Grammaticus, non sine errore liguſtrum appellauit: de qua breuissime Galenus lib.vj.de de Facultat.simplicium medicamentorum, ita tradit: Helxine altera cyssampelos dicta, digerendi obtinet facultatem.

DE ELATINE.

Græcè, ἐλατίνη: *Latinè*, *elatine*: *Arabicè*, *athlin*: *Germanicè*, Erd vuinden.

Enarratio XLIII.

NIsi elatine altera syssampelos species sit: quæ illa sit herba ignoratur. Ruellius porro in Gallia reperiri, & rapistrum campestre vocari tradit, quam rustici inter oxypora quoq; miscent, & ea vescuntur, de qua Galenus lib.vj.de Facul.simpli.medic.ita succincte dixit: Elatine modice tum refrigerat, tum astringit. *Elatine.*

DE EVPATORIO.

Græcè, εὐπατώριον: *Latinè*, *eupatorium*: *Officin.agrimonium*, *agrimonia*: *Arabicè*, *Casat*: *Hispanicè*, *agramonia*: *Italicè*, *agrimonia*: *Gallicè*, *aigremoine*: *Germ.* Odermenig, Bruchvvurtz.

Enarratio XLIIII.

DIximus ab hinc multos annos, Græcorum eupatorium, Officinarum agrimoniũ esse: id quod ita esse, hodie quoq; confirmamus, quum revera, inter se maxime respon

Eupatorium 1.

Eupatorium 2.

reſpondeant. Proinde quum medicus Græcorum aliquam compoſitionem deſcripſerit, in qua eupatorium ingredi neceſſum fuerit, pharmacopolā admoneat decet, vt agrimoniam vulgarem, eupatorij loco iniiciat, quum revera, officinarum agrimonia, Græcorum eupatorium ſit. Deſcribit porro Auicenna alterum eupatorium, foliis cannabinis, quo hucuſq; omes pharmacopolæ pro vero eupatorio vſi ſunt. Naſcitur autē herba hæc prope riuos aquarum, altitudine trium cubitorum, foliis, vt dixi, cannabis, ſubalbidis, hirſutis, guſtu amaris, cui caulis ſubruber eſt, rotundus, ſolidus, multis alarum cauitatibus plenus, in ſummitate cuius flos in vmbellę modum ornatus, ex albo ruffeſcens, cernitur, qui facile plumæ modo exhalat. Eſt proculdubio herba hæc omnino medicinalis, obſtructiones aperiens, & quæ materias craſſas, ac viſcidas incidit, & attenuat, quam Ruellius ſed falſo, apud Dioſcoridem, hydropiper eſſe credidit, vt lib. ij. meminimus. Hanc igitur herbam pharmacopolæ, quum Auicennę compoſitio-

nes parauerint, in quibus eupatoriũ ingreditur, accipere debent, non verò agrimoniam, aut eupatorium alterum. Vocant autem Hispani simul & Lusitani Auicennæ hoc Eupatorium, Guafete. Mesue quoq; alterum describit eupatorium, officinis quoq; familiare, cuius flores, auri modo in vmbella lucent, quod, vt mea fert opinio, ageratum Dioscorides appellat, & eo pharmacopolæ Mesues compositiones ornare debent, in quibus eupatorium misceri debet. At de eupatorio præsenti agrimonio dicto, ita loquitur Galenus lib. vj. de Facultatibus simplicium medicamentorum. Eupatorium tenuium est partium, incidendique & extergendi vim citra manifestam caliditatem obtinet, quo circa obstructiones iecoris aperit, inest ei quædam etiam astrictio, per quam robur visceri addit.

CONSTANTINVS.

EVpatoria, vt vocat Plinius lib. xxv. cap. 6. quæ quoq; regiam authoritatem habet, non solum ἐυπατώριον dicta est Græcè, Sed etiam ὑπατώριον, καὶ ὑπατῖτις, quasi dicas iecoraria, vel hepataria. quia, vt etiam testis est Alexander Aphro. probl. vlt. lib. j. iecur mirabiliter adiuuat. Eius apud authores triplex est diuersitas: Nam Eupatorium Græcorum, est nostra vulgaris aigremoine. Eupatorium verò Auicennæ, quo antea vtebantur medicinæ, quod hydropiper esse Dioscoridis, cum Ruellio affirmauit Tagaultius: Canuaruolamq; in Italia vocari scripsit Bacchanellus. Tertium Mesuæ Eupatorium est, quòd Ageratum esse apud Dioscoridẽ contendit Mathiolus, & vulgò giuliam vocari: Fuchsius verò gratia Dei, quæ gratiola est Mathiolo, falsò hyssopi montani nomen sortita.

DE PENTAPHYLLO.

Græcè, πεντάφυλλον: Latinè, pentaphyllon, quinque folium: Hispanicè, cinco en rama: Italicè, cinque folio: Gallicè, quintefeuille: Germ. Fünffinger kraut, oder Fünffblatt.

Enarratio XLV.

NAscitur aquosis locis, & secus aquarũ canales, pentaphyllon hoc, folio mentæ, sed minori, & per ambitum serrato, in singulis enim pediculis, quinquefolia nascuntur, vnde & nomen illi: Quæ à tormentilla differt,

Quinquefolium.

quia pẽtaphyllon quinq; potiſsimũ foliis conſtat, tormẽtilla verò ſeptem: item pentaphyllum in aquoſis naſcitur locis: tormẽtilla verò in montibus ſiccis: Pentaphyllon quoq; radice ornatur ruffa, helleboro nigro perſimili. Tormentilla verò, vt capite de Symphyto diximus, multis implicita nodis, vt eas inter ſe differre, certiſsimum ſit, quod Manardus Ferrarienſis vir alioquin doctiſsimus ignorauit, porro de pentaphyllo Galenus lib. viij. de Facultatibus ſimplic. medicamẽtorum ſermonem habet, dicẽs, Radix eius deſiccat vehementer, nimirum in tertio ordine, citra mordicationem tamen, Minimum ſiquidem habet cum acrimoniæ, tum conſpicuæ caliditatis. Verum, præter quinquefolium dictum, in pratis eius duo altera genera videntur, omnibus vbiq; obuia.

Manardus ignorat.

DE PHOENICE HERBA.

Græcè, φοίνιξ: Latinè, phœnix, hordeum murinum: Hiſpanicè, alcacer del muro, auena del muro: Italicè, gioglio ſaluatico: Gallicè, yuraie ſauuage: Germanicè, Taub korn, vnd meüſs korn.

Enarratio XLVI.

Phœnix herba.

TAm ſimilis lolio, phœnix herba eſt, vt vnam pro alia niſi quis inſtructus fuerit, facillime arripere poterit: Differentia tamen eſt quòd phœnix foliola ſupra ſpicam non habet: lolium verò habet, vt capite de lolio diximus: item, phœnix ſupra muros, & domorum tecta naſcitur,

naſcitur, vnde murinũ hordeum dictum eſt: lolium verò inter triticum potiſsimum creſcit: Conſtringens enim medicamentum eſt, vt eius indicat ſapor, & vt tradit Paulus libro ſeptimo ſuæ medicinæ, in vino auſtero pota, omnes fluidos affectus ſiſtit.

CONSTANTINVS.

QVæ Phœnix Dioſcoridi, Phœnicea herba eſt, & murinum hordeum Plinio: quæ trita ex vino pota, præclarè ciet menſes, libr. xxij. cap. xxv. ſimilis penè eſt alia herba, quæ holcus dicitur, in ſiccis ſaxis naſcens, hæc ariſtas habet, in cacumine tenues, culmo quale hordeum reſtibile, circa caput alligata, vel circa lacertum, educit è corpore ariſtas: atq; ob id Ariſtidam vocarunt. De ipſa Plinius libro xxvij. cap. 10.

DE IDAEA RADICE.

Radix Idæa.

Græcè, ἰδαία ῥίζα: Latinè, Idæa radix, Radix è monte Ida.

Enarratio XLVII.

NAſcitur Idæa radix in Ida monte, apud Cretenſes, quam nullus mihi hactenus mõſtrare valuit, & de illius viribus ita vt ſolet tradit Galenus: Admodũ guſtu eſt acerba Idæa radix, quare ſanguinis effuſiones, lienterias & dyſenterias, menſesq; fluentes ſupprimit, tũ pota, tum etiam extrinſecus. *Radix Idæa.*

CONSTANTINVS.

QVæ Dioſcoridis idæa radix, Plinio Idæa herba: cui folia quæ oxymyrſinæ: adhærent his velut pampini, in quibus flos. Aluum menſesq;, & omnem abundantiam ſanguinis ſiſtit. ſpiſſandi cohibendiq; naturam habet. lib. xxvij. cap. xj. At idæa, lau-

rus

rus scilicet, Alexandrina est, eidem Plinio lib. xv. cap. 30. Et Dioscorid. libro iij. capite 147. radix verò siue rhiza apud Hipp. quæ Dioscoridi Onosma.

DE RHODIA RADICE.

Græcè, ῥοδία ῥίζα: *Latinè, radix Rhodia: Germanicè*, Rosen vvurtz.

Enarratio XLVIII.

Rhodia radix.

Rhodia radix.

ADfertur hodie Rhodia radix è Germania, sic Rhodia dicta, quòd rosarum odorem præ se ferat. Porro in Macedonia eam nobiliorem nasci Græci testantur authores: Sed in Italia eam quoq; non infeliciter nasci tradit Mathiolus Senensis, cui placuit subscribere, eo quòd huius radicis ac plantæ exactè prosequitur historiã deliniationémve, quã hactenus à nemine descriptam comperio: & eo magis quia illam in horto suo, Goritiæ, satam habere testatur: cui fides ampla habenda est, quum doctus, & harum rerũ diligentissimus scrutator sit, inquit igitur: Radix Rhodia ex se caules emittit rotũdos, nonnihil concauos, ad summum cubitales, in quibus folia cernuntur oblonga: acuminata, tanquã portulacæ crassa, sed per ambitum minutim dentatata, in quarum caulium summitatibus, vmbella quædam viridis est, similis illi quam in tithymallo nasci videmus: quæ quum ad supremũ maturitatis deuenit, & iam iam collapsura, rubra euadit. Cæterum radix ista inæqualis est, crassa, cosso similis, quæ interdum viridis est, lenis & lucida in superficie apparet, intus verò alba: Sicca vero, leuis redditur, ac ex alba rubra

rubra in interiori parte effecta est, exterius verò squammosa, quæ masticata, vel pista, ex se rosarum odorē spirat, vnde Rhodiæ, vt dixi, nomē traxit. Viuax enim radix hæc est, adeo vt etiam longo tempore è terra eradicata permaneat, modo locis non admodum siccis seruetur. Si postea terra obruatur ac plantetur, illico repullulare, & ex se germen mittere nō dedignetur, tanta vtpote illi inhærens viuacitas. Nascitur autem montibus altissimis, siccis, lapidosis, & locis quibus vix terra illam cooperire valet. Hæc enim Mathiolus lingua sua Ethrusca dixit, quæ nos in hanc vtcunq; reddimus, qui proculdubio in maximo deprehenditur errore, quum Rhodiæ radici temperatam tribuat naturā, ex Gal. authoritate, atq; ea de causa omni capitis dolori siue calido, siue frigido valere cōtendit, oblitus forsan, vir alioqui doctus, verborum Galeni quæ paucis interpositis versibus descripsit, in quibus Galenus Rhodiam radicem, non temperatam describit, sed calidam in fine secūdi ordinis: aut initio tertij. Ita enim Galeni verba vt studiosi videant, habent, lib. viij. de Facult. simpl. medicamen. Rhodia radix, ea videlicet quæ in Macedonia nascitur, tenuium partium, & digerentis est facultatis: In calfaciendo verò secundi ordinis censenda est, aut certe tertij incipientis. Hæc Galenus, Proinde Rhodia radicem frigidis tantum doloribus capitis mederi, credendum est.

Mathiolus errat.

CONSTANTINVS.

ITalicam linguam non satis caluisse mihi videtur Amatus Lusitanus: Quod testatur hæc clausula, de radice apud Mathiolum: liscia & lucida di fuori, quam ita conuertit: quæ interdum viridis est, & lenis & lucida apparet. quàm verò hoc non significent illius linguæ citata verba, vide ipsius Mathioli latinam versionem. In eo autem in quo Mathiolum carpit, ipsum ne putat Lusitanus adeo stupidum, aut obliuiosum in legendo, aut scribendo, vt cùm continentem periodū relegeret, aut scriberet. quid antecedens contineret continuo obliuisceretur? Sed profectò Lusitanus vel homo minimè acutus, vel ipsi Mathiolo infensus & iniquus, non animaduertit illius viri modestiam: qui in re comperta, nolit tamen apertè Galeno contradicere. Nec enim credo Mathiolo minus exquisitum palatum esse, quàm Galeno fuerit, vt ex gustatu, de simplicium facultatibus iudicet: præsertim cum vel ipsius æmuli testimonio, in ea re sit exercitatissimus.

DE

DE HIPPVRI.

Græcè,ἵππουρις: Latinè,hippuris: Arabicè,dhenhen alchail: Gallicè,queue de cheual,aſprele, ou prele, Hiſpanicè,coda de mula,rabo de mula: Italicè, coda di caualho,aſprella: Germa. Schafft hevu, kanten kraut.

Enarratio XLIX. L.

VTtraque Hippuris cauda equi dicta, in aquis naſcitur,& vbiq; familiaris eſt, Dicitur verò earum vna ſpecies aſprella, quia ea plerunque mulieres ſtannea vaſa expurgant, fricantue. Vnde Germani eam kanten kraut appellarunt,cõſtringit enim hippuris biloſum vomitum, & maxime exſiccat, ac ſcabiæ, veſicæ malo intolerabili eam mederi,experientia diutina compertum eſt. De qua Galenus lib.vj.de Facultat.ſimplic. medicam. ita inquit: Aſtringentem cum amaritudine facultatem poſsidet, ac proinde valenter exiccantem, ſed citra morſum, itaque vulnera etiam maxima glutinat, vel ſi perfectos eſſe neruos contigerit:præterea vocatas enterocelas glutinat,nec non ſanguinis reiectiones, fluentes menſes, dyſenterias, cæteroſque alui fluxus coërcet: Succus verò eius prodeſt ſanguinis eruptioni per nares, & fluxui obnoxiis in ventre paſsionibus, ex auſterorum vinorum quopiam epotus:ac ſi febre teneantur, ex aqua.

CONSTANTINVS.

EQuiſetum hippuris a Gracis dicta (inquit Plinius lib.xxvj. capite 13.) & pratis vituperata nobis. Eſt autem pilus terræ equinæ ſetæ ſimilis. lienem curſorum extinguit &c. Eadem planta eſt quæ ab eodem vocatur equiſelis lib.xviij.cap.28. ſiliqua ait, etiam dira fœniſecis, inuiſa et equiſelis a ſimilitudine equinæ ſetæ. Idem alibi equiſetum ephedron & anabaſin vocat.

DE GRANO TINCTORIO.

Græcè,κόκκος βαφικὸς: Latinè, coccus baphica, granum infectorium: Arabicè, charmen, et kermes: Gallicè, graine, vermillon, ou eſcarlatte: Hiſpanicè, grana para tennir: Italicè, grana da tingere: Germanicè, Scharlachbeer.

Enar

Enarratio LI.

NAscitur hodie granum tinctorium primæ notæ, apud Lusitanos, vt quoque Plinius retulit, libro ix. cap. 41. quod lentis magnitudine ex ilice quadam parua colligitur, & facillime in aceto irroretur, in vermiculum vertitur, vt sæpe experientia compertum habeo. Huius grani duæ sunt partes, altera medullaris siue interior, nobilior, quam grani puluerē appellant, duplo & triplo; quàm dicenda valens: Altera verò exterior corticosa, quā cascolham Lusitani, vel vt Plinius lib. xvj. cap. 8. meminit, quisquilium vocant. Est certe granum hoc infectorium apud Arabas khermes dictum, vt ex Serapione elici potest, nam karbisinium quo floridus ille ruber color efficitur, longe alia res est. Nascitur autem ad radices saxifragiæ, pimpinellæ similis, non solum in Italia, sed Polonia, & aliis variis regionibus: nec tantum ad radices prædictæ nascitur herbæ, sed ad radices farraginis, parietariæ & aliarū herbarum, magnitudine, qua grana nostra, quod ocyssime quoq; in vermiculum vertitur, ni vt decet tractetur, vnde quidam coccum scolecion dici apud Plinium arbitrati sunt, Sed hic scire decet, quod ab hinc sex tantum annos, ex insulis nouiter repertis carbisinium in Hispaniam aduectum fuit, & inde in Italiam, tanti magisterij, & coloris supremi, vt illius vncia vna superauerit opus confectum libræ vnius vulgati carbisinij: qua de causa, Venetiis sericum carbisino infectū, vilissimo pretio habetur: imò nigrū, carbisino, carius venditur. De Cocco verò, siue grana nostra ita tradit Galen. lib. vij. de Facult. simpl. medic. Coccus baphicus, astringentem simulque amaram possidet qualitatem, Vtraque sine morsu exiccat, proinde ad ingentia vulnera congruit, & ad neruorū vulnerationes. Hæc Galenus, Nos verò, mediçorum omnium consensu, granam, mulieribus solitis abortire, vel in abortum paratis, magno iuuamento, cum pari thuris pondere, in ouo recenti, bibendam propinamus.

Carbisinū Hispanū.

Mulierum abortientium remedium.

CONSTANTINVS.

COcci nomine, apud Græcos res duæ admodum diuersæ significantur. Nam vt author Galenus in Hippocratem, κόκκον sine adiectione vocant granum gnidium, siue Cnidium, at granum infectorum. Tamē & separatis distinctisq; nominibus efferuntur:

siquid.

ſiquidem Galenus apud ipſum Hippocratem, κόκκαλον ex Dioſcoride (apud quem tamen hanc vocem nondum legi) exponit Coccum gnidium: Et per κόκκους apud hunc ipſum ſcriptorem, idem Galenus intelligit commune granum, hoc eſt tinctorium, Ne nominum igitur affinitas imponat, paucis quid vtrumq; ſit, diſtinguendum. granum Gnidium, quod et limon dicitur, fructus eſt fruticis Thymeleæ: de quo Dioſcorides lib. iiij. cap. 173. Et Plinius lib. xiij, cap. 21. à quo etiam, lib. xxvij. cap. 9. Cocco Gnidio color Cocci tribuitur, magnitudo grani piperis maior, vis ardens, itaque in pane deuorari, ne adurat cũ gulam tranſit. Huic inquit, vis præſentanea contra cicutam, ſiſtit aluum. At verò fruticem granum ferentem, granumq; ipſum, quo lanæ coccineo colore inficiuntur, vocat Dioſcorides κόκκον βαφικὸν coccon baphicam. granum tantum vocat Plinius coccum, vt cum dixit lib. ix, cap. 41. coccum Galatiæ rubens granum, aut circa Emeritam Luſitaniæ in maxima laude eſt. Et lib. xxij. cap. 2. Iam verò infici veſtes ſcimus admirabili ſucco. &c. fruticem vero, Cocci ilicem nominat & quiſquilium, quod Amatus Luſitanus non videtur intellexiſſe. ſunt hæc verba Plinij lib. xvj. cap. 8. Omnes tamen has eius dotes ilex ſolo prouocat cocco: granũ hoc primoq; ceu ſpecies frutices paruos aquifoliæ ilicis: quiſquilium vocant, penſionem alteram tributi pauperibus Hiſpaniæ donat. Non tamen nego quin ex his verbis, iure quis poſsit contendere granum quiſquilium appellari, non tamen, vt hoc demus, eo modo quo vult Luſitanus, vt grani exteriorem partem corticoſam quiſquilium ſignificet: ſed totum granũ ipſum indifferenter, quod etiam coccum ilicis, alibi vocat idem Plinius: vt lib. xxiiij. cap. 4. dixit: Coccum ilicis, vulneribus ex aceto imponitur. Eſt autem genus ex eo in Attica ſerè, & Aſia naſcens, celerrime in vermiculum ſe mutans, quod ideo ſcolecion vocant, improbantq;. Quæ Plinij verba integrè recitaui, vt pateat quàm negligenter ipſum legant authorem, qui credunt, vt affert Amatus, rubens granum illud cuius infectu vſus eſt parando carmeſino colori, ſcolecion eſſe Plinij: cum hoc coccum ſit ilicis, illud verò tuberculum quoddam rubrum & excrementum, non fructus, in quibuſdam plantis concretum. Ad coccum ſcolecion reſpexit Beatus Hieronymus, cum κόκκινον reddidit vermiculum, quia illud vt teſtatur, & alibi loquitur Plinius, vermiculatur: Græcis eſt σκωληκεύεται, id eſt verminare, vt cum Corn. Celſo dixit Seneca naturalium Quæſt. lib. ij. Sed hæc ſatis de differentia aut indifferentia nominum, ſine quibus tamen res ipſa percipi nõ poteſt. Coccina au-

tem

tem, vt habet Martialis, aut vt Lampridius indumenta coccea, quæ scilicet cocci colorem imbiberant, qualis in rosis emicat, olim plurimi fecit antiquitas: vel hoc vno argumento, quòd coccum Imperatorys dicatum paludamentis, etiam prodiderit naturalis historiæ scriptor lib. xxij. cap. 2. Nunc ex Cocci & bersilij fece, pigmentariorum lacha paratur ad rubrum saturũ: non autem illam lacham intelligo Arabum, quod cancamũm est Græcorum, hodie ignoratum: sed illam pictorum, De qua etiam egit doctissimus Fuchsius lib. de comp. Medicament. qui aliam lacham tradit ex Arabum secta, gummi scilicet Kermes, siue Alkermes, ex quo Carmesinus color paratur. Narbonenses, vt in Lemmate reposuimus, Coccum vocant vermillon, nosque graine, ou escarlate.

DE TRAGIO FRVTICE.

Græcè, τραγιον: Latinè, Tragium.

Enarratio LII.

NAscitur Tragium hoc non solum in Creta, sed Hispania etiam, tam lentisco simile, vt eum quoq; Hispani lentiscum appellare non dubitent, in cuius descriptione Plinium non satis constare, vel ex hoc percipitur, quia libro decimotertio cap. 9. Tragium terebintho simile facit: libro vero vigesimoseptimo, capite vltimo, potius iunipero in vniuersum æquale esse dicit: De cuius viribus, Galenus lib. viij. de Facul. simpl. medic. ita tradit: Tragij folia, fructus, lachrymaq;, trahentis digerentisque sunt facultatis. Est vero & tenuium partium, & facultate in principio tertij ordinis calida: Stipites & infixa corporibus extrahit, lapides frangit, menses mouet, drachmæ pondere potum: Porro in Creta sola nascitur, lentisco simile: Alterum minus, cuius folia scolopendrio similia sunt, visitur quidem multis in locis, sed non parum habet facultatis astringentis, vt & ad fluxionum affectus conueniat. *Tragium.* *Plinius inconstans.*

DE ALIO TRAGIO.

Græcè, τραγιον ἄλλο: Latinè, aliud tragium.

Enarratio LIII.

HOc mihi ignotum est, de quo Galenus capite superiori verbum habuit.

DE TRAGO, SIVE TRAHO.

Græcè, Τράγος: *Latinè*, *Tragus*, *Kali herba*: *Hispanicè*, *Soda barilha*: *Italicè*, *Soda*: *Gallicè*, *Sode*: *Germanicè*, Huenerbeer.

Enarratio LIIII.

VT capite de Anthyllide meminimus, Tragus altera ſpecies illius herbæ eſt, ex qua vitrum & ſapo conficiuntur, quam Hiſpani Valentini, Soſiani barrillam, vel Italica quoq; voce Sodam appellant, & eam Galli maximo queſtu quotannis ſerunt. Sponte enim in litoribus maris naſcitur, herba fruticoſa, foliis carens, ſed multis abundans ramulis, ex quibus grana quædam tritico ſimilia pendent, primo viridia, poſtea vero quum ad maturitatem perueniunt, ſubrubra euadunt. Eſt enim tota hæc herba ſapore ſalſa, cum quadam aſtrictione mixta, quam exiccant, ac poſtea comburunt, & illius conflatum cinerem, cali, ſiue cinerem cali vocant: ex lixiuio vero huius cineris, ſal alkali reſultat: At cinis induratus ille, alumen catinũ dicitur. Quum enim anno à Chriſto nato milleſimo quingenteſimo, quadrageſimoſeptimo, menſe Maio, è Ferraria Anconam veniſſem, littora maris, prope Mangeuacam, hac herba cum crethamo ſcatere deprehendi, quam falſo Leonicenus libello ſuo de morbo Gallico apud Dioſcoridẽ telephium eſſe putauit. Quid vero Serapio per kali intellexerit, vſnem vocando, ignorare fatemur. Si modo hanc de qua agimus herbam non intelligit. Differt enim vſnen, ab vſnea, tametſi barbara ſunt vocabula, nã vſnen kali eſt, vſnea vero muſcus. Non prætermittendus quoq; eſt Ruellius, qui proculdubio, in dignoſcenda herba iſta, multum hallucinatus eſt, quum tragum iunci ſpeciem eſſe crediderit, cui quoq; Mathiolus Senenſis ſubſcripſit, nulla fultus ratione, quum è directo Tragus herba à nobis dicta ſit, & ex ea vitrum conficitur, vt latius in ea diximus epiſtola, quam de hac re, ad illuſtrem ſimul ac Philoſophum inſignem, Alexandrum Manzolum Bononienſem ſcripſimus. Cæterum, Galenus hanc ſubticuit herbam, credens vtiq; eaſdem cum Anthyllide vires habere: ſunt enim eædem fere herbæ, vt dixi,

Vitrum ex qua herba conficiatur.

Leonicenus taxatur.

Ruellius errat.

Mathiolus errat.

Tragus

Tragus & Anthyllis. Proinde ad Anthyllidis recurrite descriptionem, quum de Tragij viribus scire desideratis.

CONSTANTINVS.

TRagos siue scorpio in totum spina est, nullum enim folium habet. vide Plinium libro xxij. capite 20. & libro xxj. capite 15. & libro xxvij. capite 13.

DE IVNCO.

Græcè, σχοῖνος: Latinè, Iuncus: Hispanicè, Junco: Italicè, giunco: Gallicè, Jonc: Arabicè, Dis: Germanicè, Bintzen.

Enarratio LV.

SVnt Iunci omnia genera notissima, quæ prope aquas nascuntur, sed acuminatus tanquam acus extrema habens, potissimum in maritimis conspicitur, de quibus Galenus lib. viij. de Facul. simpl. medi. ita prodit: Quidam oxyschœnos, alius oligoschœnus, crassior, laxiorq; oligoschœnos, fructus huius somnum conciliat, Oxyschœni autem duæ sunt species, altera sterilis, cuius nullus vsus in medicina: Altera quæ fert semen somni conciliatiuum, sed minus quàm oligoschœni, vtrunq; si cum vino bibatur, ventris fluxus deficcat, & muliebre profluuium rubrum sistit, Est itaq; eorum temperies composita ex terrena essentia leuiter frigida, & aquea leuiter calida.

DE LICHENE.

Græcè, λειχὴν: Latinè, Lichen, Officinis, hepatica: Hispanicè, Hepatica, figadella: Italicè, Epatica figatella: Gallicè, Douues, ou pourcoran, hepatique: Arabicè, Azes: Germanicè, Stein, oder brunnen leber kraut.

Enarratio LVI.

NAscitur Lichen, prope puteos, & humentes lapides, ac asperginosas petras, quibus hæret, folio lato, in quo foramina, veluti oculi emissitij essent, cõspiciuntur, Dicitur vero lichen, quia potissimum licheni, id est impetigini succurrit, porro iecoraria, siue hepatica vocatur,

Lichen. *Pulmonaria.*

quia calidis eius morbis præ cæteris remediis, anteſignanum remedium eſt, Cuius Plinius duo genera facit, libro vigeſimo ſexto, cap. 4. vbi Lichenis, id eſt impetiginis remedia proſequitur, dicens. Lichen verò herba his omnibus præfertur, inde nomine inuento: Naſcitur in ſaxoſis, folio vno ad radicem lato, caule vno, paruo, longis foliis dependentibus, hæc delet ſtigmata, teritur cum melle, Eſt aliud genus lichenis petris tantum adhærens, vt muſcus, qui & ipſe illinitur: hic & ſanguinem ſiſtit vulneribus inſtillatus, & collectiones illitus, morbum quoque regium cum melle ſanat ore illito & lingua: qui ita curantur, aqua ſalſa lauari iubentur, vngi oleo amygdalino, hortenſibus abſtinere, Lichenis vires ſic proſequitur Galenus lib. vij. de Facult. ſimplic. medic. Lichen, Lichenas curat, extergentem, modiceq; refrigerantem, ac ſiccantem obtinens facultatem, naſcitur enim in humidis roreq; perfuſis ſaxis.

DE

DE PARONYCHIA.

Græcè, παρωνυχία: Latinè, paronychia, vulgò bouinalis panaricius: Germanicè, Nagel kraut.

Enarratio LVII.

NAscitur ſuper lapides, & truncos veterum arborum, paronychia herba, folio rotundo, & prope radicem maiori quàm in peplo conſpicitur, in ſummitate verò caulis paruus eſt, nec ex ſe lac aliquod emittit, Dicitur herba iſta paronychia, quia digitorum durities & reduuias, emplaſtri modo impoſita ſanat, & vt tradit Galenus lib. viij. de Facult. ſimplic. medic. paronychias & fauos ſanat, digeritq; ea quę diſcuti poſtulāt, calfacit enim & deſiccat in tertio ordine, eſtq; tenuium partium, & ſine mordacitate.

DE CHRYSOCOME HERBA.

Græcè, χρυσοκόμη: Latinè, chryſocome.

Enarratio LVIII.

Chryſocome.

CHryſocome, vt mea fert opinio, ea eſt herba quam amaranthū vulgarē appellamus, & eam quoq; Dioſcorides, olim amaranthū appellari meminit, quā hodie in hortis, & ad feneſtras, magna cura puellæ pro fucandis genis nutriūt, folia ocymi, flore ſpicato, ardentiſsimi cuiuſdam coloris purpurei, à quo herba iſta barba Iouis dicta eſt, quanquā & aizoon herba ſemperuiua dicta, à nōnullis barba Iouis dicatur, veluti quoque ſtœchas citrina, eſt enim flos iſte, vt dixi purpureus, inodorus, & inſipidus, quo mulieres genas ſuas ornant, & rubras efficiunt, quem quoque multi florem amoris vocant,

Amaranthus.

Flos amoris.

cant, cuius radix vt tradit Galenus lib. viij. de Facultatib. simplic. medic. vincentes habet acrem & astringentem, qualitates: quare non admodum multi vsus est, quanquam cocta in melicrato perpneumoniis & morbis hepaticis auxiliatur. Sed & menstruis purgandis est vtilis. Hæc Galenus. Proinde Ruellium ac Fuchsium errasse, manifestum est, quum herbam istam vino ebibitam, omnem fluxum constringere, scriptum reliquerint.

Ruellius errat.

Fuchsius errat.

CONSTANTINVS.

CHrysocome siue Chrysitis, nõ habet latinam appellationem. palmi altitudine est, comantibus fulgore auri corymbis, radice nigra, ex austero dulci, in petrosis opacisq; nascens. vide Plinĩ lib. xxj. cap. 8. & 20. Cordus Mentham putat sarracenicam, siue costum vulgare, meliore ratione, quàm Amatus Amaranthũ vulgare: quia illud non aureo floret colore, sed purpureo. Ruellio species est pulegij montani. Mathiolo Senensi & mihi est incognita.

DE CHRYSOGONO.

Græcè, χρυσόγονον: Latinè, chrysogonon.

Enarratio LIX.

HAnc, natura sibi reseruatam habet, nec est aliquis qui eam demonstrare valeat.

DE HELIOCHRYSO.

Græcè, ἑλίχρυσον, ἑλιόσχρυσον: Latinè, heliochrysos, Galeni amaranthus luteus.

Enarratio LX.

HEliochrysim vocat Galenus amaranthum, quæ procul dubio officinarum stœchas citrina est, alioqui Genitiuo casu, stichados citrina dicta herba, de qua Galenus lib. vj. de Facult. simplic. medic. ita inquit: Amaranthum, facultatis est incidentis & extenuantis, quare coma eius cum vino pota fluxiones desiccat, stomacho infesta:

grumos

Elichryſum 1.

Elichryſum 2.

grumos etiam ſanguinis diſſoluere creditur, Hactenus Galenus: Vnde clare percipitur, Mathiolum Senenſem male Galeni hæc verba, ex Aëtio adducta, amarantho vulgari tribuiſſe, quum potius huic de quo agimus conueniat, nam amaranthus vulgaris flos amoris dictus, vt dixi, chryſocome eſt.

CONSTANTINVS.

Mathiolus verum pingit heliochryſon, Erratq; Luſitanum. ſtachas enim citrina non poteſt eſſe heliocyryſon, quia folia non habet abrotoni. Amaranthus autem vulgaris, eſt Plinij Amaranthus lib. xxj. cap. 8. nos vocamus paſſevelours cuius immortalis coma non marceſcit.

DE CHRYSANTHEMO.

Græcè, χρυσάνθεμον: *Latinè, chryſanthemum.*

Enarratio LXI.

Chryſanthemum.

CHryſanthemon multorum Doctorũ hominũ iudicio, calendula noſtra eſt, quę ideo calendula dicitur, quia quolibet menſe, & ſingulis calendis, florere deprehendatur, qua de cauſa, Itali quoq; herbã iſtam, Florem omnium menſium, appellare ſolẽt. Circumvoluitur autem flos aureus huius herbę ad ſolis motum, ipſo enim apparente, flos apperitur, occultato verò, illico clauditur: qua de cauſa, ſolſequia, vel Solis ſponſa, à nonnullis dicitur, ab Hiſpanis verò miraculum. Sed animadũertendũ eſt, quòd non ideo calendula, iudicanda eſt Heliotropium, quia heliotropium vt diximus, cicorea herba eſt. Verum & alia conſpicitur calendula, quæ folia diuiſa habet, & magis ad Dioſcoridis deſcriptionem accedere videtur, vtraq; autem, eſui apta eſt herba. ac vt experientia videmus, aluum mouet. De qua Galenus libris de Facultatibus ſimplicium medicamentorum nullam prorſus fecit mentionem.

CONSTANTINVS.

FAllitur Luſitanus, quia Chryſanthemon Dioſcoridi, ſolia habet multis inciſuris diuiſa: Calendula verò minime, quæ caltha eſt grauis viola apud Plinium libro xxj. capite 6. qui ſolum Chryſanthemi obiter meminit lib. xxvj. capite 8.

DE AGERATO.

Græcè, ἀγήρατον: Latinè, ageratum, eupatorium Meſues: Vulgò, eupatorio di Meſue: Italicè, herba

guilia:

giulia: *Germanicè*, Künigund kraut, vnd Vvasser dost.

Enarratio LXII.

AGeratum, vt historia indicat, Eupatorium Mesues est, herba officinis satis familiaris, & quam seplasiarij, cordatè admodum, vice eupatorij, in Mesues compositionibus iniiciunt. De qua Galenus libro sexto de Facultatibus simplicium medicamentorum, ita breuiter dixit: Ageraton, facultatem digerendi habet, & leuiter quadantenus à phlegmone liberandi.

DE VERBENACA RECTA.

Græcè, περιστερεὼν ὀρθὸς: *Latinè*, *peristereon*, *verbenaca*: *Hispanicè*, *verbena*: *Italicè*, *verminacola*, *berbena*: *Gallicè*: *veruaine*: *Germanicè*, Hanen kamm.

DE VERBENACA SVPINA.

Græcè, περιστερεὼν ὑπτία καὶ ἱερὰ βοτάνη: *Latinè*, *peristereon supina*, *verbenaca supina*, *herobotane*: *Hispanicè*, *verbena*, *vrgibaon femea*: *Italicè*, *verminacola semina*: *Germanicè*, Eysen kraut, oder eysen hart.

Enarratio LXIII. LXIIII.

PAssim conspicitur verbenaca, præcipuè aquaticis in locis, cuius recta siue mas: & supina siue fœmina, parum inter se differunt, nec enim in alio inter se differre, qui vtranque exacte nouit, percipiet, quam quòd recta, paucioribus foliis ornatur: supina verò multis, quæ omnino frondosa est, ac cespitosa: vtrique verò flos glaucus est, id est cœlestis, cũ quadam albedine, coloris. Pro- *Verbena vtraque.*

Fuchsius in verbena errat.

Sacra herba.

inde Fuchsiũ in suo herbario, errasse certum est, vt qui verbenacæ rectæ florem lutei coloris tribuat. Non minori quoq; errore Othonem Brunphelsiũ, lapsum iam diu manifestauimus, qui ante Fuchsium, senectionem herbam vulgarem, pro verbenaca supina depinxit. Galenus noscens vtranque easdem ferè vires habere, ita de verbenaca, libro octauo, de Facultatibus simplicium medicamẽtorum tradit: Peristereon, dicens, vim habet hactenus deficcantem, vt & vulnera glutinet.

CONSTANTINVS.

SAgmina vocantur verbenæ inquit Festus, id est herbæ puræ, quia ex loco sancto secabãtur à consule, prætoré ve, legatis ad indicendum bellum aut fœdus faciendũ proficiscentibus. vide Plinium lib. xxij. cap. 2. & libro xxv. cap. 9. vbi etiam verbenacam vocat. Lege præterea Titum Liuium libro j. ab vrbe condita & lib. x. belli punici. Donatumq; in Andriam Terentij.

DE ASTRAGALO.

Græcè, ἀστράγαλος: Latinè, astragalus: Germanicè, Erdmoren, Christian vvurtz.

Enarratio LXV.

ASTragali radices, familiares admodũ apud Germanos inferiores sunt, quibus teuthones castanearũ vice, sub cineribus coctis, vescuntur, & nos ipsi apud quos per

per ſeptennium egimus, aliquãdo guſtauimus, Sunt enim radices nigræ hæ, intus albæ rotundæ, nucum magnarum magnitudine, ex quibus aliæ radiculæ ſubtiles, oblongæ: murium caudis ſimiles prodeunt, ob quas Germani radices iſtas, caudam muris appellant, eas quoq; prope Venetias naſci audio, quarum folia, hucuſque à me viſa non ſunt, ſed vt referunt, in vniuerſum Dioſcoridis hiſtoriæ reſpondent, & de illis Galen. lib. vj. de Facul. ſimpl. medic. ita tradit: Aſtragalos radices aſtrictorias ſortitur, quare non inſtrenue ſiccat, nam & vlcera glutinat, & aluum fluentem ſiſtit, ſi quis in vino decoctam radicem bibat.

DE HYACINTHO.

Græcè, ὑάκινθος: *Latinè*, *hyacinthus*: *Hiſpanicè*, *Luſitanicè*: *los mayos flores*: *Italicè*, *cipola canina*: *Gallicè*, *vaciet*, *ou oignon de chien*: *Germanicè*, Breünling.

Hyacinthus 1.

Hyacinthus 2.

Enar

Hyacinthus 3.

Hyacinthus 4.

Enarratio LXVI.

VIdetur hyacintus in omnibus fere pratis, folio & radice, similis cepæ, caule cubitali, subtili, innodo, colore herbaceo, à cuius medio flores cærulei purpurascentes iucūdissimi odoris, in fine Martij, & Aprilis initio pulcherrimi cernuntur: qui quum ad maturitatē perueniunt, terram respiciunt, & diu vigent. Est quoque alter hyacinthus florem habens rubentem, similem lilio, sed notis quibusdam emaculatū, quē poëtæ ex sanguine Aiacis ortum fabulantur, imò in illis notis siue literis, nomen Aiacis inscriptum esse ita canit Ouidius libro x. Metamorph.

Hyacinthus alter.

Talia dum verò memorantur Apollinis ore,
Ecce cruor qui fusus humi signauerat herbas
Desinit esse cruor, tyrioq; intensior ostro
Flos oritur, formamq; capit, quam lilia, si non
Purpureus color his, argenteus esset in illis.
Non satis hoc Phœbo est. (is enim fuit author honoris)

Ipse

Ipse suos gemitus folijs inscribit, & αι αι
Flos habet inscriptum, funestaq; litera ducta est.

Sunt autem notæ istæ in floribus Hyacinthi repertæ non quidem literæ veræ, sed maculæ quædam nigræ, vt in flore fabarũ quoque conspiciuntur. Quum hęc scriberemus, vtriusque hyacinthi radices, è Constantinopoli aduectæ sunt, ad magnificum & generosum virum Ioannem Gondulanum, Patritium Ragusinum, quas præfectus nauis, ex horto Turcarum Imperatoris eradicasse testabatur: sunt enim radices hę cepis similes, sed paruæ, non gratum quendam odorem ex se inspirantes, quarũ magnam partem, per vniuersam fere Italiam, amicis impartiuit, vt secundam speciem, ac primam familiarem haberent: De quarum viribus, ita vt solet, tradit Galenus, libro octauo de Facultatib. simplicium medicamentorum dicens: Radix eius bulbosa est, desiccans primo ordine: secundo autem aut initio tertij refrigerans, fructus leuiter extergit, astringitque: vnde & regio morbo laborantibus exhibetur in vino, ordine quidem tertio desiccans, At in medio caloris frigorisque consistens.

DE PAPAVERE ERRATICO.

Græcè, μήκων ῥοιας: Latinè, papauer erraticum, papauer rubrum: Arabicè, Thaxthax: Hispanicè, amapollas, papoullas: Italicè, papauero saluatico rosso: Gallicè, coquelicoq: Germanicè, Klapper rosen, oder korn rosen.

Enarratio LXVII.

CErnitur papauer rubrum, mense Maio, & Iunio, prope segetes, in pratis, ita copiose vt aliquando è longinquo, quis rubros pannos super campos, stratos esse arbitretur, ex quibus rubris floribus, nonnulli syrupum contra pleuritim certo iuuamento parant, quorum quoque stillatitiam aquam, rustici in Hispania contra febres ardentes non infelici successu bibunt: imò eosdem flores tanquam saluti conuenientes, in victus vsu continuo habent, quod olim quoque à priscis factitatum iri apud Theophrastum lib. nono. de Plantarum historia. cap. 13.

scrip

ſcriptum inuenio, præcipue, pro morbo comitiali præcauendo. Refrigerat papauer erraticum hoc, vt inferius ex Galeno dicemus.

DE SATIVO PAPAVERE.

Græcè, μήκων ἥμερος: *Latinè*, *ſatiuum papauer*: *Arabicè*, *Chaſchas*: *Hiſpanicè*, *dormidera*: *Italicè*, *papauere bianco*, *papauere negro*: *Gallicè*, *pauot*: *Germanicè*, Mag ſomen, oder mœn.

Papauer erraticum.

Papauer ſatiuum.

Enarratio LXVIII.

Papauer. ANimaduertat hic candidus lector quòd Dioſcorides album papauer tantum domeſticum, ſiue ſatiuum aut hortenſe appellat: nigrum verò ſylueſtre, hac tantum de cauſa, quia album papauer, ſic album à flore & ſemine albis, dictum, plerunq; in hortis ſerebatur, nigrum verò, ſua ſponte inter ſegetes, & legumina naſcebatur: At Plinius, lib. xix. cap. 8. non ſolum album & nigrum papauer

ſatiuum

ſatiuum facit. Sed etiam tertium, de quo ſuprà ſermonem habuimus, & erraticum ſiue rubrum nominamus, ſub iis verbis: papaueris ſatiui tria genera, candidum, cuius ſemen toſtum in ſecundis menſis cum melle apud antiquos edebatur, hoc & panis ruſtici cruſtæ inſpergitur, adfuſo quo inhærens. Hactenus de albo Plinius, quod hodie quoque multi in victus vſu habent, & eduliis ſuis miſcent, de quo dixit Auicenna: Caue ne tranſcendas tale quale eſt papauer album, Somniferum enim mediocre album hoc ſemen eſt. Et ſubdit Plinius. Alterum genus papaueris nigrum, cuius ſcapo inciſo, lacteus ſuccus exprimitur. Tertium genus rhœam vocant Græci, id noſtri erraticum, ſponte quidem, ſed in aruis cum hordeo maxime naſcitur, ericę ſimile cubitali altitudine, flore ruffo, & protinus deciduo, vnde & nomen à Græcis accepit. Ex iis enim clare percipitur, quòd Plinius omnia hæc papaueris tria genera, domeſtica conſtituat. Cæterum, ex papauere, opium & meconium parantur, nam meconium differt ab opio, in hoc, quòd meconiũ ex foliis & calicibus ac herba ipſa, tritis, & expreſsis, ſuccus collectus, ac in paſtillos redactus eſt, quod opio ignauius eſt: opium verò, lachrima ſiue lac ex papauere nigro cultro inciſo, deſtillans, ac concretum eſt, quod ex Apulia hodie Venetias afferunt, quod reuera meconium potius, quàm opium appellari meretur. Verum, ne ſic illotis quod aiunt manibus, ab opio diſcedamus, ſcire decet, quòd amaritudo in opio reperta, non aliunde illi euenit, quàm à glaucio, vel ſucco agreſtis lactucæ, quibus plerunq; adulteratur, & illi miſcentur, vt quoq; Dioſcorides fatetur: ſi enim opio naturalis illa eſſet amaritudo, dubio procul calidum dicendũ eſſet, non verò frigidum, vt qui medicamentorum ſimplicium naturas, per regiam Galeni methodum ſciunt, exactè norunt. De papauere verò ita tradit Galenus, lib. vij. de Facul. ſimplicium medic. Quum quatuor eius inſignes ſpecies ſint, facultas omnium exiſtit refrigeratoria: cæterum, ſatiui ſemen mediocriter ſomnum conciliat, viſu candidum: proinde pani ipſum inſpergunt, ac melle maceratum eſitant: At ex ſyluęſtribus, eius quod rhœas dicitur, quia flos ipſius celeriter defluit, ſemen validius refrigerat, itaque nequaquam eo quis innoxie ſolo vti poſsit. Illius verò quod calicem

Opiũ meconium.

Opij amaritudo.

licem incidentem sustinet, atrum existit semen, medicamentosumque, atq; impense refrigerans: Quod autem longiorem emittit calicem, medicatissimum omnium est, admodumq; refrigerans, idq; omnibus partibus suis: adeo quippe refrigerat, vt stuporem ac mortem etiam inducat: est enim ex quarto & vltimo refrigerantium ordine.

DE CORNICVLATO PAPAVERE.

Græcè, μήκων κερατῖτις: Latinè, papauer corniculatum: Hispanicè, dormidera marinha: Italicè, papauere cornuto: Gallicè, pauot cornu: Germanicè, Geel œlmagen, oder geel Magsamen.

Enarratio LXIX.

Corniculatum papauer.

NAscitur papauer cornutum ad littora maris, præsertim inter saxa, vt Pisauri & Anconæ, aliisue maritimis locis deprehēdimus, folio verbasci incisuris diuiso, sed flore luteo, quo decidēte siliculæ oblongę phaseolorum modo, tanquam cornicula nascuntur, à quibus cognomentū traxit: nā radix huius adeo parua est, vt facillime è terra eradicetur. Cæterum hallucinati sunt multi, credentes glaucium quod Arabes memithe appellāt, huius corniculatis papaueris succum esse, vt candide Dioscorides indicat. Nam de cornicularis papaueris viribus, ita tradit Galenus lib. vij. de Facul. simpl. medic. Mecon ceratitis, id est papauer cornutum, vim habet incidendi, extergendi

tergendiq;. Itaq; radix eius in aqua ad dimidium decocta, hepaticos affectus adiuuat, folia & flores sordidis & cõtumacibus vlceribus prosunt, sed ea reiicere oportet vlceribus iam repurgatis, alioqui sanam carnem exedent.

DE SPVMEO PAPAVERE.

Græcè, μήκων ἀφρώδης: Latinè, Spumeum papauer, Heraclium papauer, Herculeum papauer.

Enarratio LXX.

PApauer spumeum, nisi species quædam rhœadis papaueris, in aruis nascentis, florem tanquam spumam album emittens sit, quid sit ignoratur, de quo Galenus quoq; breuiter dixit libro septimo: Semen habet pituitam expurgans.

DE HYPECOO.

Græcè, ὑπήκοον: Latine, Hypecoum.

Enarratio LXXI.

QVi inter segetes diligenter quæsiuerit, Hypecoum certe inueniet: nascitur enim folio rutæ, flore vero luteo, & paruo, sed caule cubitali & ampliori, tenero, ac innodi, de quo Galenus libro octauo de Facultatibus simplicium medicamentorum ita breuiter dixit: Refrigerat tertio ordine, parumq; à papauere distat. Hypecoũ.

DE HYOSCYAMO.

Græcè, ὑοσκύαμος: Latinè, Hyoscyamus, Iusquiamus, Appollinaris herba, altercum: Hispanicè, velenho: Italicè, dente caualino, disturbio: Gallicè, Iusquiame, & hanebane: Arabicè, Bengi: Germanicè, Bilsen, Bilsonien.

Enaratio LXXII.

IN Italia ex tribus Hyoscyami speciebus, quas Dioscorides citat, vnam tantum mihi videre contigit, & illam quidem flores luteos habentem, reliquas vero duas, olim in Hispania conspectas habebam, quas pharmacopolæ, corrupta voce, iusquiamum appellant: soporiferæ enim omnes sunt, sed purpureos flores & nigrũ semen habens, cæteris periculosior est, post quam luteos flores emitten- Hyoscyamus.

Hyoſciamus.

tem, adnumerare eſt: Tertiam vero albam, cæteris innocentiorem dicimus. Nicander porro in ſuis Alexipharmacis, Contra hyoſcyami venenum, perbellè vt ſolet, diſſerit: & Galenus octauo libro de Facultatibus ſimplicium medicamentorũ ita de illius viribus tradit: Cui ſemen atrum eſt, inſaniam ac ſoporem inducit, cui vero mediocriter flauum, propinquam ei obtinet facultatem: vtrique tamen fugiendi ſunt, vt deleterij & inutiles, at cui ſemen & flos eſt candidus, ſanitate idoneus exiſtit, ex tertio quodammodo refrigerantium ordine.

DE PSYLLIO.

Græcè, ψύλλιον: *Latinè*, *Pſillium*, *pulicaris herba*: *Hiſpanicè*, *zargatona*: *Italicè*, *Pſillio*: *Gallicè*, *herbe aux puces*: *Arabicè*, *Bezer cotname*: *Germanicè*, Pſilien Kraut.

Enarratio LXXIII.

Pſyllium Pulicaris herba.

FRequens & officinis vulgaris, pulicaris herba eſt, ſic dicta, quia ſemen pulicibus æquale habeat, quod omnes Pſillium vocant, & ex eo mucilagines infrigidantes parant: de quo Galenus lib. viij. de Facul. ſimpl. medi. ita dixit, pſillium ſemen habet admodum vtile, ex ſecundo refrigerantium ordine: in deſiccando vero & humectando, medium quodam modo eſt & ſymmetrum. Hæc Galenus, ex quibus ſatis patet, quàm perperam Meſue, de

Meſue erratum.

viribus

Psyllium.

viribus psyllij sentiat, quum dixerit, psyllium quoad partes exteriores frigidum esse, quoad internas verò calidas & comburentes, in quarto gradu, quum revera psyllium secundum se totum frigidum sit, & ita frigidum, vt illud inter medicamenta sua frigidirate internecantia medici collocare non dubitent, vt apud Dioscoridem, vt cæteros fileam medicos hoc affirmantes, legere quis poterit, libro sexto, capite decimo.

DE SOLANO.

Græcè, στρύχνος κηπαῖος: Latinè, Strychnon, solanum esculentum, solatrum hortense: Hispanicè, Yerua mora: Italicè, solatro: Gallicè, morelle: Arabicè, hanab althaleb: Germ. Nacht schatd.

Enarratio LXXIIII.

SOlanum officinis solatrum dicitur, quod olim in cibum veniebat, & in hortis inter herbas esui aptas serebatur, vnde solanum hortense, siue solanum esculentum appellabatur: hodie vero vbiq; sub nulla olitoris lege nascitur, & vagatur, quod semen emittit paruum rotundum, primo viride, postea vero indifferenter rubrum vel nigrum fit. Huius vero herbæ succo, vbi opus est simul & constringere & refrigerare, frequētissime vtimur, & merito, quia Galenus libro octauo de Facultatibus simplic. medicamentorum de eo ita tradit: Solanum esculentum quidem astringit, refrigeratq; in secundo ordine. Recen-

Solanum Solatrum.

tiores vero, quia strumas solanum hoc resoluere animad-
Solatrum strumas resolvit. uertunt, illi partes heterogeneas, ac quoque subtiles tribuunt.

DE SOLANO VESICARIO.

Græcè, στρύχνος ἀλικάκαβος: Latinè, Halicacabon, solanum vesicarium, alkakengi vulgò Arabica & Bexiga di perro: Gallicè, Baguenauldes: Germanicè, Iuden kirsen, oder schlutten.

Enarratio LXXV.

Solanum vesicarium.

SEcunda species solani, Halicacabum hoc est, quod Arabes corrupta voce, Alkakengi vocant. Dicitur quoq; planta hęc vesicaria, quia eius rubrum fructum, in vesicis, siue folliculis contentum habet, magnitudine ceraſi, de quo ita tradit Galenus lib. viij. de Facult. simpli. medic. At eorum quæ esui nō sunt, vnum quidem dicitur Alicacabum, fructum habens rubrum, acino vuæ persimilem: & subdit: Alicacabum igitur, fructum fert ciendæ vrinæ idoneum, complurib⁹q; facultatibus quę ad iecur, vesicam, & renes accommodantur, miscetur.

DE SOLANO SOMNIFICO.

Græcè, στρύχνου ὑπνωτικοῦ: Latinè, Solanum somniferum.

Enarratio LXXVI.

RAro verum solanum somniferum reperitur, & vt ipse verum fatear id semel hucusq; tantum vidi, ad

ripas

ripas Belgici maris, folio cotonei arboris, flore rubente, cuius semen crocei coloris in siliculis paruis occludebatur, quod vero Officinæ solatrum somniferum vocant, differens ab hoc, de quo agimus, est: nam neq; croceum semen producit, neq; in siliquis occlusum, imò potius nigrum auelanarum magnitudine, merito tamen sophistarij & vulgares medici, hoc quoq; somniferum appellant solatrum, quia eadem fere cum Dioscoridis somnifero solano vires habet, & eius semina egregie vrinam prouocant, & potentissime renes expurgant, ac somnum conciliant, & vt tradit Galenus citato loco, solani vero hypnotici, somni conciliatiui dicti, radicis cortex, si cum vino bibatur, somnum accersit, drachmæ pondere sumptus, existens succo papaueris similis, nisi quòd imbecillior, vtpote tertij refrigerantium ordinis, quum ille sit quarti: huius solani semen vrinam ciēdi vim habet: si plus tamen duodecim corymbis hauseris, dementiam asciscet.

DE SOLANO FVRIOSO.

Græcè, φύχνον μανικὸν: *Latinè*, *Furiosum solanum.*

Enarratio LXXVII.

Difficulter hæc reperitur herba, proinde de ea nihil quicquam dicam: nonnulli tamen agyrtarum, & herbariorum affirmant, apud montem sancti Angeli prope Apuliam, qui latinè Garganus vocatur, reperiri. Ita enim ob oculos, eam Dioscorides ponit, & suis coloribus depingit, vt non difficile esset, eam inter plures alias herbas dignoscere, & de illa ita tradit Galenus libro Simplicium, inquiens: At tertium solanum quod ad insaniam adigat, omnes manicum nominant, & ad medicationes intra corpus inutile est: nam si quatuor eius drachmæ offerantur, mortem inferent: si pauciores, insaniam: vna certe innoxie sumitur, nihil tamen vtile præstat. At foris corpori illitum vlcera maligna persanat: verum ad talia, radicis cortex præfertur, desiccans secundo ordine iam completo, aut tertio incipiente: secundo autem incipiente refrigerans.

DE DORYCNIO.

Græcè, Δορύκνιον: *Latinè*, *Dorycnium.*

Enarratio LXXVIII.

CHimici & ij qui profitentur ex Mercurio argentum conflare, hanc quotidie inquirunt herbam, & eam lunarem siue lunariam appellant, quia eius folliculus rotundus in quo semina continentur, nocturno tempore ad radios Lunæ aperitur, & ita splendescere videtur, vt eam lucentem stellam è longinquo dixerit, quam incolæ sic videntes, & diabolum putantes aufugiunt. Ea enim chimici argentum viuum Mercurium dictum, fixum stabileque reddunt, & striges veneficia parant, ac dæmones irritant. Falso certè Iacobus Manilius fabam inuersam, quam Lunariam herbam appellat, apud Dioscoridem, solanum somnificum esse dixit: Nam vt Euritius Cordus notat, historia omnino repugnat. Cæterum, Galenus lib. vj. de Facul. simpli. medic. sub Dorycnidio, ita de ista herba inquit: Dorycnidion aquea excellit frigiditate, quamobrem, pauculum quidem, soporem conciliat, plusculum vero sumptum, perimit.

CONSTANTINVS.

QVemadmodũ è republica Plato esse dicebat, monstrosos partus non tollere: sic portentosas & absurdas opiniones minime admittere, rei literariæ & studiosorum communi imprimis conducibile esse arbitror, & ni fallor, multò iustius. Itaque meritò hæc Amati Lusitani (quem vtique sua laude in alijs benedictio, frustrari minime deceat) vana opinio & monstrosè prolata expiodetur. Nam Dioscoridis Dorycnion magno mortalium bono hæc ætate ignoratum, Lunariam non esse herbariorum statim deprehendet, qui vel picturam aut descriptã viderit à Lonicero, Fuchsio, & Mathiolo, cui duplex capite de hemionitide. Nam ea lunaria quam Iosephus libro de Captiuitate describit βακάρα nomine, à quo etiam desumpsit Lonicenus de varia historia, omnem vincit admirationem naturæ, si non etiam hominum fidem. Vt autem tibi magis probem, quam futilis sit hac in parte, Amati authoritas & sententia de Dorycnio: lege quæ scripsit Plinius lib. xxj. cap. 31. & Nicander in Alexiphar. apud quem Dorycnion etiam melyssophyllon vocat explanator Diphilus, hoc Auicenna vuam lupinam nominat, quo nomine strychnon apud Græcos, explicat. Cælius Aurelianus libro Chronion.

DE

DE MANDRAGORA.

Græcè, μανδραγόρας: *Latinè*, *mandragora*, *pomum terrestre*, *pomum caninum*, *Circe*: *Hispanicè*, *mandracola*: *Italicè*, *mandragora*: *Arabicè*, *tabora*: *Gallicè*, *mandragore*, & *mandegloire*: *Germanicè*, Alraun.

Enarratio LXXIX.

Mandragora.

NVnquam quod equidem meminerim, in Hispania mandragoram vidi: in Italia vero frequens est herba, præcipue Ferrariæ, vbi nullus ferè extat hortulus, in quo mandragora nō reperiatur. In cœnobio enim Charthusianorum, apud quod, vnusquisq; monachus suum proprium & particularem hortulum habet, ita felicissime crescit, vt nullus extet qui non hac decoretur herba: crescit autem folio lapathi, lato, oblongo, per terram strato, ad cuius radices poma quinq; vel sex numero nascuntur, magnitudine paruæ pilæ, coloris interdum viresc unt herbacei: quum verò ad maturitatem perueniunt, lutei saturi efficiuntur. nascuntur autem, vt obiter hoc attingamus, poma hæc pediculis semi dodrantalis altitudinis, ita appositè, vt vnumquodq; pomorū, homuncionem quendam, absq; brachiis repræsentare videatur: qua de causa, Pythagoras mandragoram anthropomorphon, id est figuram hominis, appellauit. Quem secutus Columella, mandragoram in suo horto, semihominem dixit, cui signatæ causæ, alteram addimus vulgarem: Quia mandragora, *Anthropomorphos.*

gora, radicem in duas fibras, veluti duo crura, diuisam habet, vnde quoq; semihomo appellatur. Hæc etiã Circe dicebatur, quia ea ad amatoria & veneficia, Circe famosissima incantatrix passim vtebatur, & de ea, in Pentateucho legitur, quam Hebræi, dudaim, sua lingua vocant. Ex huius vero radice, vinum mandragorite parandum Dioscorides, & medici suadent, quod plerunq; propinant iis quibus secare, aut membrum aliquod vrere volunt, mirifice enim stupefacit. Iustum erit hic enarrare tyrannidem ac impostura nugiuendulorum ac impostorum hominum, qui homunculos quosdam ex radicibus cannarum sculptos, mulieribus sterilibus, & nõ parturientibus, loco mandragoræ, non paruo vendunt pretio, Sculpunt enim hominis effigiem in cannarum, vt dixi, radice ita appositè & solerter, vt vbi opus est appareant capilli, vt in barba, capite, & pectine, Grana tritici quædam affingant, quæ cum radice simul terra obruta, plures, tenues, ac capillis similes radices emittunt, ac inde tota ipsa radix, figura humuncionem repræsentat, quam è terra non nisi obturatis auribus eradicari posse, vel canis caudæ adalligatam, alta mente nugantur. Vendunt autem vnam vel alteram harum radicem, triginta, nonnunquam verò quadraginta aureis ducatis. Pereant igitur balatrones ij falsarij, quos vt Italia vniuersa fert, ita tota Hispania eos fugat, & non permittit imperitum vulgus impostoris circumueniri. Tertia verò species mandragoræ, Morion dicitur, quæ proculdubio melongena non est, vt nonnulli opinati sunt. Est enim melongena vel melezana, fructus vbiq; familiaris, quem aliqui berengenam vel belongenam, alij verò Cupidinis pomum, vel insanum pomum appellant, quod inter cucurbitas, & melones seritur, & victui non aspernendum obsonium esset, nisi tristes ac atrabiliarios gigneret humores, vt Auicennam adnotasse legimus. Huius porro altera species in Italia cernitur, pomum gignens luteum, quam ego morion esse dixissem, quia cum mandragora, magnam cum figura, tum viribus habet similitudinem: de quibus Galenus libro septimo de Facultatibus simplicium medicamentorum ita tradit: Refrigerat tertio excessu mandragora, nonnihil tamen pomis caloris atq; humiditatis inest, vnde sopo-

Circe.

Impostura hominum.

rem

tem conciliant. Radicis cortex non tantum refrigerat, sed etiam siccat, quod eo includitur imbecillimum est.

DE ACONITO PARDALIANCHE.

Græcè, ἀκόνιτον παρδαλιαγχὲς: Latinè, aconitum interficiens leones, pardos, aconitum interficiens pantheras: Hispanicè, centelha: Italicè, aconito: Gallicè, tore: Ger. Vvolffs beer, oder dollvvurtz.

Enarratio LXXX.

Aconitum.

Aconitispecies duæ.

PRima hæc aconiti species pardaliāches dicta, in multis reperitur locis, cuius radices nigras ad rubedinem declinantes, luporum venatores publice vēdunt, & illis lupos interficiūt: Sed non ea de causa luparia dicenda herba hęc est, quum sequens verè luparia denominetur, & radices non quidem ad ruborem inclinatas, sed potius nigerrimas habet, quæ minus potenter lupos interficiunt, quàm huius de quo agimus aconito. Carnibus enim radices vtriusque aconiti mixtæ, lupos interficiunt: Sed vt dixi, primi huius aconiti radices potentius eos interimunt. Ex vtrisq; quoq; & taxo, venatores conditum parant, quo sagittas suas inficiunt, & toxicum appellant, quia Græci sagittas telaque sua, toxeumata vocant, Aconitum hoc pardalianches, quia pardos, leones interimat, dicitur: cui folia aspera cucumeris asinini foliis simillima insunt, de quo Plinius cum Dioscoride, ita

Toxicum vnde dictū

lib. xxvij. cap.3. dixit: Aconitum folia habet cyclamini, aut cucumeris nō plura quatuor ab radice leniter hirsuta: radicem modicam cammaro similem marino, quare quidam cammaron appellauere: alij lycoctonon ex ea qua diximus causa: arida radix incurùatur paululum scorpionum modo, quare & scorpion aliqui appellauere: Nec defuere qui myoctonon appellare malint, quoniam procul & è longinquo odore mures necat. Nascitur in nudis cautibus, quas aconas vocant, & ideo aconitum aliqui dixere, nullo iuxta, ne puluerem quidem nutriēte, &c. Ex quibus satis clarè patet, quàm perperam Leonardus Fuchsius in suo Herbario, pro primo hoc aconito herbam Paris depinxerit, nam primum hoc aconitum, præstantissimum vt dixi venenum est, vt eo inunctis muliebribus genitalibus, eadem die mortem inferat: Herba vero Paris, tantum abest vt venenum dicatur, vt potius contra quoduis venenum singulare sit antidotū, vt author ille qui additiones quasdam pandectis adiecit, inquit, qui quoq; contra fatuitates & insanias valere, commendat. Quibus nos addimus, quòd herba Paris, vnicum tantum emittit caulem, & illum quidem rotundum, duorum cubitorum altitudinis, in cuius medio folia quatuor, sanguineo frutici similia, & in crucem dispositā sunt, in summo verò, alia quatuor quoque videntur parua, oblonga, in quorum medio fructus purpureus, rotundus, acino vuarum paruo similis, vinosus, albo quodā paruo semine plenus, cernitur. Nam radix capillosa inter album & luteum colorem est, in qua scorpionis caudæ figura non cernitur, nec alabastri splendor aliquis, quæ duo in aconito reperiri Dioscorides tradit. Cæterum Theophrastus libro nono, de Causis plantarum, capite decimosexto, inquit: olim aconitum ita componi, vt certis occidere temporibus posit, videlicet bimestri, trimestri, semestri, anno completo, nonnullum etiam biennio, quod nos hodie quoque fieri à nonnullis percipimus.

Fuchsius errat. Herbarist: Lycoctonō.

CONSTANTINVS.

MAnardus & Leonicenus putarunt toxicum esse Auicennæ Napellum, quod refutat Mathiolus capite De toxico apud Dioscoridem: sed capite de Aconito videtur sibi contradicere librarij culpa, qui negationem detraxit in verbis Mathioli. hic putat

Dioſco

Dioscoridem ignorasse quid esset toxicon, nec, quidnam sit asserit. Equidem Plinium sequor qui libro xvj. cap. 10. de taxo loquens, inquit, hanc Sestius Smilacem vocari dixit, & esse in Arcadia tam præsentis veneni, vt siquis sub ea dormiat cibumue capiat, moriatur. Sunt qui & taxica hinc appellata dicunt venena, quæ nunc toxica dicimus, quibus sagittæ tingantur. Alia tamen Dioscorides lib. vj. affert Etymologiam: toxicon enim deducit a sagittis quæ τόξα Græce dicuntur vel τοξεύματα vt habet Aegineta, distinctiq; capitibus ipse Dioscorides ibidem egit de taxo & toxico, cuius præterea meminerunt Plautus in Mercat. Et Ouidius 4. de Ponto Eleg. 7.

DE ALTERO ACONITO.

Græcè, ἀκόνιτον ἕτερον: Latinè, Lycoctonon, Hispanicè, mata lobo: Italicè, herba luparia, herba de la volpe: Gallicè, morteloup, ou patelouine, Germanicè, Vvolffs vvurtz.

Enarratio LXXXI.

TRia huius aconiti genera facit Dioscorides, quorum duorum historias non legimus, vnde credere est, vt pleriq; doctissimi viri credunt, textum istum corruptum & diminutum esse, quum in eo, tertij tantum Pontici aconiti historia legatur, quod passim folio platani multis diuiso incisuris cernitur: Caule vero silicis, flore luteo, & illo ampliore, quem ranunculus siue batrachion producit. Hanc vero herbam, lupariam communes appellant, ob id quod eius radices vt capite superiori diximus, lupos potissimum interficiant. Alterum vero genus vulgare quoq; cernitur, folia stricta digitalis longitudinis habens, ad summum pro parte septem. Tertium vero in monte Anconitano vidimus, folium rutæ simile habens, cæteris venenosius, ac pestilentius. Cæterum, adeo segniter, & frigide in examinandis simplicium medicamentis Auicenna se gessit, vt illum in hac materia præterire consultius esset, quod non aliunde euidentius percipi potest, quàm in aconito herba, quam multoties cum cicuta confundit, aliquando vero cum toxico, nonnunquam autem cum napello, vt abunde Ferrarienses indicarunt, ac post eos Leonardus Fuchsius Germanus,

Lycoctonon.

Luparia herba.

Taxatur Auicenna.

Taxatur Fuchsius.

nus, qui quoq; mea ſententia reprehenſione digni ſunt, credentes vtiq; aconitum Græcorum, apud Auicennam napellum eſſe, quum revera multum inter ſe differant: quod noſcens Auicenna, de vtroq; aconito verbum fecit, vocans vtiq; vnum ſtrangulatorem Adip, id eſt animalis, ita apud Hiſpanos dicti, ac medij inter vulpem, & lupum, quod gregatim incedit, & leones comitatur, ob id quòd ex præda à leonibus derelicta comedit. Repetitur enim in Aphrica animal hoc Hiſpaniæ contermina, de quo alibi, Deo optimo maximo fauente, plura dicemus. Alterum vero aconitum ſtrangulatorem leonis pardi ſignat. At alibi de napello, tanquam ab aconito herba diuerſa, caput præfixit, vt iure dicendum ſit, napellum longe ab aconito differentem eſſe. Accedunt ad hæc, quòd Theophraſtus, libro nono de Plantarum hiſtoria, aconiti folium, & fructum nihil penitus nocere, ſed in radice tantum vim mortiferam habere tradat: Cui ſubſcribunt omnes recentiores, qui de Antidotis contra venena ſcripſerunt, vt Raſius, Alſaharanius, Conciliator, Guainerius & plures alij. Sed quia quæ non ſit herba napellus, diximus: nunc quæ ſit, dicamus, vt liquido conſtet, napellum ab aconito differentem eſſe. Eſt igitur napellus apud Auicennam deſcriptus, herba folia habés artemiſiæ maiori ſimilia, flores vero purpuraſcentes, qui interdum aperti non ſunt, cucullati apparent, & mortuorum capitibus ſimiles: quaſi volens natura per eos, herbæ mortiferam vim hominibus indicare, vt ab ea aſtinerent, vt in aliis pluribus quoque herbis cernimus. Nam poſtquam aperti flores iſti ſunt, galiopſis floribus ſimiles euadunt ſed maiores, qui cauli bicubitali hærent, in quo paruæ quædam ſiliculę quoq; videntur, in quibus ſemen nigrum admodum minutum occluditur, Huius radix, reti ſimilis eſt, non vero ſcorpioni, aut cirris marinarum ſquillarum: vt liquido conſtet, inter napellum & aconitum differentiam non mediocrem eſſe. Eſt item apud Auicennam, napellus Moyſis dictus, quem murem quendam eſſe ad radices napelli naſcentem dicit, & qui in vniuerſum, Antidotum contra omne genus veneni, & potiſsimum napelli ſit, quem multi celebres viri viderunt, & tanquam rem pretioſiſsimam, ac vnicum contra quoduis genus veneni remedium

Adip animal in Aphrica repertum.

Napellus ab aconito differt.

Napellus herba.

Napellus Moyſis.

remedium seruant, quo factum est, vt mulieres Hispaniæ, huius animalculi pedes, pro amuleto, contra fascinationes, & epilepsiam, puerulis suis, collo suspendant. Aduertat tamen bonus lector, quòd apud Plin. lib. xxvij. cap. 3. aconitum alterum, myoctonon id est mures interficiens appellari meminit, vt hac significatione ductus, ne forsan in errorem labatur, credens vtiq; napellum Moysis, aconitum quod mures interimit, sit. Ex napello autem, compositio quædam alberzachali ab Arabibus dicta paratur, quæ (vt tradit Auicenna) capite de napello: ebibita, vitiliginem albam curat. Proinde qui Auicennam hac in parte vellicant, digni sunt reprehensione, non enim Auicenna, ebibitum napellum vitiliginem albam, aut vt ille inquit, albaras curare tradit, Sed potius inquit, quòd ex napello compositio alberzachali dicta, in certa ebibita dosi, albaras delet & curat, vt nouam Bellunensis correctionem consulere est. Demum de aconito ac illius viribus, ita tradit Galenus lib. vj. de Facult. simplic. medica. Aconitum pardalianches, putrefacientis & deletoriæ facultatis existit, quare in cibo potuq; fugiẽdum, & subdit: Aconitum lycoctonum, similis prædicto est facultatis, sed peculiariter lupos interficit, vt illud pardos.

Alberzachali compositio.

DE CICVTA.

Græcè, κώνειον: Latinè, cicuta: Hispanicè, Ceguda, caneuoria, ciguns: Italicè, cicuta: Gallicè, Cigüe ou Següe: Arabicè, Sucaram: Germanicè, Vvueterich, oder vuürtzerling.

Enarratio LXXXII.

VBique vulgaris cicuta est, sed alibi frigidior, & venenosior, quàm in Hispania aut Italia reperitur: cuius succo olim Socrates summus philosophus iniuste mortuus fuit: homini enim cicuta venenum est, pecudi vero & sturno pabulum, de qua Galenus libro septimo, de Facultatibus simplicium medicamentorum ita breuiter

Cicuta.

uiter dixit: Conion, id est, cicuta, quod extremè sane refrigeret, omnes norunt. Hęc Gal. Ego vero quandoq; cicutę radicem gustans, eam valenter linguam rodere, ac vrere deprehendi, qua de causa illam calidam esse, in dubium trahebam, & nisi procul dubio vniuersæ antiquitati contradixissem, illam calidam omnino asseuerarem: De qua quoq; Dioscorides libro sexto, capi. 11. sermonem habet, & eam inter venena connumerat, cuius efficacissimum remedium, meraci, ac generosi vini potio est.

DE TAXO.

Græcè, σμίλαξ: Latinè, Smilax arbor, taxus: Hispanicè: Taxo: Ital. nasso, tasso: Gal. Yf: German. Eyben baum. Enarratio LXXXIII.

SMilax, taxus arbor dicta, non solũ in vniuersa Hispania sed etiã maxima Italiæ parte crescit, abieti cum figura, tum foliis simillima: humilior tamẽ aliquãtulo abiete est, rubras ferens baccas, illis similes, quas agrifolium gerit. Venefica enim arbor hęc est, cui folia perpetuo hærent, de qua Virgil. cecinit, dicẽs: Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos. A taxo enim toxicum deductũ est, vt in aconito diximus. Cæterũ adeo pestilẽs & mortifera arbor hęc est, vt eius vmbra subter dormientes enecet: hodie vero ex huius arboris ligno, ad antiquitatis imitationẽ arcus Punicei fere coloris parantur, quod quoq; ad scrinia, mensas, tabulas, & subsellia vsurpatur, de qua vt ab ea fugiamus tantum scribitur: referunt tamen nonnulli, innoxiam fieri, si in ipsam arborem, clauus æreus adigatur.

DE

DE APOCYNO.

Græcè, ἀπόκυνον: Lat. apocynon, brossica canina: Hisp. hauas de perros: Lusita. antrauocos de quan: Ital. lupini canini. Enarratio LXXXIIII.

REperitur herba hæc apud Hispanos frequenter, quæ siliquas quasdam fabis, vel potius lupinis magnis similes emittit, quo fit, sua voce, lupinos caninos vel fabas caninas herbam istam appellent, quæ omnino venenosa est, & eam populus maxime fugit, & timet. De qua Galenus, libro vj. de Faculta. simplic. medicament. ita tradit: Canibus iuxta & hominibus est venenū, herba grauiter olens, ob idq; vehementer calida, non tamen proportione deficcat, itaq; illita admodum digerentis est facultatis.

DE NERIO.

Græcè, νήριον: Latinè, nerion, rhododaphne, rododendrum: Hispanicè, adelfa, eloendro: Italicè, oleandro: Gallicè, rosage, ou rosagine: Germanicè, Olander.

Nerion.

Enarratio LXXXV.

NAscitur ad ripas fluuiorum nerion, perpulchras ferēs rosas, quas Apuleius in asinum versus, veras rosas putauit, sed vltimo diuersas dignouit: planta enim fruticosa hæc est, lauri folia habens, & illa quidem amarissima, ex cuius virgis pueri in Hispania aclides, id est tela quædā, acutis ferris ornata parant, quæ in tauros eiaculantur. Cæterum, huius plantæ ligno, tactis aquis amaris, Moyses dulces reddidit, vt credūt Hebræi: & de illius viribus,

bus,ita tradit Galenus lib.viij. de Facult. simplic. medic. Neriõn rhododaphne, foris quidem illitus is frutex, digerendi vim obtinet: at si intra corpus sumatur, virulentus homini & plerisq; pecudibus est.

DE FVNGIS.

Græcè,μύκητες: Latinè,fungi: Hispanicè, hongos,cogomelos, turtulhos, cylherquas: Arabicè, hatar: Italicè, fonghi: Gallicè,champignons: Germanicè, Schvuemm.

Enarratio LXXXVI.

Fungi. FVngorum plures sunt species,ex quibus,boleti in pratis plerunq; principio Aprilis nascentes, primas obtinent,quos ego cum cæteris, tanquam noxios, ac pessimi & frigidi nutrimenti reiiciendos consulerẽ, vt curatione quadam Centuriæ primæ Curationum mearum abunde dixi. Cæterum, tantus est hominum hodie luxus gulositásve, vt pro habendis quotidie fungis, lapides quosdam excogitarint,quos in cellis vinariis, summa cura seruant, & eos terra cooperiunt, super quos, singulis octo vel decem diebus, fungi nascuntur,de quorum natura,ac malignitate tradit Galenus libro ij. de Facult. alimentorum, cap. 69. & libro de attenuante dieta, cap. 9. vbi omnium olerum, pessimos esse fungos tradit. Libro verò septimo de Facult. simplic.medicament. ita quoq; de illis differit: Fungus,inquiens,frigida humidaq; admodum planta est, quare proxime ad enecantem facultatem accedit. Et sanè inter eos sunt, qui interficiant, maxime qui ex natura mixtam habent qualitatem putrilaginosam, quibus Galeni verbis, tu addas, quales suilli fungi dicti sunt, qui maxime venenosi sunt.

DE COLCHICO EPHEMERO.

Græcè, κολχικὸν: Latinè, colchicon, hermodactylus: Vulgò hermodactylos:Germanicè, Zeytloss,oder Herbstbluom. Enarratio LXXXVII.

DIcitur ephemerum, quòd vno interficiat die, præsertim Colchicon hoc, in Colchide prouincia nascens, quo serui,tanquam refugium in desperatione quærentes,

vteb

Colchicum 1.

Colchicum 2.

vtebantur. Est autem præsentaneum venenum, ad sanguinem vsq; soluens, præcipuè vt dixi, in Colchide: in aliis verò regionibus, non ita venenosum percipitur, quod vt Serapioni placet, Hermodactylus recentiorum est, quo plerunq; contra rebelles ac diuturnos articulorum dolores vtimur. Nec enim mirari est, si Paulus seorsum de hermodactylo, tanquam re à Colchico ephemero differente, sermonem habeat, alibi verò de Colchico ephemero caput præfigat, quum id consultò fecerit. Videns vtique ephemerum non adeo venenosum esse, præcipue vbi hermodactylus dicebatur, sed rei medicæ potius conducibile: qua de causa, de eo vt venenoso, cum cæteris Græcis caput constituit: alibi verò tanquam de re sibi nouiter comperta, & non admodum venenosa, sub hermodactyli nomine, verbum fecit, dicens: Hermodactyli radix & per se, & ipsius decoctum vim habet purgandi, priuatim & arthriticis, tunc quum humores defluunt exhibetur: verum stomacho nimis quàm aduersatur. De ephemero verò

Colchico, ac venenosissimo, & exitiali lib. v. cap. 48. legere quis poterit apud ipsum. Est cæterum, hermodactylus vt Serapioni placet, calidus & siccus, in secundo ordine, cuius frequens vsus hodie contra morbum Gallicum antiquum habetur.

CONSTANTINVS.

PAulus Aegineta distinctis capitib. tractauit de hermodactylo & de Ephemeris, veluti plantis differentibus. Arabum familia & medicamentarij nostri, his vocibus, vt in rerum indifferentia promiscuè abutuntur. Actuarius autem & Nicolaus Myrepsus Arabum behen rubrum & album, cum ijsdem epithetis, hermodactylon vocant: non est tamen officinarum legitimum behen, sed credit Fuchsius in medicamentaria atq; herbaria, preter alias ingenij dotes vir maximus, radicem esse polemoniæ. Mesue Hermodactylos in duo partitur genera: vnum quod radice constat ad digitalem longitudinem, illudq; behen est, non autem ephemeron non venenatum. Alterum radice rotunda, quod rursus duùm est genera: vnum radice alba, crassa, ac modicè dura, illudq; est officinarum hermodactylus, qui purgatoriam vim habet, crassam pituitam vacuans: podagricis articulorumq; doloribus accommodatur. Alterum radice forinsecus nigricat, aut rubescit, in pratis per Autumnum se croceo flore vestiens: hoc ipsum colchicon est siue ephemeron infectum & lethale: De quo in transitu attigit etiam Plinius, lib. xxvij. cap. 9. & sub Ephemeri nomine, lib. xxv. capite vltimo: meminit item Plutarchus ephemeri pharmaci in vita Themistoclis, quod tamen de quouis subitario atque præsentaneo veneno intelligi potest. Nam colchicon & ephemeron de quo loquitur Nicander, ab hoc Dioscoridis, longe aliud est: naphta nimirum, & oleum Medeæ, à quibusdam etiam petroleum appellatū. Sunt hæc verba Nicandri, in Alexipharmacis:

Ἠ ἧ τὸ Μηδείης Κολχίδ' ἐχθόμενον πῦρ
Κεῖνο πόσιν λέξῃσαι ἐφήμερον, οὔ τιν' ἀρωγὴ
Δυομένῃ λυσαλυνῇ ἐπῇσιν ἐνδοθι νυθμός. &c.

Est inquit, interpres Diphilus, pharmacon quod barbari naphtam vocant, quo quis oblitus, aut eius indumentū, si in sole stet, ignem concipit, nec secus quàm ab ardenti ignium vi absumitur, causticam enim facultatem habet. Huius inuentrix fuisse videtur Medea: ob hoc & colchicon appellatur, quod & irin quidam dicunt. alij pharicon, alij ephemeron.

DE

DE EPHEMERO.

Græcè, ἐφήμερον: *Latinè*, *Ephemerum*, *ephemerum non lethale*, *Iris ſyluatica*, *Vulgò lilium conuallium*: *Germanicè*, Meyen bluemlin.

Enarratio LXXXVIII.

Ephemerum.

HOc vt Fuchſio Germano placet, lilium conuallis eſt, quo omnes horti hodie ornantur, & merito, quia eius flores, tanquam arbuti figura, eximiam referant redolentiam, odoré enim ex ſe emittunt, ſimilem illi quem narantij flores ſpirare ſolent, de quo Galenus lib. vj. dè Facul. ſimplic. medicam. ita dixit: Ephemeron non venenũ illud, ſed quod iris ſyluatica nominatur, aſtringit quidem, eſtque ſuauis odoris, Quare & repellit, & per halitum digerit, Non inefficaciter autem radix eius in dentium dolore colluitur: At folia cocta in vino, phymatum augmento & ſtatui congruunt.

Diuerſum pingit Mathiolus & vt puto, verum.

DE LENTE PAVLVSTRI.

Græcè, φακὸς ὁ ἐπὶ τῶν τελμάτων: *Latinè*, *Lenticula paluſtris*, *lens aquatica*: *Hiſpanicè*, *lente yuela de ſtanque*, *lenteya dellagoa*: *Italicè*, *lente de i paludi*: *Gallicè*, *Lentille aquatique*: *Arabicè*, *Thaleb*: *Germanicè*, Vvaſſer linſen, oder meer linſen.

Enarratio LXXXIX.

Lenticula aquatica.

SVpernatat in aquis præcipue ſtagnoſis, lenticula hæc colore viridis, qua de cauſa, lẽticula paluſtris vel aquatica lenticula nominatur, de cuius viribus Galenus libro octauo de Facult. ſimpl. medicam. ita dixit: Humidæ frigidęque temperaturę exiſtit, vtrinque ex ſecundo ordine.

DE SEDO MAIORI.

Græcè, ἀεὶζωον μέγα: Latinè, Aizoum maius, ſedum maius: Officinis ſemperuiuum maius, barba Iouis: Hiſpanicè, yerua puntera, ſempre viua: Italicè, ſempre viua: Gallicè, Iombarde, Arabicè, Beiahalalen: Germanicè, Hauſs vvurtz.

DE SEDO MINORI.

Græcè, ἀεὶζωον μικρὸν: Latinè, Aizoum minus, ſedum minus, ſemperuiuum minus: Gallicè, Triquemadame: Germanicè, Maur treüblin, oder klein hauſsvvurtz.

Enarratio XC. XCI.

DIcitur aizoon, id eſt ſemperuiuum, quòd nec ingenti æſtu, nec atroce frigore vnquam moriatur, ſed ſemper in omni tempore viride, præcipue ſupra tecta antiqua & veteres muros vigeat. Frigida enim ac conſtrigẽs herba hæc eſt, medico vſui cotidiano veniens: At minus ſedum, vt ego opinor, faba craſſa, ſiue faba inuerſa, herba dicta eſt, natura frigida: nõ vero vermicularis, vt Mathiolus, & alij putant: quia vermicularis herba, ſapore acris eſt, natura vero calida, quæ duo minime ſedo minori conueniunt, quum vt dixi ſedum minus, natura frigidum, vt maius eſt. Cæterum, & planta ipſa deſcriptioni ex toto reſpondet, vt iure concludendum ſit, quòd faba inuerſa, ſiue craſſa dicta, minus hoc ſemperuiuum ſit, de quibus Galenus, libr. vj. de Facul. ſimplicium medicamentorum ita inquit: Aizoon vtrunque tum maius, tum minus deſiccat

Mathiolus errat.

Semperuiuum. *Paruum.*

cat quidem leuiter, vtpote astringens modice: est tamen ex tertio ordine refrigerantium, in eóque aquea essentia præpollet: quare ad erysipelata, herpetes, & phlegmonas à fluxione ortas accommodatur.

DE TERTIO SEDO.

Græcè, ἀείζωον ἕτερον: Latinè, aizoon alterum, telephium, portulaca syluestris, vermicularis herba: Hispanicè, vuas de perro yerua, la vermicular yerua: Italicè, herba graneloſa, la vermicolare: Gallicè, tette de souris, ou pain doyseau: Ger. Maur pfeffer.

Enarratio XCII.

TErtium hoc sedum, vermicularis est herba, natura ca- *Vermicularia.*
lida, sapore acris, cuius duæ species habentur, altera luteos habens flores, altera verò albos: hanc fæminam, illam vero masculum, nonnulli appellant. Cæterum hæc ipsa telephium quoq; dicitur, herba de qua capite vltimo,

Aizoon maius. *Minus.*

libri secundi sermo quoq; habitus est. Proinde caput hoc idem cum illo esse, certum est, quod Galenus tacite confirmare videtur, quum de hoc tertio sedo, non alibi quàm sub telephio, mentionem fecerit, dicens: Telephium, exiccandi & detergendi facultate est præditum, non tamẽ insigniter calida, sed forsan secundi ordinis. Deficcat etiã secundo, intenso tamen, aut tertij principio, proinde ad putrida vlcera congruit, & cum aceto vtramque vitiliginem sanat, Hæc Galenus. Cæterum, huic nostræ assertioni fauet historia in Aldino exemplari scripta, quę multa resecata habet, & ita incipit: Tertium sedi genus, folia habet oliuæ, multo tamẽ minora, numerosiora, & tenera, coliculos rubentes ab vna radice multos, in terram procliues, qui commanducati succo abundant, glutinosique & salso sapore sunt, calefaciendi vis & natura illi est, acrimoniam habet, exulcerat, & strumas cum axungia emplastri modo imposita, discutit.

DE

DE VMBILICO VENERIS.

Græcè, κοτυληδὼν: *Latinè*, *Cotyledon*, *acetabulum*, *vmbilicus Veneris*, *cymbalaria*: *Hiſpanicè*, *Luſitanicè*, *Scudetes*, *coucilhos*: *Italicè*, *cupertoiule*, *Gallicè*, *rondelette*, *ou eſcudes*: *Germanicè*, Nabel kraut.

DE ALTERO VMBILICO VENERIS.

Græcè, ἑτέρα κοτυληδὼν: *Latinè*, *Alterum genus vmbilici Veneris*, *cymbalion*, *alterum acetabulum*: *Germanicè*, Donnar bonen.

Enarratio XCIII. XCIIII.

Acetabulũ vmbilicus Veneris.

HAerent parietibus & humectis locis, vtrunq; acetabulum, folio craſſo, rotundo, concauo, coxendicis figura, quæ frigida ſunt & combuſtionibus deſeruiẽtia: de quibus Galenus libro vij. de Facult. ſimplicium medic. ita inquit: Cotyledon, humidam, ſubfrigidam, obſcure aſtringentem, ac leuiter amaram obtinet facultatẽ, vnde refrigerat, repercutit, abſtergit, & diſcutit, itaque phlegmones eryſipelatodes, & eræſipelata phlegmonodes perſanat, æſtuantiq; ventriculo commodiſsimum cataplaſma exiſtit.

DE VRTICA.

Græcè, ἀκαλύφη: *Latinè*, *Vrtica*: *Hiſpanicè*, *Ortiga*: *Gallicè*, *Ortie*: *Arabicè*, *Huniure*, *angiara*: *Germanicè*, Neſſel.

Enarratio XCV.

Vrtica.

OMnibus Vrtica nota eſt, & illius omnia genera, de quorum viribus ita tradit Galenus libr. vj. de Facult. ſimpli. medica. Huius herbæ, tum fructus, tum folia, admodum digerentis ſunt facultatis, adeo vt phymata & parotidas ſanent, ſed & quidda flatuoſum exhibent dum coquuntur quo extimulant venerẽ, & maxime vbi ſemen cum muſto bibitur. Quod non calfaciat vehementer, ſed

Vrtica 1.

Vrtica 2.

nimis tenuium fit partium, teſtimonio eſt craſſorum ex pectore eductio, tum pruritus quem in partibus excitat, porro ſubducit ventrem titillatione magis quàm purgatione, in vniuerſum, quæ exiccari citra mordicationem poſtulant, ea conuenienter perſanat.

DE GALIOPSI.

Græcè, γαλιόψις: Latinè, Galiopſis, vrtica labeo, vrtica fœtida: Hiſpanicè, vrtiga muerta: Italicè, Ortica fetida: Gallicè, Ortie morte, ou puante: Germanicè, Vinſs augen, Taub neſſel.

Enarratio XCVI.

FAmiliaris vbique galiopſis herba eſt, quæ prope vias, ſepes, & domorum areas, folio & caule vrticæ, naſcitur, non tamen pungit, ſed multum fœtet, qua de cauſa, vrtica fœtida à multis dicitur. Cæterum, ita galiopſis baloto ſimilis eſt, vt primo aſpectu, herbarius vnam pro altera eradicabit: differunt tamen, quia galiopſis, flores habet

Galiopſis balote.

Galiopſis.

bet purpuraſcentes, balotus verò albos: item, qui ſcrophulariam herbam officinis vulgarem, quam ferrariã, ſicariam, caſtrangulam, & mille morbiam vocant, Dioſcoridis galiopſim eſſe autumant, omnino falluntur: quia ſi per galiopſim Dioſcorides ſcrophulariam intelligeret, illius proculdubio radices non ſubticeret, quas nodoſas & turbinatas habet. Quibus adde, quòd galiopſis naſcitur in ſepibus, ſecus itinera, & in domorũ areis: Scrophularia verò, potius prope aquarum riuulos. Argumentum tamen cui innituntur, ij qui galiopſim ſcrophulariam eſſe dixerunt, hinc deſumunt: vident enim ſcrophulariam florem galeæ quodam modo ſimilem producere, vnde galiopſis nomen illi conuenire arbitrati ſunt: ſed reuera decipiuntur, quia, Galea Latinum nomen eſt, Galiopſis verò Græcum, vnde non credendum eſt, quòd nomen Græcum à Latino deductum ſit, vt olim Euritius Cordus patefecit, quem quoq; Mathiolus Senenſis ſequitur, & Fuchſium in hac re reprehendit, qui prædicta ductus ratione in ſuo Herbario, ſcrophulariam pro galiopſi depingit. Eſt igitur, vt in pauca rem totam conferamus, galiopſis prædicta fatua vrtica non vero ſcrophularia, vel vt Euritius augurat, & Mathiolus credidit, herba quædam vrticæ ſimilis, in cuius foliis lacteæ quædã maculæ conſpiciũtur, ob quas, Galiopſim herbam hanc dici, à Gala id eſt lacte, creditur. De qua Plinius lib. xxvij. cap. 9. eadem cum Dioſcoride dixit, & illius Galen. libris Simplicium nullam fecit mentionem, quanquam Paulus Aegineta vt ſolet, ita de galiopſi tradat: Galopſis vel Galiopſis, vrticæ

Scrophularia.

Fuchſius conuellitur.

similis herba est, verum maiorem habet leuorem & odorem grauem, scirrhosos tumores disipat & emollit, item ad vlcera serpentia facit, emplastri modo imposita.

DE GALLIO.

Græcè, γάλλιον: Latinè, Gallium: Hispanicè, Coaia leche: Gallicè, floraſtre, vel petit muguet: Germanicè, Vnſer lieben frauuen vueg, vual, oder betſtro.

Enarratio XCVII.

Gallion.

CRucior quum herbam vulgarem, & mihi notisſimam, & qua omnia fere prata ornantur, innominatam reliquerim, poſſunt autem huic veluti cõpluribus aliis nomina Hiſpanica indere viri doctiſsimi Hiſpani, veluti Chriſtophorus Oroſcius, qui apud Salmanticẽſes non infelici ſucceſſu agit, Antonius Ludouicus Olyſsipponenſis, vtriuſq; linguæ doctiſsimus, ac alij complures, quorum nomina Centuriis curationum noſtrarũ recenſemus. Cæterũ gallium herba eſt ad ſummum cubitalis altitudinis, cuius caulis gracilis, foliolis ſtellæ modo diſpoſitis, ad aparine herbæ figuram, ornatur, in cuius ſummitate flos luteus, denſus, exilis, numeroſus, ac grati odoris eſt: lac enim herba hęc coagulat, & ea de cauſa Gallion dicta, veluti illa altera herba quam Ethruſci & Longobardi, preſſuram vocant, quæ lac contrahit, & inde caſeus dulcis dictus, conficitur. De gallio verò, ita vt ſolet Galenus lib. vj. de Facult. ſimplic. medic. tradit: Gallium

vnde

vnde nomen sumpsit, quod lac coagulet, facultatem autem obtinet exiccatoriam, & subacrem, flos eius competere sanguinis profluuiis videtur, & combustis mederi: est autem boni odoris, & coloris lutei.

DE SENECIONE HERBA.

Græcè, ἐριγέρων: Latinè, Erigeron, senecio: Hispanicè, bon varon: Lusitanicè, attastinha: Italicè, Cardoncello, Speticiosa: Gallicè, seneçon: German. Grind kraut, creütz vvurtz.

Enarratio XCVIII.

Senecio.

ERigeron longè alia res est ab eryngio, cuius inaduertentia multi decepti sunt, credentes, erigeronen carduum esse benedictũ, quum tamen eryngium vt lib. iij. diximus, carduus centum capitum dictus sit. Est igitur erigeron herba vbiq; obuia senecio dicta: quæ plerunq; suprà muros, & parietes veteres nascitur, altitudine cubitali, multos à se cauliculos emittente, quibus folia multidiuisa sunt, quę diuisiones crucé referre videntur, vnde cruciata herba appellata est. Floret verò herba hęc initio veris floribus luteis, cito dehiscentibus & in pappos euanescentibus: vnde erigeron dicta est, quia vere flores ij humani capilli modo in ea canescant, vocant autem Græci ἔαρ ver: quibus γέρων senex dicitur vnde veris senex, vel senecio herba appellatur. Cæterũ, hanc falso Otho Brunphelsius, pro altera specie verbenæ in suo depinxit Herbario, vt iam diu patefecimus. Sed est quoq; altera herba, huic proxima,

Cruciata herba.

Brunphelsius errat.

xima,sed procerior, vtpote caules tricubitales emittens, cuius succo medici Hispaniæ contra morbum Gallicum vtuntur,& eam Lusitani sua voce, tasneriam, vel talasneriam vocant, quam nonnulli vocum affinitate instructi, credunt, tanacetum apud authores descriptum esse, non sine tamen ingenti errore,quum inter se maxime varient, vt conferenti manifestum erit. De erigero verò ita breuissime tradit Galenus lib.vj.de Facultat.simplic.medic. Erigeron refrigerat, & modice digerit.

DE TALICTRO.

Græcè, θάλικτρον: *Latinè*, *Thalictrum*, *thalietrum*: *Germanicè*, Heylblat.

Enarratio xcix.

FAlso Ruellius, argentinam herbam, thalictrum esse dixit, quum argentina herba longe alia est vt suo diximus loco: at thalictrum hucusq; quod sciam non vidi, de quo Galenus lib. vj.de Facult.simpli.medica.ita dixit: Thaliethrum folia habet coriandro similia, caulem crassitudine rutæ,vis eis inest citra morsum exiccatoria,itaq; vlcera inueterata ad cicatricem perducit.

DE MVSCO MARINO.

Græcè, βρύον θαλάσσιον: *Latinè*, *Brion thalassion*, *muscus marinus*, *Gallicè*, *mousse de mer*: *Arabicè*, *Thabel*: *Germanicè*, Meer mos.

Enarratio c.

Corallina.

OMnium doctorum hominum consensu,muscus marinus officinarum corallina est, qua hodie pro depellendis puerorum vermibus, medici frequenter vtuntur: Merito enim corallina dicitur, quia cum corallo, similitudinem quandam gerere videtur, vel quia cum eo plerunq; quoq; nascitur: hic vero Anconæ in magna reperitur copia, cuius vires vermes interficiendi, antiqui ignorarunt, vt ex Galeno quoq; percipi potest, qui de eo libro sexto de Facul.simpl.medic.sermonem habet, & illi nullam similem tribuit vim, dicens: Brçon thalattion compositum est ex terrena & aquea essentia, vtraque frigida, siquidem & gustum astringit,& calidisquibusuis illitum, ea refri

ea refrigerat, adiuuatq;. Cæterum Hiſpani herbam iſtam malhorquinam appellant, quia primo ad illos, ex Maiorica, altera inſularum Balearium, aduecta fuit.

DE MARINA ALGA.

Græcè, φύκος θάλαττιος: Latinè, Phicos thalattion, alga, fucus marinus: Hiſpanicè, las ouas del mar: Italicè, Alga marina: Gallicè, vray, ou vrac, fueillet de mer, Coralline.

Enarratio CI.

PHycos thalattios alga marina eſt, non ea tamen qua apud Muranum Venetiis vitrea vaſa parantur: nam & illa alga marina dici meretur, de qua Galenus lib. viij. de Facul. ſimpl. medic. ita tradit: Phycos ex mari exemptus & virens, ſiccat refrigeratq; in ſecundo ordine, habet enim quiddam modice acerbum.

CONSTANTINVS.

CVm nihil ferè notius ſit muſco marino, atque etiam marino fuco, his maxime qui in locis maritimis verſantur, nullum tamen interpretum adhuc comperi, tametſi multi multa ſuper hac reſcriptitent, qui tam parabilia quàm ſalutaria hæc, vel per ſomnium nouerit: niſi tantũ ex lectione authorum, quos etiam credere præſtabilius, ac magis operæ pretium ſit, permulta probabiliter potius, quàm verè prodidiſſe. non vt quidem eorum eleuetur fides, verùm vt hac tuta diffidentia, noſtra in anquirendis tanti momenti rebus, deſidia caſtigetur. Eamobrem, apponam non ſolum quæ ex hiſtoria aliorum, de hiſce rebus didici: ſed etiam quæ frequenti inſpectione, & talium tractatione certò cognoui, quantum poſſum ex memoria repetere. Primo autem loco ponendum, bryon thalaſſion, ſiue marinũ muſcum, Corallinam non eſſe quam depingit doctiſſimus Mathiolus. *fruticoſa enim planta & furculoſa eſt Corallina, muſcus verò marinus herbula capillacea, & veluti villoſa, inſtar muſci arborum: congener ſiquidem huic eſt & forma, non tantum nomine ſimilis. albicante autem colore eſt aut ruſeſcente, nõ autem herbaceo: tametſi etiam glauco conſpexerim: ſcopulis qui mari alluuntur concreſcit, radice nulla notabili: & ſæpè oſtreorum, gammarorum, ac mytulorum teſtis atq; operculis cum inueterauerint, adhæreſcere firmiter obductus cõſpicitur. cùm exaruit facilè confringitur, & friabilis exiſtit, quod è diuerſo in*

fuco

fuco marino accidit. Corallina autem frutex est & genus alterum phyci, siue fuci marini apud Plinium libro xiij. cap. 25. capillaceo etiam folio, simile sæniculo, quod in saxis nascitur, & verno interit & Autumno. Phycos vero siue fucus marinus, qui etiam latinorum est alga, vocatur in Oceano Northmanico vray ou vrac à voce Græca βρύον. Nam bryon & algam, alterũ pro altero etiam, vt infra dicetur, vsurpat Plinius. Tria autem phyci genera existunt, vnum folio est caricis, id est graminis, sed aquabiliter lato, ac molliore, nec mucronato, vel acuto quale est agrostis, quæ carex est Virgilio, nihilq; penè differt ab vlua palustri, de qua etiam paulò post, nisi colore, quem vlua habet prasium, alga verò subuiridem tendentẽ ad russum, quem planè induit in mari, cùm vel diu euolsum atque inueteratum, vel cum in aëre exaruit. Pollicari mensura latiorem non vidi, aut vlna vna longiorem. Stirps in nostro mari nondum visa est. Folia tantum vndis innatant figura ligulæ lõgioris, aut teniæ vittatæ in corollis lemniscatis. Hæc algula est cui Dioscorides in odore corallia comparat, cùm inquit, lib. v. cap. 139. ἔστι ἢ ὀσμὴν βρυώδη καὶ φυκίοις ἐμφερῆ ἔχον. De qua etiam intellexit Nicander cùm ait: βρύα λεπτὰ πολυχροίοιο θαλάσσης. Qui etiam scitè admodũ in Alexipharmacis protulit, φυκιόεσσαι ἀταρπὸι: algosas vias exponeret Plinius, id est litora. Nam vt etiã rei nauticæ peritissimus Virgilius expressit, scopulis illisa resundit algas quod fit præsertim cùm tempestuosum est, & sæuit mare. Tunc abundanter litoribus eiectam & dispersam rustici Aestate, vt sæniseces (sænum nam hoc marinum est) rastellis accumulant, & in campo expositam furcillis versant quoad perarescat: deinde probe siccatam sæni instar in metas construunt, aut comportant in sænilia vel palearia. Eaque sunt, quæ tum præparant pecorũ & boum hybernæ stabulationi stramenta. Ex eoq; qui hinc conficitur fimo, agros nimia defrugatione emaciatos & exanimatos stercorant lato segetum prouentu: tametsi alga ipsa per se, vt est è mari aduecta cum infinitate minutarum cochlearum (nos vocamus Virelys sermone patrio) pro pinguissimo latamine sit, non secus atq; marga, quæ etiam nostris hominibus Neustriæ, maximo in vsu est. Alium etiam vsum præstat hæc algula tenuioris fortunæ hominibus: ea enim siccata, tomenti loco suas culcitras infarciunt. Quæ olim consimiliter ipsius cognita commoditas in farciendis centonibus, viridisq; in castris locum habuit. Quod intelligitur ex Vitruuio, cuius hæc verba sunt quæ subijciam, lib. x. de Architectura cap. 2. vbi de testudinis constructione loquitur: Circum tabulata collocentur

crates

crates ex tenuibus virgis creberrime textis, maximeq; recentibus, percrudis coriis duplicibus consutis, farctis alga, aut paleis in aceto maceratis, circa tegatur machina tota. Sed quoniam Alga (de hoc enim genere precipuè intelligendum) comparatur vluæ palustri, cuius mentio apud Virgilium Aeneidos 2. cùm ait Sinon:

Limoseq; lacu per noctem obscurus in vluâ
Delitui. Et lib. vj. eiusdem operis, ipse inquit poeta:
Tandem transfluuium incolumes vatemq; virumq;
Informi limo, glaucaque exponit in vluâ: Quid vluâ dicendum item est. in quo fiet satis iam alga descripta, si tantum adiungam: Quod alga est mari, id paludi esse vluam, visum seruio Mauro Virgilij explanatori. Ipsa herba in vliginosis & palustribus locis prouenit, sine caule, foliis graminis ab imo capite prodeuntibus, longioribus quidem, nec acutis in summo. in stagnis sub aqua, recta, demersa conspicitur: cuius leuissimo aquæ motu vibrantur frondes, viridissimæ sunt: figura ligulæ, euulsæ ab radice aquis fluitant. De vluâ loquitur etiam Vitruuius lib. ij. cap. 1. cùm nonnullos scribit, ex vluâ palustri componere tuguria tecta. sed reuertamur ad phycos, siue algam. cuius alterum genus est latifolium, folio quidem oriza sed minime acuminato, verùm latitudine aquabili, & vndiq; sui simili, quales phylurea. splenium enim longiusculum, aut fasciolam explicatam dueres cùm vndis supernatat. Hoc genus est, quod describit Plin. lib. xiij. cap. vltimo, folio lato, colore viridi: congruitque optimè quod quosdam ait, prasion & Zostera vocasse: talis siquidem huius color & forma. sed mihi videntur herbæ folia, quæ fruticis esse ait. Rufescunt arida & complicantur, reuiuescunt tamen aquæ impositæ & subitò se explicant ac diffundunt, vt accitus viuiscere imaginetur qui nunquam ipsa viderit. Aliud est Algæ siue fuci marini genus quod mihi suffrutex videtur potius, quàm herba. hoc viscum marinum voco, tale per omnia nisi folio quod habet crispæ lactucæ, & colore differat: nam surculis rubris germinat, substantia vero & toto aspectu glutinum taurinum ementitur. De eo locutus est etiam Plin. lib. xxvj. capite 10. his verbis quo loco tractat de podagra: liberat eo malo phycos thalassion, id est fucus marinus lactucæ similis, qui conchylijs substernitur, non podagræ modo, sed omnibus articulorum doloribus impositus, priusquam exarefiat. Tria genera eius latum & alterum longius, quadamtenus rubens: tertium crispis foliis, quo in Creta vestes tinguntur, omnia eiusdem vsus, Nicander eam aduersus serpentes dedit. Hæc Plinius, in quo bona ex parte Dioscoridi

ſcoridis veſtigÿs incedit. Item libro xxxÿ. cap. 6. cùm inquit: Et Algam maris Theriacen eſſe Nicander tradit. Plura eius genera vt diximus, longo folio & latiore, rubente, aliove criſpo, laudatiſſimaque in Creta iuxta terram in petris naſcitur: tingendis etiam lanis ita colorem alligans, vt elui poſtea non poſſit. Et vino iubet eam dari. Iſtis compone quæ idem author ſcripſit lib. xxvÿ cap. 8. Bryon marina herba ſine dubitatione eſt lactucæ foliÿs, rugoſa veluti contracta, ſine caule, ab ima radice exeuntibus foliÿs. Naſcitur in ſcopulis maxime, teſtisq; terra comprehenſis. Præcipua & ſiccandi ei ſpiſſandiq; vis, & collectiones omnes inflammationesque cohibendi, præcipuè podagræ & quicquid refrigerare opus ſit. Adijcienda ſunt etiam, vt nihil deſyderetur, quæ tradidit idem ſcriptor lib. xiÿ. cap. 25. hunc in modum: Naſcuntur & in mari frutices arboresq;, minores in noſtro. Rubrum enim & totus orientis Oceanus refertus eſt ſyluis. Non habet lingua alia nomen, quod Græci vocant phycos: quoniam alga herbarum magis vocabulum intelligitur: hic autem eſt frutex: folia lata colore viridi gignit, quod quidam præſon vocant, aliÿ Zoſtera. Alterum genus eiuſdem, capillaceo folio ſimile fœniculo, in ſaxis naſcitur, ſuperius in vadis haud procul litore, verno vtrumq; & interit Autumno. Circa Cretam inſulam nato in petris purpuras quoque inficiunt. Laudatiſſimũ à parte aquilonis, aut cum ſpongÿs. Tertium eſt gramini ſimile, radice geniculata & caule qualiter calami. Aliud genus fruticum bryon vocatur, folio lactucæ, rugoſiore tantum, iam hoc interius naſcens. Hæctenus Plinius: in quo lector obſerua quàm variè et quàm indiſtinctè quaſi ſe reuocans iſta omnia tradiderit. Phycos algam vertit & ſucum marinum: alibi in alia lingua nomen habere negat. modoque herbam vocat & ſubinde fruticem: adde quòd Bryon & phycos alicubi confundit. Sed profectò (ſi verum fateri liceat) hæc omnia errata leuis ſunt momenti, modo quid res ipſa ſit apertè intelligatur, congeneres plantæ ſunt & propemodum viribus ſimiles. Sic equidem quantum ad me attinet, tanti viri leues errores aliquot, non vt quidam faciunt capitales, accuſare nequeo: cùm tot eius benedicta vehementer ſubeat admirari. Porrò vt hæc concludamus, adhuc dicendum de alga meminiſſe Theophraſtum in hiſtoria plantar. libro iiÿ. Ariſtotelem lib. vÿ. & viÿ. de hiſtoria animalium. Et præter citata ſuperius, Plinium lib. xxvj. cap. 12. lib. etiam xxvÿ. cap. 7. Item libro ix. cap. 26. quando dixit: phycis ſola piſcium nidificat ex alga, atq; in nido parit. Quod deſumpſit ex Ariſtotelis de hiſtor. Animal.

lib.

li ix. quo loco etiam phycos vertit Plin. algã: & Gaza fucam vbi phycus legitur. Verum hæc omnia in alio iusto opere, & picta & descripta melius, quàm hic sunt tumultuariè & vellicatim quidem ac saltuatim vt inquit Gellius, quasi per satyram congesta, lectorum oculis subÿciemus. Quod virgula diuina fiet & repræsentabitur tum otiosè, tum considerate. Id nunc in hac lucubratione breuissima, mihi præripit librarÿ importuna festinatio. Quare hoc in hac alienæ messis recognitione, quod scilire interpretor, excusabit benignus lector, & hostimenti loco à nobis accipiet in iam recepto opere, hoc superpondium & auctuarium, quod scripturi sumus etiam de sphæra siue pila marina propositaq; pariter figura, vt Galenus intelligatur cùm de ea meminit lib. 3. de compos. Medicamentorum: Et Aristoteles libro 9. de historia animalium.

DE POTAMOGETONE.

Græcè, ποταμογείτων: *Latinè*, *Potamogeton*: *Officinis fontinalis herba*, *Germa.* Lungen kraut, sam kraut.

Potamogeton.

Enarratio CII.

POtamogetõ, vt ego opinor, ea est herba, quam officinę hodiernæ pulmonariam appellant, eo forsan quia pulmonis vitiis opituletur: quæ folio constat betæ hirsuto, notis albis emaculato, & prope fontes & aquosos locos nascitur, vnde fontinalis nomen traxit, de qua Galenus libro octauo: ita dixit: Potamogeton astringit & refrigerat similiter polygono, sed essentia eius crassior quàm polygoni est.

CONSTANTINVS.

HErbariorum duplex est pulmonaria dicta: vna foliis latiniatis, & tota similitudine pulmonem referentibus, in quercu & saxosis locis nascitur. Altera folio est Cirsij, siue borraginis, maculato albicantibus notulis, quæ locis opacis prouenit: non autem in aquis vt potamogeton, quod folium habet betæ, non admittenda igitur Amati opinio. Nemoque est herbariorum qui non verum potamogeton iam cognoscat: præter notas quas illi Dioscorides tribuit etiam spicatum, ob id vocatur à nostris espyc D'eau. Est etiam aliud genus quod lagunculas profert, galli mei vocant Burettes ou courges d'eau: folio est plantaginis aquaticæ.

DE STRATIOTE AQVATICO.

Græcè, στρατιώτης: Latinè, Stratiotes fluuiatilis, stratiotes aquaticus.

Enarratio CIII.

STratiotes in aquis supernatans, sedo simile folium habet, quod vt creditur, non alibi quàm in Aegypto nascitur, de quo Plinius lib. xxiiij. cap. 18. ita inquit: Celebratur autem & à Græcis stratiotes. Est ea in Aegypto tantum, & inundatione Nili nascitur aizoo similis, ni maiora haberet folia: refrigerat mire, & vulnera sanat ex aceto illita: item ignes sacros ac suppurationes, sanguinem quoq; qui defluit à renibus pota cum thure masculo mirifice sistit.

DE STRATIOTE, MILLEFOLIA DICTA HERBA.

Græcè, στρατιώτης χιλιέφυλλος: Latinè, Stratiotes, mille folium: Hispanicè, milhoyas yerua: Italicè, mille foglio: Gallicè, mille fueille: Germanicè, Garben, schaff garben, oder schaffripp.

Enarratio CIIII.

Millefoliũ. HAec enim herba est, quã hodie pharmacopolæ millefolium appellant, quũ ex directo descriptio illi conueniat, nec enim myriophyllon millefolium herba est, vt multi crediderunt. Nascitur autem millefolium vulgare in pratis, locis siccis, & prope vias, non verò aquaticis locis,

cis,vt myriophyllon, à cuius millefolij radice caules semicubitalis altitudinis nascũtur,numero tres, quatuorve aut quinq;, in quibus folia sunt auicularum pennis simillima,& ad ea multum accedentia,quę syluestre cyminum emittere solet. Cæterum in summitate caulium,vmbellæ albæ sunt,quæ aliquãdo ruffescunt, vt iure dicendum sit, terrestre hoc millefolium officinarum millefolium esse, non verò myriophyllon. De quo Galenus lib. viij.de Facultatibus simplic. medic. ita tradit:Aquaticus stratiotes humida & frigida facultate est: terrestris verò, nonnihil habet astrictionis, proinde & vlcera glutinat.

DE VERBASCO.

Græcè,φλόμος: Latinè, phlomos,verbascum: Offici. thapsus barbatus: Hispanicè, verbasco: Italicè, tasso barbasso: Gallicè,mollaine, ou bouillon blanc: Germanicè, Vullkraut.

Verbascum 1.

Verbascum 2.

Verbascum 3.

Verbascum 4.

Enarratio c v.

Verbascũ. VErbasci, vulgò tassibarbassi dicti, duæ seplasiariis notissimæ sunt species, quarum altera flores albos habet, altera verò luteos, quibus pro sedandis doloribus, tanquam medicamento anodino, & temperato sæpe vtimur. Cæterum duas alias species huius verbasci, Ruell. credidit, eas esse herbas, quas quidam herbas paralysis, alij verò herbas primi floris appellãt, alteri quarum flos albus inest, alteri verò luteus, nã folia vtriq; crispa admodũ sunt virgæ pastoris dipsaci dicti, simillima, quas quoq; herbas Fuchsius, tanquam veras verbasci species in suo depinxit Herbario: quæ dubio procul constringendi vires obtinẽt. Porro ex verbasco lychnia fieri possunt, vnde à Dioscoride lychnitis, & thryallis appellatur. Cuius flores rustici in Italia, & nõnulli in Hispania, pro coagulando lacte vsurpant, & illius semine contuso & pani vel caseo mixto, Hispani

Herba primi floris.

ſpani pro interficiendis lacuſtribus piſcibus vtuntur: de quo Galenus lib.viij.de de Facult. ſimpl.medi. ita inquit: phlomus,id eſt verbaſcum eius duæ ſunt ſpecies:quædam enim foliis eſt candida,quædam verò nigra: Rurſus,albæ quidem mas eſt,cuius folia anguſtiora,fœmina cuius maiora viſuntur: Eſt & alia phlomus agreſtis, flores habens aureos & luteos, nec non alia quam phlomida appellant: Priorum duarũ radix acerba guſtu eſt, & fluxionum affectibus prodeſt,atq; adeo dentiũ doloribus:quãquam folia digerendi vim habent,ſimiliter & aliarum folia,omnium quippe folia deſiccandi & detergendi vim poſſident.

DE AETHIOPIDE HERBA.

Græcè, Αἰθιοπὶς: *Latinè, Aethiopis.*

Enarratio CVI.

Hæc in Aethiopia tantum naſcitur.

CONSTANTINVS.

Mathiolus antea ſcripſit incognitã, nunc verò poſtremâ editione, eius inuentæ veram oſtendit effigiem.

Arctium.

DE ARCTIO.

Græcè, ἄρκτιον: *Latinè, Arctium.*

Enarratio CVII.

ARctium nõ eſt lappa minor, vt multi falſo credebant, quum lappa minor xanthion ſit Dioſcoridis, eſt verò arction herba vbiq; naſcens *Arctium.*

scens, cuius tenelli cauliculi in cibo cardorum vice vsurpantur. Folia etenim crassa verbasco similia herba hæc habet, de cuius viribus ita tradit Galenus sexto de Facultatibus simplicium medicamentorum libro, dicens: Arctium quod thapso verbasco est simile radice tenera, candida dulci, caule oblongo & molli, semine cymino simili: tenuium est partium, ob idq; facultatis modice exiccãtis & extergentis, quamobrem radix ac semen eius in vino cocta, quadantenus dentium dolores mitigant. Porro ambusta & chimethla non horum modo decoctum, sed & caules teneriores sanare possunt.

DE PERSONACIA.

Græcè, ἄρκειον: Latinè, arcium, personacia, philanthropos, lappa maior: Officin. bardana: Hisp. bardana, paganacera maior: Italicè, lappola maggiore: Gal. glouteron: Germanicè, Gros kletten.

Enarratio CVIII.

Lappa maior duplex

NAscitur Lappa maior vbiq; cum caule, & sine illo: Quæ autem cum caule nascitur folia cucurbitæ, similia habet, fructum verò rotundum, hirsutum, tenaci nexu vestibus hærentem, vnde philanthropos herba dicta est. Cæterum, differt planta hæc à minori lappa, tùm folio tum etiam fructu, vt capite de Xanthio dicemus. Quæ autem sine caule nascitur lappa, folia tantum habet lata, ampla, quibus multi vice branchæ vrsinæ, non sine ingenti errore vtuntur, hanc verò de qua agimus, lappam maiorem appellamus, At qui aparinem lappam esse dixerunt omnino errarunt, vt suo diximus loco, de hac verò lappa maiori ita tradit Galenus libro sexto, de Facultatibus simplicium medicamentorum. Lappa maior digerit simul & desiccat: astringit tamen nonnihil, vnde folia eius antiquis vlceribus prosunt.

Error multorum.

DE PETASITE.

Græcè, πετασίτης: Latinè, petasites: Germanicè, Pestilentz vvurtz.

Enar

Petasites.

Enarratio CIX.

NIsi Fungorum genus aliquod Petasites sit, quid nam sit ignoramus, in Gallia porro eam nasci Ruellius tradit, pro qua Fuchsius lappam maiorem à nobis descriptam capite superiori, in suo depinxit Herbario.

DE EPIPACTIDE SIVE elleborine.

Græcè, ἐπιπακτὶς: Latinè, epipactis, elleborine.

Epipactis.

Enarratio CX.

SImilis nigro helleboro, elleborines herba est, minutiori tamen folio vestita, quam Ferrariæ in horto Magnifici Azaioli nobilis Ferrariensis vidimus. Quum igitur Dioscorides dicat, elleborines folia habet minima, intellige comparatione ad folia nigri veratri, ellebori dicti.

DE FVMARIA HERBA.

Græcè, καπνὸς: *Latinè, capnos, fumaria: Hiſpanicè, palomilha: Arabicè, ſaheteregi: Italicè, fumus terræ: Gallicè, fume terre: Germ.* Erdtrauch, oder tauben kropff. Enarratio CXI.

Capnos, ſeu fumaria.

FVmaria herba, officinis fumus terrę dicitur, quæ ideo à fumo denominationẽ traxit, quia eius ſuccus oculos clarificat, & in eo iniectus, veluti acutiſsimus fumus, multas euocat lachrymas, præclara enim & multis encomiis, ob raras eius dotes, digna eſt herba, quæ flauam bilem purgat, & aduſtos depellit humores, ac puriorem & mundiorem ſanguinem reddit, mirifice enim morbis biliofis opitulatur, & iis qui ex ſanguine aduſto originem trahũt, vt morbo Gallico, pruritui, ſcabiei, ſerpigini, lepræ, pſoræ, elephantiaſi, quartanæ, & aliis variis, pro quibus, ex ea ſyrupus, ac per campanam deſtillata aqua, in officinis parantur. Cæterum ventriculum, iecur, & inteſtina, herba hæc roborat, & vnice obſtructiones aperit, vt ex Galeno percipitur, qui lib. vij. de Facult. ſimpl. med. ita tradit: Capnios, id eſt fumaria, acris, amarę, & acerbæ qualitatis eſt particeps, quamobrẽ vrinam biliоſam multamq; prouocat: ſanatq; tũ obſtructiones, tum imbecillitates iecinoris: Succus eius oculorũ acié acuit, non parũ trahens lachrymarũ, veluti ipſe fumus, hactenus Gal. recentiores verò, vt Meſue, Serapio, & alij, nonnihil malignitatis huic herbę tribuunt, quam facile corrigi, aut cocco, aut paſſulis enucleatis, vel ęarũ melle contendunt,

vt ve

vt verò illius vires debiles efficaciores fiant, illi myrobalani, sene, & aqua casei, adiungēda sunt. Porro, ex floribus fumi terræ conditū saccharo paratur, prædictis cōueniens affectionibus, quod curiosi pharmacopolæ paratū in officinis habeant semper, velim. At huius succi dosis, in potu vt testatur Mesue ab vncia media ad duas vsq; propinari debet, decocti verò ab vnciis decem ad quindecim, pulueris verò à drachmis tribus ad quinq;: parum enim calida herba hæc est, sicca verò in secundo gradu.

DE SATIVA LOTO

Græcè, λωτὸς ἥμερος: *Latinè*, *Lotos domestica.*

Enarratio CXII.

LOtus satiua, vt ego opinor, acetosum trifolium est, cuius folia cordis figuram imitantur, & eum Plinius oxyn, lib. xxvij. cap. 12. appellat: recentiores vero panem cuculi, vel panem cuniculi, aut alleluyam vocant, quod ad restinguendā sitim, & stomachum dissolutū à caliditate, recreandum multū valere creditur: in hortis autē satum plerūq; reperitur, & vt tradit Gal. vt mediocriter concoquendi, ita etiam exiccandi vim possidet: demum in caliditatis frigiditatisq; cōiugio, media quodammodo lotos satiua hæc existit.

Sylvestris lotus.

DE SYLVESTRI LOTO.

Græcè, λωτὸς ἄγριος: *Latinè*, *Lotus sylvestris*, *trifoliū sylvestre*: *Offi. melilotū*: *Hisp. Lusit. melgas*: *Ital. Gall. melilot*: *Ger.* Guldē klee oder steinklee.

Enarratio CXIII.

SYluestris Lotos, siue trifolium sylvestre, ea

est herba, quam, hodie vniuersa fere Italia, Germania, ac Gallia, pro vero meliloto vsurpant, De quo Galenus citato loco ita dixit: Semen agrestis loti, secundi est ordinis calfacientium, habetq; nonihil absterſorium: porro Aegyptiæ loti semen etiam in panes fingitur.

CONSTANTINVS.

LOtos arbor est & herba: arbor est Celtis, siue saba Græca Plinio, Ruellio agrifolium. Sed de hac Dioscorides li.j.cap.135. Theophrastus de histor.plan.lib.iij, Plinius lib.13.cap.17. Ac Galenus 7.simpli.celebrauitq; Lotophagos Homerus Odyss. 9. Lotos vero herba & terrestris & palustris est, quod Homeri interpres videtur ignorasse, qui tantum aquaticam agnoscit, cùm Lotos illa roscida quã Homerus (vt etiam rectè citauit Plinius lib.xxij. cap.21.) inter herbas subnascentes deorum voluptati primam nominauit, campestris herba sit. Locus est Iliad.ξ.

Τοῖσι δ' ὑπὸ χθὼν δῖα φῦεν νεοθηλέα ποίην,
Λωτόν θ' ἑρσήεντα ἰδὲ κρόκον ἠδ' ὑάκινθον.

Huius generis loti, herbarij nouem genera obseruant, inter quas reponunt sertulam Campanam quæ melilotus est Dioscoridis: in floribus differentia est, lutei & albi. Tertium & quartum genus Tragus refert ad Meliloton Serapionis. Est etiam Lotus trifolia quam idem Silicia, id est fænigraci, syluestre genus esse voluit. Ea est flore puniceo ex candidi & purpurei mixtura. Sexta Lotus est Syluestris, Fuchsio saxifraga lutea, Trago Medica Dioscoridis. Reliquæ sunt, Melilotus vulgaris aliis lotus syluestris, aliis lotus vrbana, quam Gesnerus Oxyn esse Plinij existimauit, cuius opinionem improbat Mathiolus: Et lagopi duplex species inter quas est herba trinitas dicta. Iam sequitur Lotos aquatica, de qua præter Theophr.lib.iij.de historia plantarum, & Plin.lib. 13.cap.17.copiosè meminit Herodotus lib.ij. Homerus etiã ipsam equorum pabulum facit lib.ij.Iliad.

ἵππει ἢ παρ' ἄρμασιν εἶσιν ἐναρ-
Λωτόν τε πῖνον καὶ ἐλεόβοτον ἠδὲ σέλινον.

DE CYTISO.

Græcè, κύτισος *Latinè*, *Cytisus.*

Enarratio CXIIII.

IN dignoscenda Cytiso herba, multi decepti sunt, ignorantes quòd vera cytisus, ea sit herba, quam vulgus trifolium odoratum appellat, vt eius figura & odor atteſtantur,

tur, & qua equi & iumenta multum in esu oblectantur. Cuius causa Itali eam trifolium caballinum nominant, imo ita ea beluæ delectantur, vt hordeum illius loco respuant, quod doctissime à Mathiolo Senensi primo animaduersum fuit, & non immerito Hispani, herbam, & Itali fœnum maxime laudant, in quibus cytisum maxime abundare vident: de qua Plinius merito libr. xiij. cap. 22. ita tradit: Frutex est & cytisus ab Aristomacho Atheniensi miris laudibus prædicatus, pabulo ouium: aridus vero etiam suum: Spondetq; iugero eius annuos perpluris vel mediocri solo redditus. Vtilitas herbosa, ergo & eo lætior satietas quod perquàm modico pinguescunt, & quadrupedia, ita vt iumenta hordeum spernant. Non ex alio pabulo lactis maior copia, aut melior, super omnia pecorum medicina à morbis omni vsu præstante. Quin & nutricibus in defectu lactis aridum, atq; in aqua decoctum potui cum vino dari iubet, & firmiores celsioresq; infantes fore, & cætera: De quo Galenus lib. vij. de Facul. simpl. medic. ita tradit: Cytisi folia digerendi facultatem obtinent, aqueæ & temperatæ mistam, vt malua.

Mathiolus Senensis.

Cytisus lac euocat.

CONSTANTINVS.

ERrantem Mathiolum hoc in loco, vt ipse se retractans sapienter confessus est, Amatus Lusitanus pace sua dixerim, incautè & inconsideratè sequitur, laudatq; intempestiuè in errorem incidens, in quem ille prius impegerat. Cytisus enim trifolium odoratum esse non potest, quia trifolium odoratum herbarijs, vt Lonicero, nihil aliud est quàm Asphaltion Plinij, & trifolium Dioscoridis, quod singulis annis emoritur. Cytisus vero Dioscoridi frutex est, quem Plinius lib. xvj. cap. 40. Et lib. xvj. cap. 38. nec non Columella lib. v. cap. 8. inter arbores adnumerant. Equidē ipsum vidi in hortis Abbatiæ sancti Germani Lutetiæ Parisiorum, omnibus Dioscoridis notis congruentem. Luculentus etiam accedit testis veram Cytisū iam inuentam esse, Iacobus Dalechampius omnium quos vnquam mihi videre contigit doctissimus, atque amantissimus, ob hocq; animæ dimidium meæ. Is ita hanc plantam depingit: Cytisus in hortis Franciscanorum Lugduni visitur, frutex vlnam altus, ramis multis, canis, folio perpetuo fumigraci, flore pisi, luteo, nigris maculis compuncto, semine genista in corniculatis siliquis: floret hyeme tota vsq; ad Æquinoctium: Æstate siliquatur, fructum Autumno perficit: folia Erucam olent, & gustata Cicer

recens

recens sapiũt. hæc ille omnia curiosissima obseruatione, vt est homo admirabilis industriæ, atq; diligentiæ. Sed etiam præter hæc quæ verissimè descripsit, radicis, quam erutam item aspexi, notas appingam, vt completa sit descriptio. ipsam pro fruticis proceritate, crassissimam habet, albam in profundũ actam obliquando, omniumq; huiuscemodi generis tenerrimam: quæ pro comperto euidens est ratio, cur tota hyeme floreat: tunc temporis videlicet, vegetali calore adaucto, & vberiore alimento, fructuosam alioqui plantam, maximeq; obedientem præ teneritate radicis, proliciente ad fruticandum cùm minine sit alsiosa. Namq; vti & testatur Plinius lib. xvj. cap. 38. tota ossea Cytisus, sicuti item Ilex, Cornus, Robur, Ebenus, Morus, Lotos & quæ sine medulla esse dixit. At è contrario, totum è carne corpus fico. Idem author fruticosam esse testatur, vt alterum genus Ebeni quod tota India dispersum est: Atq; hoc lib. xij. cap. 3. sed lib. xvj. cap. 40. post loton, & robur exalburnatum, siccissima ab ipso statuitur Cytisus, cui nigricans color, & quæ proximè ad Ebenum accedere videatur. Cytiso item non secus ac vlmo ramulosa esse folia, ex eodẽ authore ostendi potest lib. xvj. cap. 24. Quàm procera autem sit probari quoque potest ex Galeno libro j. de Antidotis, ipso siquidem authore, Cytisus non plus se subijcit, vel altius assurgit quàm est myrti magnitudo. A rei Rusticæ scriptoribus, Cytiso & ipsi principatus datur in pabulis, non minus quàm Ocymum boum causa seri consueto, vt mihi quoque testis est Plin. lib. xviij. cap. 16. Qui similiter de hac planta affatim dixit inter frutices lib. xiij. cap. 24. Sed omnium auidissimè Cytisum consectantur capræ, quod & Theocritum non latuit: inquit enim is scienter & appositè:

Ἀαὶξ τὸν κύτισον, ὁ λύκος τὸν αἶσα Αἰώκη.

Quem imitatus non minus conuenienter, scientius etiam paulò, duabus notis appositis, Virgilius expressit: Florentem Cytisum sequitur lasciua capella. Expetitur item ab apibus, nõ aliter quàm melissophyllon, aut casiæ, aut cerynthæ ignobile gramen. Quæ causa est, cur propter apum aluearia Cytisum seri iubeat Plinius lib. xxj. cap. 12. Columella lib. ix. cap. 4. satiuum ponit & qui sua spontis. hæc quæ sponte prouenit species, est ea quam describit Marcellus empeiricus. Eius hæc est dictio: herba est vel frutetum, quod maxime circa sepes vinearum nascitur, Latinè Cytisus dicitur, virgultis est subtortis vel curuis: folijs oblongis bene virentibus, floribus conclusis, oblongis, albis, vel galbineis, bene olẽtibus, id est mellito odore. frutetum ipsum semper virens æstate atque hyeme. Pictura

ſtura quam profert Tragus pro Cytiſo Dioſcoridis, niſi quid me fallit, hoc Cytiſi genus exprimit. In ſumma locis adductis concludi poteſt Cytiſum & inter arbores, & inter frutices ſiue herbas cenſeri: generisq; differentia à Plinio diſtingui, vt in arbore fœmineo vtatur in frutice maſculino: quod mihi obſeruatione indignum viſum non eſt.

DE LOTO AEGYPTIA.

Græcè, λωτὸς ὁ ἐν Αἰγύπτῳ: Lat. Lotus Aegyptia.

Enarratio CXV.

HAnc hucuſq; non vidimus, eam tamen ſpeciem fabæ Aegyptiæ ignami dicti, eſſe, pro re certa teneo, cuius quoq; radices, in victus vſu, hominibus ſunt, & de ea Theophraſtus lib. iiij. de Hiſtoria plantarum, cap. 10. ſermonem habet: Galenus quoq; vbi de loto agit, ita tradit: Porro Aegyptiæ loti ſemen etiam in panes fingitur: cæterum lotus hæc Aegyptia, proprie Andacocha eſt, non vero quæuis altera loti ſpecies, vt multi putant.

Lotus Aegyptia.

Andacocha lotus Aegyptia eſt.

DE MYRIOPHYLLO.

Græcè, μυριόφυλλον: Latinè, Myriophyllon, mille folium aquaticum: Germanicè, Vvaſſerfenchel, oder vuaſſergarb.

Enarratio CXVI.

MYriophillon nõ eſt millefolium vulgare, vt abunde capite de Stratiote terreſtri, mille folio dicto diximus. Hæc herba in paluſtribus naſcitur locis, nõ multum vulgari millefolio abſimilis.

Myriophillon.

DE MYRRHIDE HERBA.

Græcè, μυῤῥὶς, Latinè, Myrrhis: Vulgo cicutaria: Gallicè, perſil d'Aſne: Germanicè, Vvildkoerblin kraut.

Enarratio CXVII.

NOn eſt cerefolium myrrhis, vt iam diximus. Eſt vero Myrrhis herba cicutaria dicta, cerefolio admodum ſimilis, & vbiq; obuia, qua Salmanticenſes abundant, & de illius viribus, ita meminit Galenus lib. vij. de Facul. ſimpl. medic. Radix eius eſt odorata & dulcis, menſeſque

Myrrhis cicutaria herba eſt.

seſque mouet, necnon thoracem atq; pulmones purgat, calfacit itaq; secundo ordine, cum partium tenuitate.

DE MYAGRO.

Græcè, μύαγρος, Latinè, Myagros, melampyron, triticum nigrum: Gallicè, Cameline, camamine.

Enarratio CXVIII.

Myagros. REfert Ruellius libr.iij.de Natura stirpium, cap.126. myagrum in Gallia nasci, & in cãpis seri, à Gallisq; camelinam, vel cameminam appellari. Cæterum dicitur quoq; melampyron, id est nigrum triticum, herba hæc, ex cuius semine oleum exprimitur non solũ lucernarum luminibus, sed pauperũ condimentis conueniens. In Belgica quoq; regione nouimus nos plantam seri ramosam folio hederaceo, gallinis, & alitibus dicatam, quia eius semine maxime gallinæ oblectantur, & ex eo quoque promiscue cum aliis seminibus, oleum exprimunt, de quo Galenus lib.vij.de Facult.simpli.medic. ita tradit: Oleum quod ex semine ipsius funditur, emplasticam facultatem obtinet.

DE OENAGRA.

Græcè, ὀνάγρα: Latinè, Onagra.

Enarratio CXIX.

Oenagra, Onagra. NEc in Hispania aut Germania, Italiáue, vnquam herbam hanc videre potui, quæ ad domandos equos & alia cicuranda animalia optima procul dubio esset. De qua Galenus lib. viij.de Facul.simpl.medic. ita tradit: Onagri radix arefacta vinosum quiddam redolet, maximeque ad vini facultatem accedit.

DE CIRSIO.

Græcè, κίρσιον: Latinè, Cirsion.

Enarratio CXX.

Buglossa. ADeo Cirsion nostræ vulgatæ buglossæ respondet, vt omnino fatendum sit, eandam esse herbam, cui sententiæ Ruellius quoque patrocinatur, & merito: quia videmus buglossam aliquando triquetrum habere caulem, spinosum, ex cuius floribus nescio quid euanescit, vt animaduertenti notum euadet: nam in cæteris ita inter se respon

Cirsium.

respondent, vt spectanti nulla dubitandi maneat occasio. Proinde Mathiolum in hac re, minus bene dixisse crediderim, cum cirsium alteram herbam à buglossa esse contendat. Dicitur vero cirsion, quia varicibus conueniat: Namvt tradit Andreas Herbarius, eius radix vbicunque varices infestant, religata, dolores finit. Hodie vero ex ea cum syrupus, tum stil latitia aqua, in officinis habentur, febribus, & in adustionē inclinatis humoribus cōducentes: nō minus quoque ex huius herbæ floribu cordialibus, conditum ex sacchato paratur, conserua cordialis dicta.

Mathiolus errat.

CONSTANTINVS.

Officinarum buglossum species est Echij, etiam Fuchsio teste, cui caulis rotundus, cùm in Cirsio triangularis sit, habetq; Cirsion ab imo folia rosea, & in summo capitula in pappos abeuntia: quæ etiam duo in buglosso vulgari desyderātur. Nimis pertinaciter igitur, Lusitanus Mathiolo et rationi reffragatur: dum sequitur Ruellium. De Cirsio egit Plinius lib. xxvij. cap. 8. à quo lib. xxv. cap. 8. Buglossos boum linguæ similis: cui præcipuum quod in vinum deiecta animi voluptates auget, vocatur Euphrosyron quod officinarum est borrago, hanc adhuc Angli in conuiuijs vino semper admiscent conciliandi saporis gratia, & animi exhilarandi causa: quod vtrumq; sæpè præstare compertum sit.

DE ASTERE ATTICO.

Græcæ, ἀστὴρ ἀττικός: Lat. Aster Atticus, inguinalis herba, inguinaria, bubonium: Vulgò stellaria herba, alibia herba: Ara. astaraticon Ger. Sternkarut.

Enarra

Enarratio CXXI.

Aſter Atticus Inguinalis.

NAſcitur vbiq; herba iſta, quam nonnulli pharmacopolarũ, filium ante patrem vocant, & eam alibiũ vulgares appellant, vt Leonicenus doctiſsimus vir, in eo libello, quẽ de morbo Gallico edidit, indicauit. Aduertendum tamen, quòd Serapio, herbam iſtam inguinariam, cum eryngio confundit, quanquam tamen non ſine errore ingenti. Dicitur vero aſter Atticus ſtellaria herba, quòd foliola ſtellarum modo diſpoſita habeat, de qua Galenus lib. vj. de Facultat. ſimpli. medicamento. ita tradit: Aſter Atticus, partim quidem digerens eſt, partim autem refrigerans, verum id non adſtringit. Eſt & alia herba ſtellaria quoq; dicta, quam multi Alchimillam, alij vero pedem leonis appellant, quæ maluæ folia habet, ſed duriora, neruoſiora, ac magis criſpa, in quibus per circumferentiam extremitates octo dentatæ ſunt, & ita diſpoſitæ, vt cùm folia ex toto aperta ſunt, ſtellæ modo eradiare videantur: nam huic caulis in altum creſcit, ex quo ramuli plures enaſcuntur, in quorum ſummitatibus, flores quidam ſtellæ modo diſpoſiti ſunt, qui ex luteo vireſcunt: Porrò illius radix digitalis craſsitudinis eſt, longitudinis vero dodrantalis & amplioris. Naſcitur autem herba hæc Maio menſe, floret vero Iunio. Multis dotata viribus herba hæc eſt, de qua Author ille qui ad Pandectas additiones adiecit, ita inquit: Stellaria herba naſcitur in montibus Appennini, quæ folia maluæ gerit, & mirabilem habet proprietatem, ſcilicet ad reddendas ſteriles mulieres, fœcundas: illis quolibet mane coclear vnum prædictæ herbæ,

herbæ, in puluerem redactæ, cum brodio capi, vel vino generoso, per viginti dies, in potu propinando, Quibus nos addimus, modo mulieres steriles fiant & non concipiant, quia ob lubricitatem humorum, semen genitale non retinent. Est enim herba hæc constrictoria, & ea de causa, eius siccæ herbæ puluis, iis qui ex alto cadunt, securissimo iuuamento conceditur, modo in decocto eiusdem herbæ, vel aqua stillaticia detur, non minus quoque contra enteroçelas valet, & muliebres menses cõstringit, imò ita mulierum genitalia cõstringit huius herbæ decoctum, aut stillaticia aqua, vt corruptas æque ac virgines reddat, modo super decocto ad aliquot insedeant dies, non minus quoq; pendentes mamillas, rotundas, ac duras, contractásue reddit.

DE ISOPYRO.

Græcè, ἰσόπυρον: Latinè, Isopyron.

Enarratio CXXII.

Ignoratur hodie, quæ Isopyron herba sit.

DE VIOLA PVRPVREA.

Græcè, ἴον πορφυρᾶν: Lati. Viola purpurea: Hispanicè, Violetas: Italicè, viole mamole: Gal. violette de Mars: Arab. sonofrig: Germanicè, Blauu viol, oder Mertzenviolē.

Viola purpurea.

Enar. CXXIII.

Viola purpurea. Syrupus violatus solutiuus.

NOn minus ornamentum violæ, quàm rosæ Officinis hodie præbent, quæ non solũ purpureæ, sed etiam albæ, & inodoræ frigidioribus quibusdam locis nascuntur: Ex violis multoties

in infusione repetitis, syrupus violaceus solutiuus, non minoris vis, ac syrupus rosaceus solutiuus, siue multarum infusionum dictus, conficitur, quo in pleuritide, ac pectoris vitiis, pro expurganda aluo, ad quatuorvsq; vncias, vtimur. De viola ita meminit Gal. li. vj. de Facul. simpl. med. Ios, id est, viola, eius folia aqueam & subfrigidam substantiam superantem possident, proinde tum per se, tum cum polenta illita, calidas phlegmonas mitigant, imponũtur, & ori ventriculi æstuanti, & oculis. Plura vero de violis apud Mesuen legito.

DE CACALIA HERBA.

Græcè, καικαλία: Latinè, Cacalia.

Enarratio CXXIIII.

Cacalia herba.

Cacalia.

QVæ Acacali conueniunt, Cacaliæ Plinium tribuisse deprehendimus: nouimus autem nos, acacalim fruticem ericę non absimilem, fructum rotundum, album, margaritis simillimum ferre, vt primo libro diximus. Quæ omnia Plinius cacaliæ libro xxv. cap. ii. tribuit, dicens: Cacalia siue leontice vocatur semen margaritis minutis simile, dependens inter folia grandia, in montibus fere, huius grana quindecim in oleo macerantur, atq; ita aduerso capillo caput inungitur: porro Galenus de cacalia ita sub cancano tradit, libro septimo, de Facultatibus simplicium medicamentorum, Radix cancani, crassam emplasticamque & exiccantem habet essentiam, sed mordacitatis expertem, quare macerata vino sicuti tragacãtha, & linctа, aut commansa, arteriæ asperitates sanat.

Cancanus Galeni, cacalia est.

DE

DE BVNIO.

Græcè, βόνιον: Latinè, bunion, napum, scopa regia.

Enarratio CXXV.

NOn vbique vt multi autumant bunion nascitur, quod ex Argenta, quum apud Ferrarienses agebamus, ad nos delatũ est, caule quadrangulo subtili, folio verò apij, nam radicem omnes prætermiserunt, quam ipse hucusq; non vidi, ob cuius forsan cum rapis & napis similitudinem, multi raporum simul genus esse dixerunt. cæterum huius decoctum purgationibus fœminarũ, vesicæ & vrinæ, vtile esse, certum est, & vt tradit Galenus libro vj. de Facultat. simplic. medicam. adeo excalfacit, & vt vrinas moueat, & menses prouocet. *Bunion.*

DE PSEVDOBVNIO.

Græcè, ψεῦδο βόνιον: Latinè, pseudobunion, falsum bunium.

Enarratio CXXVI.

HAec herba, ab Italiæ herbariis visa non est, nascitur autem in Creta tantum, cuius semen contra venena efficacissimum medicamen est, & ea de causa Antidotis miscetur. *Falsum Bunium.*

DE CHAMAECYSSO.

Græcè, χαμάκισσος: Latinè, chamæcyssos, terrestris hedera, Vulgo hedera terrestris: German. Grundreb, oder Gundelreb.

Enarratio CXXVII.

HAec nisi illa sit herba, quam terrestrẽ herbam, & terrestrem hederam appellant, quæ illa sit ignoratur, de qua Galenus lib. viij. de Facult. simplic. medic. ita tradit: Chamæcyssos, flos eius admodum amarus quum sit, iecur obstructum aperit, daturque & coxendice laborantibus: Cæterum Ruellius, hanc à se in Gallia visam, longe à terrestri & viticosa illa dicta herba differente testatur. *Chamæcyssos. Hedera terrestris.*

DE CHAMAELEVCE.

Græcè, χαμαιλεύκη: Latinè, chamæleuce, chamæpeuce: Germanicè, Sevvdannen.

Enarratio CXXVIII.

Chamæleuce.

TAmetsi indifferenter caput hoc, de chamæleuce vel chamæpeuce legatur, Plinius tamẽ tanquam de rebus diuersis sermonem habet, libro xxiiij. cap. 15. de Chamæleuce sic dicens: Chamæleucen apud nos farranũ, siue farfugium vocant, nascitur secus fluuios, folio populi, sed ampliore. Radix eius imponitur carbonibus cupressi, atq; is nidor per infundibulum imbibitur, in vetere tussi. De Chamæpeuce verò, ita inquit: Chamæpeuce laricis foliis similis, lumborum, & spinæ doloribus propitia est. Quæ herba, cum iis quæ à Dioscoride dicuntur, multum conueniunt, vt iure dicendum sit, chamæpeucen Plinij, herbam esse de qua Dioscorides in præsenti agit. Galenus tamen sub Chamæleuce, lib. viij. de Facultatibus simplic. medicamentorum ita tradit: Chamæleuce, calfacit quodammodo tertio ordine, siccat primo.

Chamæpeuce Plinij chamæleuce Dioscoridis est.

DE BVGLOSSO.

Græcè, Βόγλωσσον: *Latinè*, *bugloſſus*, *borrago*: *Hiſpanicè*, *borraienes*, *borraies*: *Italicè*, *borragine*: *Gallicè*, *bourrache*, *ou bourroche*: *Germ.* Borretsch.

Borrago.

Enarratio CXXIX.

DIoscoridis & Græcorum bugloſſus, nostratum est borrago, De qua carmina ita feruntur:

Ego sum borrago quæ tria dona ago,
Gaudia semper ago, semper vireſco, & in omni tempore creſco.

Bugloſſum.

Exea

EX ea syrupus paratus habetur, non minus aqua per campanam elicita, ac ex floribus conditum cum succharo, inter cordiales dictas conseruis primatū obtinens. Cæterum, ob id quòd lætitiam buglossus inferat, multi Græcorū nepenthen buglossum esse dixerunt, inter quos Erasmus Roterodamus in sua Moria, nominandus venit. Galenus verò de buglosso, lib. vj. de Facult. simplic. medic. ita tradit: Humidæ calidæq; temperiei est, vinisque iniectum hilaritatis causa esse creditur, sed gutturis etiam lenit asperitatem, si melicrato coctum sumatur. *Buglossus nepenthes.*

DE CYNOGLOSSA.

Græcè, κυνόγλωσσον: Latinè, cynoglossa, canis lingua, Hispanicè, viniebla, lenguoa de perro: Italicè, lingua di cane: Gallicè, langue de chien: Germanicè, Hundszung.

Enarratio CXXX.

VEra cynoglossa, omnes Hispaniarū seplasiarij vtuntur, quam sua voce, vinieblam vocant: secus autem Italiæ mangones, qui cynoglossam alteram lata folia habentem pro vera vsurpant. Est autem vera cynoglossa herba folia oblonga, crassa, & hirsuta habens, quæ rotæ modo, instar Solis depicti, absque caule, flore, & semine apparet, ex qua pillulæ de cinoglossa dictæ, pro euocando somno parari debent: frigida autem natura herba hæc est: de qua Galenus nullam quod sciam mentionem fecit, libris suorum Simplicium. *Cynoglossa.* *Vera Cynoglossa.*

DE PHYTEVMATE.

Græcè, φύτευμα: Latinè, Phyteuma.

Enarratio CXXXI.

HOdie hæc ignoratur, quæ apud Venerem deam forsan reperiri posset, quum amori tantum conueniat.

DE LEONTOPODIO.

Græcè, λεοντοπόδιον: Latinè, leontopodion.

Enarratio CXXXII.

ET hanc quoque Venus sibi seruatam occultatamq; habet, quia amorum veneficiis valere tantum dicitur.

DE HIPPOGLOSSO.

Græcè, ἱππόγλωσσον: Lat. hippoglossum, Ital. bonifacia, bislingua: Hispani. lengoa de cauallo: Gallicè, langue de cheual, ou boniface: Germanicè: Zepflin kraut. Enarratio CXXXIII.

Hippoglossum.

Hippoglossum.

HIppoglossum differentē esse herbam, à lauro Alexandrina, satis ex Dioscoride percipi potest, qui vtriusque historias differentes facit, tum etiam quia viribus, dispares eas quoque constituit. Est enim hippoglossus siue hippoglossidion, eadem cum lauro Alexandrina, nisi quòd plerunq; in hippoglosso ex maiori & vero folio, minus folium ex medio nō oriatur: quod si illi inesse aut nasci contigerit, nunquam inter illa duo folia, fructum rubrum illum gigni videbitur, qualem in lauro Alexandrina oriri percipimus: & ea de causa, laurus Alexandrina à Theophrasto epiphyllocarpos nominatur, quia intra duo folia fructum rubrum ciceris magnitudine fert, quàm nonnulli masculum, hanc verò Hippoglossum de qua agimus fœminam appellitant, cuius foliorum vel radicis puluis, drachmæ pondere in potu, contra matricis præfocationes valet, veluti contra intestinalem ramicem, quanquam in initio potius obesse quàm prodesse appareat: & ea de causa, primis diebus brachiali ligatura optime fasciandus est æger, vt suæ renitatur potentiæ, sed postea paucis interpositis diebus, mirum in modum agglutinat, consolidatve.

Hippoglossus.

Alexandrina.

Epiphyllocarpos.

DE

DE ANTIRRHINO.

Græcè, ἀντίρρινον: *Latinè*, *antirrhinon*, *anarrhinon*, *bucranion*: *Hiſpanicè*, *cabeza de ternera*: *Italicè*, *antirrhino*: *Gallicè*, *moron violet*, *ou oeil de chat*: *Germanicè*, orant.

Enarratio CXXXIIII.

NAſcitur variis in locis antirrhinon, herba folio maiori anagallidis, fructu verò paruo, ſed vituli capiti perquam ſimile, vnde nomen traxit, quam apud Belgas primo mihi monſtrauit Simon Soſienſis pharmacopola diligentiſsimus. Qui antirrhinon, apparine ſimilem faciunt, omnino errant, in qua re non minus Plinius taxandus venit; quũ antirrhinon lino aſsimilat, eamq; lychnim agriam appellat. Nam etſi antirrhinon flore purpureo lychnidi ſimillimo inſigniatur, non ea tamen de cauſa, antirrhinon lychnis ſylueſtris dicenda eſt herba: quum tantum inter ſe differant, quantum penicillum ab area. De qua Galenus lib. vj. de Facultatibus ſimplicium medicamentorum ita inquit: Semen habet inutile, eſtque cum bubonio ſimilis facultatis herba.

DE CATANANCE.

Græcè, κατανάγκη: *Latinè*, *catanance*: *Hiſpanicè*, *unhas de gato*: *Italicè*, *vnge de gatto herba*.

Enarratio CXXXV.

NAſcitur catanance in maceriis, & prope vineas, ſiliculis aduncis, paruis, quæ quum exiccantur, tanquam milui aut cati vngues apparent, qua de cauſa, Hiſpani, herbam hanc cati vngues appellant: ſecundam vero, hactenus non vidi, non eſt tamen biſtorta vt Ruellius falſo credidit, vtramque verò ad amorũ veneficia valere, illisque ad eundẽ effectum, Theſſalas mulieres vti Dioſcor. teſtatur.

CONSTANTINVS.

CAtanancen *theſſalam herbam quam* Plinius *libro* xxvij. *cap.* 8. *deſcribere ſuperuacuum putat, cùm ſit vſu eius ad amatoria tantum, in pratis de Gentily Lutetiæ Pariſiorum agri atque territorij ſæpe vidi: cantabricam ipſam vocant herbarij. Cuius alibi picturam & deſcriptionẽ proferemus ex diligentia doctiſſimi*

Eliſſimi & mihi amiciſſimi viri Iacobi Dalechampÿ. Nam quam Lonicerus pro Catanance oſtendit, eſt ſpecies Iſatidis.

DE TRIPOLIO.

Græcè, Τριπόλιον: Latinè, tripolium, Serapionis turbit.

Enarratio CXXXVI.

VOcat Serapio tripolium turbit, quod hodiernum non eſſe turbit tam album quàm nigrum, officinis commune, vel ex hoc ſatis probari poteſt, quia radix à Barbaris & Mauritanis hominibus turbit dicta, & hodie ſeplaſiariis vulgaris; abſq; odore eſt, nec in ea feruidus aliquis ſapor percipitur: imò ſi Actuario viro Græco, & doctiſsimo fides habenda ſit, à quo Meſue multa mutuatus eſt, & ſuo inſeruit operi: fatendum proculdubio eſt, turbit album radicem eſſe alypi herbæ, nigrum verò turbit, pityuſæ, vt propriis capitibus abunde diximus. Cæterum Plinium confudiſſe tripolium cum polio, ac quæ tripolio debebantur, polio non ſine ingenti errore tribuiſſe, certum eſt. De tripolij verò viribus ita tradit Galenus libro viij. de Facultat. ſimplic. medica. Tripolij radix guſtanti ærис eſt, & facultate calida in tertio exceſſu.

DE ADIANTO.

Græcè, ἀδίαντον: Latinè, adianton, capillus Veneris: Hiſpanicè, culantrillo de pozo: Luſitanicè, auenqua: Italicè, capel Venere: Gallicè, capilli Veneris: Germanicè, vuidertod, fravuenhar.

Enarratio CXXXVII.

ADiantum officinis hodie capillus Veneris dicitur: cuius duę ſpecies habẽtur, & de illis Plinius lib. xxij. cap. 21. ſermonem habet, dicens: Aliud adiãto miraculum, æſtate viret, bruma nõ marceſcit, aquas reſpuit, perfuſum merſumque ſicco ſimile eſt, tanta diſſociatio deprehenditur. Vnde & nomen à Græcis, alioqui frutici topiario. Quidam callitrichon vocant, alij polytrichon, vtrunq; eſt ab effectu. Tingit enim capillum, & ad hoc decoquitur in vino cum ſemine apij adiecto oleo copioſe, vt criſpum denſumq; faciat: defluere autem prohibet. Duo eius genera, candidius & nigrum breuiusque. Id quod marus eſt

polytr

Adiantum.

Politrychon.

polytrichon, aliud trichomanes vocant. Vtriq; ramuli nigro colore nitent, foliis filicis, ex quibus inferiora aspera ac fusca sunt. Omnia autem è contrariis pediculis densa inter se ex aduerso: radix nulla, vmbrosas petras, parietũq; aspergines, ac fontium maximè specus sequitur, & saxa manantia, quòd miremur, cum aquas nõ sentiat, calculos è corpore mire pellit, frangítque, vtiq; nigrum. Qua de causa potius quàm quòd in saxis nasceretur, & à nostris saxifragum appellatũ crediderint, &c. Ex quibus videtis, Plinium dixisse, adiantum ideo appellari, quoniam etiam aqua aspersum nõn madefiat, quem tamẽ effectum, harum rerum maximus experimentator Antonius Musa Brasauola, falsum esse deprehẽdit, cui & nos quoq; assentimus, qua de re, adiantum potius dici ex puteis quos cõronat, & propter id madida nõ est, vel quia nunquã attingat aquas, credendum est: pectoralis enim herba hæc est, & vt refert Galenus in calore & frigore adiantum symmetrum est, siccat tamen & extenuat, & digerit, caput ex alopecia glabrum

Adianton cur dicatur.

Adianti tẽperatura.

brum capillis veſtit, ſtrumas & abſceſſus digerit, potum lapides frangit, viſcidorum craſſorumque è pectore pulmoneque excreationibus non mediocriter confert, ac denique ventris profluuium ſiſtit.

DE TRICHOMANE.

Græcè, Τριχομανὲς: *Latinè*, *trichomanes*, *polytrichum*, *callitrichum*: *Hiſpanicè*, *politrico*: *Italicè*, *politrico*: *Gallicè*, *polytricon*: *Germanicè*, Vvidertodt, abthon, oder ſteinfeder.

Enarratio CXXXVIII.

HAec altera adianti ſpecies eſt, trichomanes dicta, quam quoq; polytrichum, quia multas trichas, hoc eſt capillos faciat, appellant: vel potius, callitrichũ, quia pulchras trichas emittat. Falluntur quidam, qui callitrichum, polytrichum, ac trichomanem tanquam tres differentes herbas faciant, inter quas ſaluiam quandam tranſmarinam, herbam folia lata habentem oſtendunt: quum tamen, callytrichum, polytrichum ac trichomanes vna tantum ſit herba, hodie officinis, polytrichum dicta. Porro ſi quis trichomanem capillum Veneris eſſe contenderit, adiantum vero officinarum polytrichum, non multum reſiſtemus, quum vt dixi vtraque eaſdẽ habeat vires: vt teſtatur Galenus lib. viij. de Faculta. ſimpl. med. dicens: Trichomanes eadem præſtat quæ adiantum.

DE XANTHIO.

Græcè, ξάνθιον: *Latinè*, *xanthium*, *lappa minor*: *Hiſpanicè*, *lappa menor*: *Italicè*, *grapellas*, *lappola menor*: *Gallicè*, *glouttéron*, *ou grapelee*: *Germani.* bettlers leuſs, oder klein kletten.

Enarratio CXXXIX.

NAſcitur lappa hæc minor paſsim, prope vias, & exiccatos lacus, folio atriplicis, fructu verò hirſuto, oliuæ

Xanthium.

oliuæ magnitudinis, qui quum exiccatur tenaciter hæret, non adeo tamen potenter, vt fructus personaciæ: nam fructus personaciæ rotundus vmbilici figura est: Xanthij vero oblongus, oliuæ æqualis: item, personacia folia habet ampla: Xanthion vero circinata tanquam atriplicis, nasturtium odore referentia, de quo Galenus libro octauo de Facultatibus simplicium medicamentorum: ita breuiter tradit: Xanthij semen digerendi vim obtinet.

DE AEGILOPE.

Græcè, αἰγίλωψ: Latinè, ægilops, festuca: Italicè, squala: Hispanicè, vna suerte d'auena montesina: Gallicè, coquiole: Arabicè, danſir: Germanicè, Dauber habern.

Enarratio CXL.

QVi ægilopem auenam esse credunt, omnino fallun- *Aegilops*
tur. Est enim ægilops herba frequenter inter hordeum & auenam conspecta, folia hordei habens, caulem auenæ, in cuius summo grana multa gerit, colore rubra, inter quæ aristæ veluti capilli exeunt, & de ea Galen. lib. sexto, de Facultat. simplic. medicam. ita tradit: Digerendi vim obtinet, existens leuiter actis, vnde phlegmonas induratas, & ægilopas sanat.

DE BROMO.

Græcè, βρῶμος: Latinè, bromos, auena syluestris: Hispanicè,

Hiſpanicè, auea monteſinha: Italicè, auena ſaluatica: Gallicè, balle, & haueron: Germanicè, Vvild habern.

Enarratio CXLI.

PRæfixit Dioſcorides lib.ij.caput de auena domeſtica, ſiue ſatiua: nunc verò de ea quæ ſua ſponte in aruis naſcitur agit. Eſt enim bromos aliud nihil quàm auena, de qua quoq; hic egit, vt cautos nos redderet, quòd Ægilops alia ſit herba, à bromo auena dicta. Naſcitur igitur auena ſterilis, in campis ſimilis ſatiuæ, ſed grano maiori, nigriori, ac hirſuto, de qua quoque Plinius libro xxij. cap.25. memoriam fecit.

DE GLAVCE.

Græcè, γλάυξ: Latinè, glaux.

Enarratio CXLII.

Glaux. COntendit Ruellius Gallus, in eo libro quem de herbarum & ſtirpium natura edidit, quòd glaux ea ſit herba quam rutam captariam, galeguam, ſiue giarcam multi appellant: ſed re vera falſo, quum giarca polemonium ſit, vt ſuo diximus capite. Quæ verò glaux herba ſit, non ſatis conſtat, de qua Galenus lib.vj.de Facultatibus ſimplic. medicam. ita tradit: Glaux herba ex lacticiniis quum ſit, calida quodammodo humidaque fuerit.

Polemonium giarca eſt.

DE POLYGALO.

Græcè, πολύγαλον: Latinè, polygalum: Hiſpanicè, Luſitanicè, piorno.

Enarratio CXLIII.

Polygalũ. POlygali tametſi Dioſcorides perbreuè fecerit hiſtoriam vt coniecturis tamen aſſequi poſſum: frutex ille eſt, plures à ſe virgas geniſtæ perſimiles emittens, in quarum ſummitate flos aurei coloris cernitur: optimi ſane odoris. Vocant autem fruticem iſtum Hiſpani piornum, ſapore amariſsimum, ex quo magna pars Italię ſcopas parat: nec enim dubitandum eſt huius florem lactis abundantiam facere, tam enim ſuauis odoris eſt, & gratus.

DE

DE OSYRIDE.

Græcè, ὄσυρις: Latinè, linaria.

Enarratio CXLIIII.

OSyris multorum consensu linaria herba est, de qua officinarum septasiarij cantant, Esula lacteſcit, sine lacte linaria crescit. Hæc verò, vrinalis alio dicitur nomine, de qua Plinius lib. xxvij. cap. 12. ita inquit: Osyris ramulos fert nigros, tenues, lentos, & in iis folia nigra ceu lini, semenq; in ramusculis nigrũ initio, dein colore mutato rubescens, &c. In quibus verbis, Plinium aberrasse satis constat: quum quæ foliis Dioscorides tribuit, ille potius ad semen referat, vt consideranti notum erit. De Osyride verò ita meminit Galenus lib. viij. de Facultatib. simplicium medicamentorum. Amara est, & aperiendi vim obtinet, quare iecur obstructum adiuuat.

Osyris linaria.

Vrinalis.

Plinius erat.

DE SMILACE ASPERA.

Græcè, σμίλαξ ἡ τραχεῖα: Latinè, smilax aspera, hedera Cilissa: Hispanicè, Lusitanicè, biguorda: Italicè, hedera spinosa, rouo ceruino: Germanicè, Scharpffe vuind.

Enarratio CXLV.

SMilax aspera, proprie hedera est, horrida tamen spinis, & ea de causa eam Theophrastus lib. iij. de Plantarum historia, capite vltimo hederam Cilissam, vel Ciliciam appellat, dicens: Hedera ita se habet, Smilax, id est hedera Cilicia amplexi caulis, ipsa quoque assurgit, fructus aculeatus, & velut præhorridus, folium hederæ paruum sine angulo, iuxta pediculi retinaculum, humectum, peculiare, quod medium illum callum qui instar spinæ animantium secat, prætenuem habet & interualla staminea, non ex eo porrecta, vt cætera, sed circa eum in orbem circumacta, ab annexu pediculi ducit, ad caulem vero foliorum internodia consumantem. Villus ab eisdem pediculis, atq; folia tenuis, seq; conuoluens dependet: flos candidus, suauiter olens, verno proueniens tempore: fructus proximus herbæ solano, atque melothro, & maxime vuæ labruscę vocitatę: racemi pensiles vt hederæ sunt, verum

ad la

Smilax aspera.

ad labruscam potius accedunt: nam de eodem puncto pediculi acinorum exeunt, colore fructus rutilus est, nucleos invniuersum quidem binos continet, quanquam grandior ternos, & paruulus vnum Nucleus durus admodum est, & colore forinsecus niger, peculiare racemis, quod per latera caulium sepiunt, postremoque caulis, racemus omnium maximus propendet, sicut in rhamno, & rubo, vnde fit, vt extremo fructifera, & latere large fructifera ista spectetur. Hæc Theophrastus de smilace aspera, quæ proculdubio, vbiq; folio volubilis sed aspero, & spinis horrido, arboribus circumvoluitur, vnde ab Italis stracia brague appellatur, ex cuius floribus albis odoriferis mulieres Hispaniarum aquam per campanam eliciunt, inter odoriferas aquas non postremas laudes habentem, & eius asparagos Itali in continuo victu habent. De cuius viribus Galenus lib, vij. de Facultat. simplicium medic. sub Smilace trachea, id est aspera, ita inquit: Variis clauiculis suis, arboribus circumuoluitur, folia eius & acria gustanti, & vtenti calida existunt.

DE SMILACE LENI.

Græcè, σμίλαξ λεῖα: Latinè, smilax lænis, conuoluolus, volubilis: Hispanicè, la campanella corriola maior, correguela maior: Italicè, voluchio maggiore. Gallicè, liset: Germanicè, Vvind.

Enarratio CXLVI.

LEnis Smilax, ea est herba quam officinæ hodie volubilem maiorem appellant: cuius quoq; recentiores plures

plures alias faciunt species, præter illam alteram cuius capite de ciſſampelo meminimus, inter quas lupulus nominandus venit, qué Plin. ſalitarium lupulũ vel repticium lupum, ob id quòd ſalices, & alias ſeãdat arbores appellat, de quo nos plura aliàs diximus, & ex eo ſyrupus in officinis concinnatus habetur. Cæterũ ſmilax lenis, eaſdem fere cum aſpera vires obtinet, vt teſtatur Galenus citato loco.

DE RVSCO.

Græcè, ὀξυμυρσίνη, μυρσίνη ἀγρία: Latinè, oxymyrſine, ruſcus, ſylueſtris myrtus: Hiſpanicè, ius barba, gil barbera: Luſitanicè, ſſolinhadeiro: Italicè, pongi topi: Gallicè, freſione, & houſſon.

Enarratio CXLVII.

RVſcus à ſeplaſiariis & pharmacopolis hoc tempore, bruſcus dicitur, frutex folia myrti habens, ſed acuta, ſpinoſáve, fructum verò rubrum: cuius radices in vſu medico quotidie veniunt, & illis pro obſtructionibus aperiendis merito vtuntur. Cæterum, fruticem iſtum Græci ſylueſtrem myrtum appellant, à quo cubeba carpeſium vocatum, longe vt dixi abeſt, cuius inaduertentia Arabes hallucinati ſunt, vt Ferrarienſes primo indicarunt.

DE LAVRO ALEXANDRINA.

Græcè, λάφνη ἀλεξανδρεία: Latinè, laurus Idæa, laurus Alexandrina: Arabicè, Alexandria: Hiſpanicè, lauro Alexandrino: Italicè, lauro Aleſſandrino: Gallicè, laurier Alexandrin: Germanicè, Halſs kaut, haucklatt.

Enarratio CXLVIII.

DIffert Laurus Alexandrina, ſiue Idæa laurus, ab hippogloſſo, quia laurus Alexandrina, fructum in medio folij, altero foliculo coopertum, rubrum ciceris magnitudine fert: hippogloſſus verò ſterilis eſt, nec fructum emittit, vt ſuo diximus loco. De daphne verò Alexandrina, ſiue lauro Alexandrina, ita Galenus prodit, libro vj. de Facultat. ſimplic. medic. Daphne herba quam Alexandrinam appellant, euidenter eſt calida, acris, & ſubamara, potáq;

Laurus Alexandrina.

Hippogloſſus.

potaq; tũm vrinas, tum menſes prolicit, Hactenus Galenus. Cæterum herbæ huius folia, longe quàm ruſci ſunt maiora, quod propter hoc dictũ velim, quia in nonnullis exemplaribus per Marcellum verſis, minora folia quàm ruſci, herbã iſtam habere legitur, non ſine menda tamen.

Emẽdatur Marcellus.

DE DAPHNOIDE.

Græcè, δαφνοειδὲς : *Latinè*, *Daphnoides*, *laureola*: *Hiſpanicè*, *laureola* : *Italicè*, *laureola* : *Gallicè*, *Laureolle* : *Arabicè*, *daphnides* : *Germanicè*, Zeilant, vnd ſeidelpaſt.

DE CHAMAEDAPHNE

Græcè, χαμαιδάφνη : *Latinè*, *chamædaphne* : *Italicè*, *chamedaphne*. *Hiſpanicè*, *laurel baxo*, *laureoleta*, *Arabicè*, *Chamedaphnes*.

Enarratio CXLIX. CL.

SVb eodem capite de daphnoide, & chamędaphne, quaſi herbis ſimilibus, & eaſdem fere vires habentibus, Galenus ſermonem fecit, vt apud ipſum eſt legere lib. vj. de Facult. ſimplic. medic. ſub ſequenti ordine. Chamædaphne, perſimilis quidem eſt viribus daphne Alexandrinæ: Sicuti & quod daphnoides vocant: verum qui daphnoidem laureolam dictam, mezereon eſſe credũt, omnino fallũtur, quũ mezereon longe alia ſit res, vt capite de chamælæa dicemus. Eſt enim laureola, herba ſiue frutex cubitalis altitudinis folia laurina habens, quæ linguam & fauces feruido quodam ſapore erodunt vrúntve, cui flores albi purpuraſcentes inſunt, & eam pharmacopolæ fere omnes ſatis cognitam habent. Huic affinis chamædaphne eſt, quæ vinca peruinca nõ eſt, vt multi falsò rentur, quia vinca peruinca, vt diximus clematis eſt: Vocat tamen Plinius libro xxj. cap. ii. vincam, chamædaphnem, hac tantum de cauſa, quia folia laurina habet, Sed re vera, Chamædaphne alia eſt herba, ſcilicet cubitalis altitudinis, ramulo ſingulari creſcens, folio tenui, lauri ſimilitudine, vt ipſemet Plinius deſcribit lib. xxiiij. cap. 15. Quæ omnia vt noſtis, à peruinca abſunt, vt liquido conſtet, chamædaphnẽ non eſſe peruincam, quum potius clematis peruinca ſit.

Mezereon chamælea eſt.

DE

DE HELLEBORO ALBO.

Græcè, ἑλλέβορος λευκὸς: *Latinè*, *Helleborus albus, veratrum album*: *Hiſpanicè*, *verdegambre blanquo*: *Italicè*, *elleboro bianco*: *Gallicè*, *ellebore blanc*, *& veraire*: *Arabicè*, *Cherbachem*: *Germanicè*, Vveiſs nieſs vvurtz.

DE HELLEBORO NIGRO.

Græcè, ἑλλέβορος μέλας: *Latinè*, *Helleborus niger, veratrum nigrum*, *melampodium*: *Hiſpanicè*, *verdegambre negro*, *elleboro negro*: *Italicè*, *elleboro negro*: *Gallicè*, *ellebore noir*: *Germ.* Chriſtvurts.

Enarratio CLI. CLII.

Helleborum album I.

SCribitur Helleborus & Eleborus, ſed Horatius cũ duplici l. ſcribere videtur, cùm dicat, Expulit helleboro morbum, bilemque meraco. Cuius duo genera ſunt, album & nigrum, vtrunque ſatis notum. Album folia plãtaginis, lata ad albedinem inclinata habet: nigrum vero folia nigra herbacei coloris, ſtricta, quibuſdam partita diuiſionibus, qđ non ſolum floribus purpuraſcentibus reperitur, ſed etiam albicantibus, & ſubluteis. Sed animaduertẽdum eſt, quòd genera hęc hellebori nigri, habentia flores albicantes, vel ſubluteos, viribus impotentiora ſunt, & minus obnoxia, quàm illius flores purpuraſcentes poſsidentis: vtcunq; tamen, albi & nigri

Helleborum album 2.

Helleborum nigrum.

Hellebori radices, in vſu medico frequenter veniunt, quibus priſci indiſcriminatim vtebantur, non plus albi radices quam nigri ægrotis dando, Sed albi potius pro euocando vomitu: nigri vero pro aluo ſubducenda. At recentiores & medici ab hinc trecentis annis, nigrum exhibent helleborum, album tanquam venenum formidantes, quo factum eſt, vt Meſue in ſuis Simplicibus dicat, Albus corporibus noſtri temporis eſt moleſtus, imo eſt eis ſicut venenum proprie præfocans: nigri autem vſq; ad tempora noſtra virtus tolerabilis eſt, licet adhuc difficilis. Ex lunioribus quoq; Mathiolus Senenſis, nigrum albo periculoſiorem facit, quia ita experientia deprehenditur, quum tamen hodie boni practici nigro correcto tanquam diagridio continuo vtantur: Cuius correctio hæc eſt, ex puluerisi elebori nigri, drach. 1. cinnamomi, fœniculi, aniſi, maſtichis ana ℈ ß. puluerizentur omnia ſubtiliter, & fiat puluis. Alij vero Meſue patrocinantur: quia ita quoque experientia venarunt, quæ ſane diuerſitas nõ aliunde orta

eſt,

est, quàm ex regionum diuersitate, vna enim in regione albus potentior nigro est, altera vero niger, albo. Plures autem nouimus herbas, quæ vno in loco suas exacte seruant naturas, alibi vero ab illis degenerarunt, vt in cicuta videre est: quinimo in animalibus quoq; id euenire certi sumus, vt de serpentibus, araneis, & aliis variis animalculis, quæ regionibus frigidis venenosa non sunt, alibi vero veneno non carent, vtcunq; tamen, ab eorum substantiis, tanquam ab exitiali veneno fugiẽdum suaderem, quum vterque periculosus sit, & naturæ infestissimus. Solet tamen multis parari modis helleborus, quos ego nunc prætermitto, modo recitem id quod à nonnullis factitatum iri animaduerti: pomum enim accipiunt, quod multis hellebori nigri radicibus trãsfigunt, ac sub cineribus coquunt, à quo postea radicibus detractis, in hieme post longam syruporum propinationẽ, quartana rebelli affectis, comedendum tribuunt, quod valentissime purgat: & breui omnes fere quartana, & morbis eradicatu difficillimis, vexati liberantur. Compleri autẽ hoc opus posset, non tantum in pomo, quantum raphano, aut citonio, vt de scamonea Galenus lib. j. de Alimentorum facultatibus suadet agendum, vbi iubet excauata interiori cotonei parte, scammoneam imponi, & assari: postea vero concedit ipsum pomum mandi & nõ scammonium: nam & in pane in furno excocto, hoc quoq; fieri potest, vt cæteros plures alios præteream parandi modos. Cæterum dicitur helleborus, vel helleborum, ab Helleboro fluuio prope Anticyram vbi optimus reperitur: niger tamen helleborus vt testatur in præsenti Dioscorides, melampodion à Græcis appellatur, ob id quòd credatur, Melampum pastorem illum inuenisse, ac furentes Prœti filias curasse, cui subscribit Plin. lib. xxv. cap. 5. vbi adamussim de vtroq; helleboro sermonem habet, Coturnices ali helleboro, veluti sturnos cicuta, Galenus memoriæ commendauit, quod prius ab Aristotele dictum fuisse legimus, & à Theophrasto eius discipulo receptum, & ea de causa, coturnices in cœnis suis antiqui prætermiserunt: Cætera vero de helleboro prætermittimus, de quo Hippoc. libellum scripsit, & multa libris Aphoris. & de Morbis populariter vagantibus, dixit: & de eorum viribus ita dixit

Galenus, libro sexto de Facultat. simpli. medicamen. tam albus quàm niger helleborus, extergentis calfacientisq; est potentiæ, quamobrem ad alphos, lichenas, psoras, lepraſq;, accommodi sunt, Quin etiam niger si in fistulam callo induratam infundatur duobus tribusue diebus, callum detrahit, dentibus prodest cum aceto colluentibus; Sunt autem in tertio ordine excalfacientium & desiccantium: porro niger gustu calidior est, Candidus amarior, Ex helleboro, syrupus hodie in nonnullis paratur officinis, qui contra morbum Gallicum difficilem & rebellem multum valet.

DE SESAMOIDE MAGNO.

Græcè, σησαμοειδὲς μέγα: Latinè, sesamoides magnum: Germanicè, leüss kraut.

DE SESAMOIDE MINORI.

Græcè, σησαμοειδὲς μικρὸν: Latinè, sesamoides minus,

Enarratio CLIII. CLIIII.

VT verum fateamur, hucusq; à nobis herbæ istæ visæ non sunt, Patauij tamen reperiri olim mihi dixit Gaspar de Gabrielis, nobilis Patauinus, vir singulari doctrina præditus, & herbarum ac simplicium maximus indagator, cui fides ampla tribuenda est: hodie verò ibidem quoque reperiri certus sum, præsertim in eo horto quem Illustrissima Respublica Venetorum, Herbis & fruticibus dicauit, vt in eo tanquam in promptuario quodam, omnes quoad fieri possit, plantæ satę, ab omnibus videantur, & temporis necessitate, contra quemuis morbum, eas carpere possint.

DE SYLVESTRI CVCVMERE.

Græcè, οἶκυς ἄγρεως: Latinè, cucumis agrestis, cucumis anguinus: Arabicè, Chesé allimar: Hispanicè, cogonbrilhos amargos: Lusitanicè, pipinos de sancto Grigorio: Italicè, cocomeri saluatici: Gallicè, coucombre sauuage, courge d'Asne: Germanicè, vuild cucumer.

DE

DE SVCCO CVCVMERIS SYLVESTRIS.

Græcè, ἐλατήριον: *Latinè*, *elaterium*: *Vulgò*, *elaterio*.

Enarratio CLV.

Cucumer syluestris.

NAscuntur Cucumeres agrestes, vbique simili in planta, qua nasci solent cucumeres magnitudine glandis, qui facillime quum tanguntur, exiliunt, saltantúe, ex quorum succo elaterium paratur medicamentum massæ modo concretum, officinis familiare, præcipuè pro exoneranda aluo, cui ætatem Dioscorides à biennio ad decennium vsque purgationibus accommodatam tribuit: quum enim decem annos supergreditur ineptum effici & purgationibus inutile tradit, quod adnotasse credendum est, propter Theophrastum, qui libr. ix. de Plantarum historia capite decimoquarto, inquit: elaterium eo melius fieri quo vetustius, imò ex medicamentis nullum stare, quod longiore æuo duret quàm elaterium, ita vt eius vires ad ducentos vsq; annos vigeant, contendit, quinquaginta vero annorum elaterium lucernas ardentes extinguere ibidem Theophrastus tradit, quo experimento verum à falso deprehenditur. Interdum enim in eo humiditas aquea viget, optimum est elaterium, qua lucernas extinguit, quod nos quoq; verum esse experti sumus. Proinde textum istum Dioscoridis corruptum esse pro re certa tenemus, quia loco illorum verborum, quum eius prosequitur probitatis signa: quod-

Dioscoridis emaculatus.

que lucernis admotum, facile eas extinguit: dicit facile accenditur: vt iure quis errorem istum in Dioscoride esse dicat. De qua Galenus lib. viij. de Facul. simpl. medicamē. ita tradit: Tum ipse, tum eius succus quem elaterium vocant, aut ex foliis & radicibus pressus, perutilis ad medicationes existit. Elaterium itaq; menses ciet, fœtumq; perimit applicatum, ceu alia omnia amara & tenuium partiū: Summe siquidem est amarum, calfacitq; in secundo ordine, ac proinde etiam digerit, Sic enim eo angina laborantes inungunt quidam cum melle aut oleo veteri: bonum item est regio morbo affectis infusum cū lacte in nares: similiter dolores capitis sanat. Radicis atq; foliorū succus similem, sed imbecilliorem facultatē sortitur. Radix etiā abstergit, digerit, emollitq;. Cortex potentius desiccat: cætera vero de elaterio apud Mesuen legito.

DE STAPHIDE AGRIA.

Græcè, σταφὶς ἀγρία: Latinè, staphis agria, herba pedicularis, pituitaria, vua sylvestris: Hispanicè, fabaz, paparraz: Italicè, staphisaria, semence de frati: Arabicè, Alberas: Gallicè, staphisagrie, ou l'herbe aux poulx: German. Bissmüntz, oder leüss somen.

Staphis agria. Pedicularis herba. Vub tamiuia.

Staphis agria.

Enarratio CLVI.

DIcitur Staphisagria pedicularis herba, quoniam eius commune semen & officinis familiare pediculos enecet. Hanc Cornelius Celsus libr. iij. capite xxj. & alij nonnulli medici, vuam taminiam vocant, sed falsò, quia vua taminia, vitis est nigra, de qua sermo in hoc libro haben-

dus est, de hac vero staphidagria, sub agresti vua, Galen. lib.vj.sermonem fecit, quum dicat: At agrestis, vehementer acris existit, adeo vt ex capite purget, abstergatque valenter. Itaq; ad psoram accommoda est, sed & vrendi vim habet.

DE THAPSIA.

Græcè, θαψία: Latinè, thapsia: Hispanicè, Lusitanicè, otom: Italicè, Gallicè, thapsie.

Enarratio CLVII.

Thapsia. Dicitur Thapsia quia in Thapsio insula prope Siciliã, abunde proueniat, & in ea primo inuenta fuerit, quæ variis aliis in locis crescit, vtpote apud montem Garganum, Sancti Angeli dictum, prope Apuliam, non minus in Hispania, Lusitaniaque felicissime nascitur, præcipue apud Conimbricenses, prope fanum diui Antonij, vt alios sileam locos, Dioscoridis historiæ in vniuersum respondens, quam ibidem à thapsia, corrupta voce, Tom appellant mulieres, & eam ad fugandos dæmones vsurpant, & ea de causa de ea quoq; prouerbium circumferunt, quod sic nostra lingua sonat, Eu som otom, quæ odiabo fuge, donde eusom, & Latinè ita dici potest, Ego sum thapsia, ex qua præsente, dæmones aufugiunt: Cæterum, hanc omnes scholasticos Conimbricensis academię, veluti cæteras cognouisse herbas, non dubitarim, quum præceptore Reinosio viro grauissimo, ac doctissimo vtantur, quem, quum primũ ex Italia in Hispaniam reuocatus esset, apud Almediam oppidũ, interueniente fratre meo Petro Brandano, inuisi, vt tanti hominis amicitiã mihi conciliarem. Sed vt ad thapsiam reuertar, Theophrastus lib.ix.de Plantarum historia, cap.22.de ea sermonem habet: non minus Plinius lib.xiij.cap.20.ita quoq; de ea tradit: Nero Cæsar, inquiens, claritatem thapsiæ dedit, initio sui Imperij, quia nocturnis grassationibus, emaculatam faciem trahens, illam thapsia, thure & cera illinebat, & contra famam sequenti die cutem synceram circunferebat. Porro ex thapsia Galenus libris Methodi medendi, initio destillationem, à capite in pectus, & subiectas partes cadentiũ, emplastrum ad cutem materias reuocans describit. Est enim

thapsiæ pars præcipua radix, de qua Galenus libro vj. de Facultat. simplic. medic. ita tradit: Thapsia acrem habet ac valenter excalfacientem facultatem cum humiditate coniunctam: quare ex alto violenter extrahit, & quod extraxit, digerit, celeriter tamen corrumpitur.

DE SPARTO.

Græcè, σπάρτιον: *Latinè*, *spartum*, *genista*: *Hispanicè*, *genestra*, *giesta*, *giesteira*: *Italicè*, *genestra*: *Gallicè*, *genest*, & *genest d'Espaigne*: *Germanicè*, Pfrimmen.

Enarratio CLVIII.

Sparton.

GEnistam hic describit Dioscorides, aureos flores producentem quam prisci spartũ siue spartiũ appellabant: Cuius virgæ natiuo lentore infragiles sunt, & illis rustici vites, & fasciculos ligant, imò Itali ex illis aqua maceratis, fila pro saccis & chordis conficiendis parãt. Insunt enim genistę phaselorum modo siliquæ, in quibus semen lentis modo claditur: gallinis admodum infestum: Nam flos vt dixi, aureo quodam fulgore à longinquis apparens est, tametsi albus quoq; videatur, qui mirum in modum aluum exoluit, & de illius natura, ita tradit Galenus lib. viij. de Facul. simpl. medic. Sparti (quo & vites alligant) tum fructus, tum succus virgarum valentem trahendi vim possidet, reliqua vero de genista apud Mesuen legito.

Spartum. Est spartum siue spartium, hodie longe aliud à genista, quod

quod in Betica regione Hiſpaniæ parte, præcipuè regno Morſienſi naſcitur: veluti in Algarbia apud Luſitanos, Aphricæ contermina, frutex iuuci aculeati modo, in acer uis ſponte ſua naſcens, abſq; folio, ſemine, & flore: nam virgæ huic ad ſummum cubitales ſunt, ſolidæ, ad frangendum difficiles, vinculorum vſui præcipuè, ex quibus cordæ, funes, cameli, & nauium ornamenta parantur: nec minus in ipſa Algarbia & Bætica regione, ex iſto ſparto, infinitus ſportularum, & corbium, calaſthicorúmue numerus, pro deferendis ficubus, & paſsis, aliiſúe mercibus, ad vniuerſam Germaniam, Pruſsiam, & Boëmiam, Galliam & Scythiam fiunt, hodie verò ſpartũ hamato liguo conuolutũ, eradicatus, veluti quoq; Plinij tempore, olleis ſiue ligneis conamentis, euellebatur, vt cap. 1. lib. xix. vbi exacte ſparti huius hiſtoriam proſequitur, meminit: fuit enim ſpartum hoc poſt Theophraſtum, Græcis notum, vt ibidem Plin. teſtatur, & lib. xxiiij. cap. 9. in quo quæſitum proponit, num geniſta Græcorum ſpartum ſit, de quo Homerus dixit, nauium ſparta diſſoluta, Cui breuiter reſpondet, certum eſſe, nondum eo tempore Africanum vel Hiſpanum ſpartũ in vſu fuiſſe, vt credendũ ſit, geniſtam, Græcorum ſpartum eſſe, noſtrũ verò ſpartum, illis ignotum eſſe, nec de eo vllã poſteritati reliquiſſe memoriam.

DE SILYBO.

Græcè, σίλυβον: Latinè, ſilybum.

Enarratio CLIX.

Silybon quæ ſit ſpina ignoratur hodie.

DE GLANDE VNGVENTARIA.

Græcè, βάλανος μυρεψικὴ: Latinè, balanos myrepſica, myrobalanus, glans vnguentaria, Ben Arabum: Hiſpanicè, auellana de la India: Vulgò, ben.

Enarratio CLX.

NAſcitur glans vnguentaria quam Græci balanon myrepſicam, ſiue myrobalanon appellant, frequentiſſime, non quod equidem nouerim in Hiſpania, ſed potius in India, vnde ad nos adfertur, fructus perſimilis auella-

nis agrestibus triangulatis, vel potius pistaciis, aut integro cappari triangulari, ex cuius nucleo, oleum de Ben dictum, vnguentarij hodie ad priscorum imitationem parant, vt libro secundo diximus: vocant enim oleum de ben, quia Arabes & Mauritani, vt Serapio & Mesue glandem istam vnguentariam ben appellãt. Fieri enim oleum hoc debet, ex nucleis, vt diximus, minime vero ex corticibus aut putaminibus, vt Theophrastus contendit. Cæterum, medici qui in India degunt glandem istam vnguentariam, in potu, ad subducendam aluum, & prouocandum vomitum, ægrotantibus propinant, simul enim glans hæc opus istud complet, & vt tradit Galenus lib. vj. de Faculta. simpli. medicamen. succo eius qui calidus est, vnguentarij vtuntur. Reliquiæ autem vnde expressus est succus, vincentem habent qualitatem amaram, cui admista est quædam astrictio, proinde extergentem, incidentem, contrahentem & stipantem effectum possident. Quod si quis carnem eius drachmæ pondere, cum melicrato bibat, medicamen experietur vomitorium. Sæpe etiam per infernam aluum subducit largiter, sed lienes liquat, iecurque indurescentia: ad quorum viscerum expurgationem, ex oxycrato ipsam exhibere consueuimus. Ex aceto etiam lepras, psoras, lentes, vitiligines, ionthos, ephelim, exanthemata, achoras, alioſque id genus cutis affectus exterit. Abstergentem itaq; & incidentem cum astrictione obtinet facultatem. Cortex autem eius, admodum astrictorius existit.

DE NARCISSO.

Græcè, νάρκισσος: *Latinè*, *narcissus*, *lirion*: *Vulgo*, *narciso*: *Arabicè*, *narces*: *Gallicè*, *porrion*: *Germanicè*, narcissen rœslin.

Enarratio CLXI.

Narcissus. PLinius lib. xxj. cap. 19. Narcisi inquit duo genera in vsu medici recipiunt, vnum purpureo flore, & alterum herbaceum, hunc stomacho inutilem, & ideo vomitorium, aluos quoque soluentẽ, neruis inimicum, caput grauantem, & à narce narcissum dictum, non à fabuloso puero. Hæc Plinius. In quibus animaduertitis, narcisso flores

purpur

Narcissi 2. genera.

Narcissus luteus.

purpureos, vel herbaceos tribuisse, quum tamen Dioscorides in præsenti, candido flore suum narcissum cum aliquantulo medio croceo ornari tradat, ex quo satis constat, narcisi plures & varias species esse, vt nos quoque re ipsa experti sumus, videntes Ferrariæ, ac Venetiis narcissos variis insignitos coloribus. Theophrastus porro libro vj. eiusdem numeri capite, tradit, narcissum solum in autumnali æquinoctio florere: quod falsum esse experientia indicat, quum in æquinoctio vernali florere quoq; deprehendamus, imò ter aliquando in anno flores emittere narcissum, compertum est, de quo Galenus lib. viij. de Facult. simplic. medic. ita tradit: Eius radix desiccat adeo vt vel maxima tendonum vulnera glutinet, habetverò quiddam abstersorium, & attractorium: plura verò alia, & illa quidam fabulosa apud Ouidiũ legito, qui narcissum croceo flore nitere, candido verò ambiri iis carminibus cecinit.

Nusquam corpus erat, croceum pro corpore florem
Inueniunt, foliis medium cingentibus albis.

Quę proculdubio ad Dioscoridis mentem scripta sunt.

DE

DE HIPPOPHAE.

Græcè, ἱπποφαὲς: Latinè, hippophaes.

Enarratio CLXII.

TAmetsi hippophaës exacte à Dioscoride delineetur, hactenus tamen quæ illa sit herba, ab omnibus ignoratur.

DE HIPPOPHAESTO.

Græcè, ἱππόφαιστον: Latinè, hippophæston.

Enaratio CLXIII.

Et hæc quoque quæ sit herba ignoratur.

CONSTANTINVS.

HIppophaes & Hippophæston plantæ non sunt incognitæ, vt credit Amatus Lusitanus: nam vtraq; omnibus Dioscoridis notis congruens in Angliæ & Scotiæ litoribus inuenitur: multisq; alijs in locis maritimis, vt existimo, si quis perquirat diligenter. Nam & in Italia inuentum hippophaes testatur Mathiolus vir grauissimus: sicuti & hippophæston in littore Monpessulano frequentissimum esse, obseruauit Iacobus Dalechampius Cadomensis medicus, Lugduni medicinam faciens maxima cum celebritate nominis et gloria: quique, propter eruditionem in eo viro commemorabilem, mihi pernecessarius atque coniunctissimus existit. his testimonijs vtor, ne quis maliciosior rem commentitiam esse suspicetur. Rufus medicus etiam de hippophae & hippophæsto meminit libello de purgantibus medicamentis, quem de Græco conuertimus. Sed aduertendum quòd hippophæsto in purgando valentiores vires tribuat: Ediuerso Dioscorides hippophaes fortius existimet. Plinius lib. xxvj. cap. 8. hippopheon etiam epithymon vocat. Ab eodem lib. xxj. cap. 15. hippophaes dicitur hippophyes, spinis geniculatum, cui tributa proprietas, quòd & fructum spinosum habet. Galenus in vocibus Hippocratis hippophaes καὶ κνάφον καὶ στύβον dici adnotat. sed hippopheon & styphon legit Phauorinus. Plin. lib. xvj. cap. 44. hippophaes etiam hippophæstum vocat, spinam fulloniam, calyculis inanibus, folijs paruis, radice alba, cuius succus ad detractiones in comitiali morbo sit vtilissimus. Libro tamen xxvij. capite 10. ita scripsit: Hypophæston (legendum Hippophæston) nascitur in spinis ex quibus fiunt æneæ (locus corruptus. Cornarius legit pilæ) fulloniæ, sine cauliculo, sine flore, capitulis tantum inanibus, & folijs paruis, multis, herbacei coloris, radiculas

diculas habens albas, molles. Succus earum exprimitur Aestate ad soluendam aluum, tribus obolis, maxime in comitialibus morbis, & tremulis hydropicis. contra vertigines, orthopneas, paralyseis incipientes. Idem author libro xxij. cap. 12. hippophaes & hippophaston, sub his nominibus Hippophyes & Hippope, mihi videtur descripsisse addita etiam vocabulorum notatione. Eius hæc verba: hippophyes in sabulosis maritimisq; nascitur, spinis albis. Hederæ modo racemosa est, candidis & ex parte rubentibus acinis. Radix succo madet, qui aut per se conditur, aut pastillis farinæ: hac bilem detrahit obolo ponderis, saluberrimè cum mulso. Et altera hippope, sine caule, sine flore, foliis tantum minutis. huius quoq; succus hydropicis mire prodest. Debent accommodatæ esse equorum naturæ, neque ex alia causa nomen accepisse &c. Apud Theophrastum libro sexto, de historia plantarum legitur hippophyon quod interpretes vertunt lappaginem. lib. autem nono, hippophaos vocatur ab ipso spissatus succus tithymali: sed legitur in exemplari Græco hippomanes, quod etiam plantam esse cecinit Theocritus in Pharmaceutria, cui se opponunt interpres ex Aristotelis decreto libro vj. de histor. animal. Plinius lib. xxviij. cap. 11. & libr. viij. cap. 42. Virgiliusq; Aeneidos 4. & 3. Georgicon.

DE RICINO.

Græcè, κίκι: *Latinè*, *cici*, *ricinus*, *croton*: *Officin. cataputia maior*, *cherua maior*, *granum regum*, *palma Christi*: *Arabicè*, *cherua*: *Hispanicè*, *figueira de l'inferno*: *Italicè*, *giraſole*, *fagiuolo Romano*, *fagiuolo Turchesco*, *miraſole*: *Gallicè*, *palma Christi*; *Germanicè*, Vvunderbaum.

Enarratio CLXIIII.

DIcitur ricinus planta hæc, ob similitudinem quam eius fructus cum ricino animali sordido habet, quod canes, asinos, equos, boues, ac potissimum capras & hircos infestat, & sua voce Hispani carrapatum, Itali verò zeccam, appellant. Est enim planta hæc in altum crescens, vt sæpe arboreſcat, caule arundineo, folio ficus,

Ricinus.

cus, qua de causa Hispani eam, ficum inferni vocant, veluti Arabes cheruam maiorem, aut cataputiam maiorem. Mesue porro, inter sua simplicia abbemesuch, id est granum regis vocat, & ex eo libro secundo, oleum ricininũ fieri tradidimus, & vt inquit Galenus libro septimo, de Facultatibus simplicium medicamẽtorum: vt fructus eius expurgat, detergit, & digerit, sic etiam folium, sed vndequaque debilius, oleum quod ex semine conficitur, calidius atque tenuius est, quàm commune oleum, ac proinde potentius digerit.

CONSTANTINVS.

Complures sunt causæ quas alibi exponam, cur vix persuaderi possum Cici Dioscoridis plantam esse, quam vulgò vocamus palmam christi. Cici vt refert Herodotus libro ij. vocant Aegyptij, & Græci Συλλικύπρια. arbor ipsa ricinus, & Græcis croton dicitur, à similitudine animalis canibus infesti, nos vocamus Tiques, fortè à Græco vocabulo (nam & crotonem & tixin siue trixin vocant græci) Homerus κυνοραιστὰς appellat, & interpres κρότονας & τριβίκια. De Ricino vide Plinium libro 15. cap. 7. & lib. xxiij. cap. 4. Theophrastum lib. j de historia & lib. xx. de causis plantarum. Galenum in glossis Hippocratis. & adhuc Plinium libro. xvj. capite 22.

DE SEPTEM TITHYMALI GENERIBVS.

Græcè, τιθύμαλος: Latinè, tithymalus, esula: Hispanicè, leche tresna: Lusitanicè, aleitaria hierua:

Arabicè,

Arabicè, xauſer: Italicè, lactaria herba: Gallicè, reueille matin: Germanicè, Vvolffsmilch.

Tithymalus 1.

Tithymalus 2.

Enarratio CLXV.

SEptem connumerantur tithymalorum genera, vltra plura alia à nobis cognita quæ ordine recenſebimus. Eſt igitur primum eorum genus ſequens, Charatis, ſiue Cometes, aut Amygdaloides, à foliis amygdalarum dictus, quod alij cobion appellitant, & eum nos multoties vidimus, & vbiq; reperitur, folio lathyris, minoris cataputiæ dictæ.

Secundus tithymalus, myrtites, quaſi myrtaceus vocatur, quia foliis myrti pungentibus tamen ornetur, vnde melius myrſinites vel caryites quoque appellari ſolet, & quem Manardus, Leonardus Fuchſius, & alij non pauci, vulgare officinarum turbit eſſe putant, quia vt referunt herbarij, & circulatores, ac radiciſecæ, turbit hoc, ex plan ta folia myrto ſimillima habente excauant, potiſſimum

apud

Tithymalus 3.

apud mõtem Garganum prope Apuliam.

Tertius, Paralius maritimus, siue tithymalus, vel lactariolus dicitur, quem Hetrusci piscatores, Mauram herbam appellant, & illius radice pisces interficiunt, ex ea escam parantes, veluti ex platyphyllo, septimo nominando tithymalo.

Quartus Helioscopos id est, soliseguus, quia capitula cũ Sole circum agit dicitur, variis in locis repertus.

Quintus, Cyparissias nominatur, qui, vt mihi videtur, & res ipsa testatur, esula minor est, officinis satis familiaris herba, quam Mesue alsebram minus vocat, porro alsebram maius, pityusa Dioscoridis est, vt sequenti dicemus capite.

Sextus, dendrodes, quasi arboreseens tithymalus est.

Septimus, platyphyllos, id est latifolia habens, dicitur, verbasco similis herba & qua Hispani hodie quoq; pro interficiendis piscibus vtuntur: & eam Itali torum taglium sua voce appellant. Cæterum de horum tithymalorum viribus, ac natura, legito Mesuem capite de Alsebram, & Galenũ lib. viij. de Facultat. simplic. medic. qui sequenti modo tradit: Tithymali omnes, vincẽtem habent acrem, calidamque potentiam, cum amaritudine quadam, validissimus eorum est liquor, dein fructus, & folia, postremo radix: Hæc aceto incocta, sanat erosorum dentium dolores: liquor in ipsa foramina inditur. Cæterũ si aliam partam contingat, continuo adurit vlceratque illam, ex quarta existens calfacientium ordine, qui ad exurentia pertinet. Sic pilos quoque & verrucas, & myrmecias, & pterygia, & thymos, cum oleo inunctus succus euellit,

deter

detergitque lichenas & psoras, propter amaritudinẽ, nec non vicerum phagedænica, anthracode, & gangræ ode, quia valenter calfacit, & desiccat, aliquando iuuare poterit. Ad hæc, fistularum callos eximit, prædicta omnia folia & fructus præstare possunt, sed imbecillius, quibus sanè & ad pisces in aqua stagnali capiendos, vti assolent, celerrime enim ab illis ad vertiginem acti, ac semimortui redditi, ad aquæ superficiem feruntur. Porrò quũ septem sint tithymalorum genera valentissimus est quem characiam maremq; nominant, & fœmina nuncupata myrsinites: & qui in petris nascitur arboreseens: deinceps qui phlomo assimilis est, & cypariſsias, dein marinus, ac denique helioscopius proportione autem facultatis ipsorum, & cinis & lixiuium existet.

DE PITYVSA.

Græcè, πιτύουσα: Latinè, pityusa: Officin. turbit nigrum: Arabicè, scebran: Vulgò esula maior, turbit negro: Germanicè, düffelsmilch.

Enarratio CLXVI.

NAscitur pluribus & variis locis pityusa, similis omnino cypariſsiæ, sed longe maior & procerior, & ea de causa, cypariſsim minorem esulam, hanc verò maiorem appellamus, quam Mesue & Auicenna, alsebram & scebram maius appellant, vt ex Serapione facile percipi potest, qui ad verbum ea quæ Dioscorides pityusæ tribuit, ille suo scebram condonat. Huius verò radix vt placet Actuario, turbit nigrum est, quod hodie ex monte Gargano apud Apuliam, multis & variis abundante herbis aduehitur, intus aliquantulũ album: exterius verò ex subruffo nigrum, natura pessimum, & omnino aspernendũ. Album verò turbit, vt idem Actuarius in eodem libro de Compositis medicamentis testatur, radix alypi est, quod ex orientali regione Turcæ & Hebræi, hodie ad nos portant, natura optimum, & quod seplasiarii vt habeant soliciti esse debent, pityusæ radice, vt infestissima relicta: de qua Galenus lib. viij. de Facultat. simplic. medic. inquit: Viribus est similis tithymalo, succumque sortitur similem, & similiter purgat.

DE LATHYRI.

Græcè, λαθυρὶς: *Latinè*, *lathyris*, *cataputia minor*; *Arabicè*, *mendana*: *Hiſpanicè*, *tartago*: *Italicè*, *cacapuzza*: *Gallicè*, *eſpurge*: *Germanicè*, Spring kraut, ſpring kœrner.

Lathyris.

Enarratio CLXVII.

NOta lathyris eſt herba, officinis cataputia minor dicta, cuius grana viginti potentiſſime pituitam purgant, & illis ruſtici pro ſubducenda aluo frequentiſſime in Hiſpania & Italia vtuntur: & de illius natura, Galenus libro ſeptimo, de Facultatibus ſimplicium medicamentorum, ita dixit: Et ſucco & purgatoria vi tithymalum refert, niſi quòd ſemen appareat dulce, licet maximè ſit purgatorium.

DE PEPLO.

Græcè, πέπλος: *Latinè*, *peplus*, *eſula rotunda*: *Hiſpanicè*, *mala leche yerua*: *Luſitanicè*, *maleitas herua*: *Italicè*, *eſola ritonda*: *Gallicè*, *reueille matin des vignes*: *Germanicè*, Klein hundsmilch.

Enarratio CLXVIII.

NAſcitur peplos ſiue peplum, in vineis, prope vias, & in hortis folio paruo, ſimili rutæ, ex quo lac emanat apprime purgans, & ea de cauſa, Luſitani & alij Hiſpani, herbam iſtam malum lac appellant, quam pharmacopolę rotundam

tundam esulam vocant,& de ea Galenus lib.viij.de Facultatibus simplic.medicam.ita tradit: Succum habet similem tithymalis,quum in aliis,tum quia purgat ceu illi.

DE PEPLIO.

Græcè,πεπλὶς: Latinè, peplion, peplis.

Enarratio CLXIX.

NAscitur peplion non multum absimile à peplo, prope mare, & alia varia loca, folio rotundo aliquantulum circinnato: caule vero subrufso, lactis liquore pleno, de cuius viribus, Galenus citato loco,ita inquit:Etiam fruticulas hic succũ habet vt tithymali,validumq;, non tamen admodum vtilem,radix eius videtur superuacanea,semen vtile est,& flatulentum pepli semini similiter purgans.

DE CHAMAESYCE.

Græcè,χαμαισυκη: Latinè,chamasyce, peplum minus; ficus terrestris.

Enarratio CLXX.

Chamæsyce.

NAscitur Chamæsyce vbiq; herba parum à peplo, præterquam paruitate differens, qua de causa, minus peplum appellari meretur, de qua Galen.libro octauo, de Facultatibus simplicium medicament. ita inquit: Chamæsyce abstergendi simul & acrem vim possidet, itaq; acrochordonas & myrmeias caules eius teneriores intriti, quique ex eis profluit liquor, auferũt, cum melle crassas oculorum cicatrices detergũt: hebetudinẽ visus à crassitie ortam, adiuuant: sicuti & suffusionũ principia. Hæc Galenus. Verum caue

tu lector candide ne decipiaris, quia chamæcissos longe alia est herba, quàm chamæsyce, vt ex capite 127. deprehendere potes.

DE SCAMMONIA.

Græcè, σκαμμωνία: Latinè, sammonion, scammonia: Arabicè, sachmunia: Vulgò scammonee.

Enarratio CLXXI.

Scămonia. SAtis nota scammonia est, basis & calcar omnium solsuentium medicamentorum, quæ cotoneo cocta, diagridium dicitur. Est enim scammonia, siue scammonij, succus siue liquor radicis volubilis cuiusdam, quę in Asia, Mysia, & Syria, ac Iudæa nascitur, quanquam in Apulia, non postremæ notæ proueniat: quæ verò ex Asia affertur scammonia primatum obtinet: Syriaca verò non ita bona est. Cæterum, bona scammonia vt dicatur, has notas habeat necesse est. Leuis sit scammonia oportet, pellucida, fungosa, taurino glutini colore similis: vt tenues habeat discurrentes lineas linguæ admota lactescat: vltimo loco signum hoc collocandum est, scilicet vt admota linguæ albescat, lactescátve, quia & adulterinæ permixtæ liquori lactariæ herbæ. Illud quoq; eueniat, vt testatur Dioscorides, quod in præsenti animaduertant pharmacopolæ velim, ne sic hoc tantum contenti signo, in bona eligenda scammonia decipiantur: nam quum eam sputo madefaciunt, & in lac verti vident, illico optimam esse asserant, quum tamen per se signum hoc solum fallax sit; cæteris verò notis adiunctum, verissimũ. Proinde hoc ante oculos habeant decet, quum nullum hodie sit medicamẽtum quo frequentius vtantur, quàm scammonia, cuius optimę & Asiaticæ Dioscorides, ad scriptulos quatuor concedit, imò ipsius drachmam vnam simul cum duobus scriptulis nigri veratri, & integra aloës drachma, ad optimam obtinendam purgationem tribuit. Hodiernæ verò & communioris scammoniæ, decem vel ad summum quindecim grana, efficacissimè purgant: vnde satis percipitur hanc adulterinam, & lacte liquoréve tithymali permixtã esse: sed scammoniam & alia similia medicamenta per se absq; correctione vlla ægrotantibus dare peritus medicus cauere debet, qualia sunt helleborus, colocynthis, euphorbium

bium, esula laureola, tithymalorum septem genera, & alia plura, quæ non solum homines, sed etiam bruta enecant, de quibus Galenus semper quum loquitur, inquit: Purgãtium omnium medicamentorum naturam corporũ quæ purgantur naturis contrariam esse, quod minime benedictis medicaminibus euenire certum est, vt casię fistulari, mannæ, thamarindis, passulis Corinthiacis, myrobalanis, rhabarbaro, syrupo rosarum solutiuo, syrupo violaceo solutiuo, sene, & aliis similibus, quæ impropriæ medicinæ dicuntur. Cæterum, vnũ in præsenti non præteribo, quod Actuarius memoriæ cõmendauit, dignum sane vt omnes medici præ oculis habeant, scilicet quòd scammonia iuribus & brodiis miscenda non sit: ita enim inquit ille: Scammonium non censeo iuribus inferendum, quod experientia compertum est, id cum ipsis conciliari non posse, quod hodierni medici animaduertant suadeo, vt non scammonium aut pilulas iuribus eliquatas in potu tradant, quum inde multis mors subsequatur: vt Venetiis vidimus & Ferrariæ in Samuelo Abarbanelio, qui ob epotas sic pilulas vitam cum morte commutauit.

Scãmonia in iure lethalis.

Chamælæa.

DE CHAMAELAEA.

Græcè, χαμαιλαία: Latinè, oleastellum, chamælæa: Arabicè, mezerion: Vulgò, mezereon: Gal. boys gentil.

Enarratio CLXXII.

CHamælæa officinarum mezereon est, planta circulatoribus, & pseudomedicis familiaris, qua corpora exsoluendo excarnificant, ex ea verò pharmacopolæ pilulas parant, quibus

medici aſcité morbum propulſant. Caueat tamen lector, ne pro chamælæa chamæleontam intelligat: de chamælæa vero ita tradit Galenus lib viij. de Facultatibus ſimplic. medic. Chamælæa vincentem habet qualitatẽ amaram, quare admodum ſordida vlcera, & quæ maximis inducta ſunt cruſtis, purgare cum melle eſt potens.

DE THYMELAEA.

Græcè, θυμελάια: Latinè, thymelæa: Hiſpanicè, thoruiſco: Italicè, pepe montano: Gallicè, lin ſauuage: Germanicè, Rellers halſs.

Enarratio CLXXIII.

Thymelæa.

EST thymelæa planta nobis ſatis cognita, virgas ſingulares, & plures, cubitales, à radice mittens, quarum cortices pro ligandis ſcopis & faſciculis deſeruiunt, in quibus folia chamælææ ſunt, ſed minora, lentiſci figurã imitantia: nam huic fructus piperis magnitudine ineſt primo viridis, poſtea, vero quum ad maturitatem peruenit, ruber euadit, & quo perdices & auiculę auidiſsimè veſcuntur: & ea de cauſa, ruſtici Hiſpaniarum, ſingulis annis, prope infinitas dixerim auiculas hoc ſemine, curuatis virgis & quibuſdam lineis diſpoſitis venantur: Ob magnam enim quam thymelæa cum chamælæa ſiue mezereone habet ſimilitudinem, multi chamælæam mezereon minus appellant. Eſt enim huius ſemen apprime ſoluens, vt teſtatur Dioſcorides, quod granũ cnidion dici, latius lib. ij. adnotauimus.

DE

DE SAMBVCO.

Græcè, ἀκτὴ: *Latinè*, *sambucus*: *Arabicè*, *Tafacti*: *Hispanicè*, *sabugo*, *sabugueiro*, *caninero*: *Italicè*, *sambuco*: *Gallicè*, *suc*, & *suseau*: *Germanicè*, Holder.

DE EBVLO.

Græcè, χαμαιάκτη: *Latinè*, *ebulus*, *humilis sambucus*: *Hispanicè*, *hiezguos*, *indios*: *Italicè*, *ebulo*: *Gallicè*, *hyeble*: *Germ.* Attich, oder nilderer, holder.

Sambucus.

Enarratio CLXXIIII.

ARboreſcit ſambucus vbique ex vmbella flore albo & odorato, ex quo aqua per campanam extracta, ac fronti applicita, capitis dolores mitigat, non minus quoque ſuccus ex cortice radicis expreſſus potentiſsime vomitum prorritat, ab hydropicis aquam depellit. Ebulus vero chamęactæ id eſt humilis ſambucus herbæ modo, bicubitalis altitudinis, ad ſummum creſcit, folio amygdalino, planta in vniuerſum vſui medico conuenientiſsima, cuius radicis ſuccus eadem præſtat quæ ſambuci, vltra quæ pituitam quoque iuncturis adhærentem craſſam & viſcidam purgat, decoctum quoq; totius herbæ pedum œdemata à longinquis morbis contracta reſoluit. Cæterum, in dubium

vertitur cuius temperaturæ sambucus & ebulus sint: cui quæsito Dioscorides ita primo respondet, eadem sambuco & ebulo uis est, si. cant, adstringunt, refrigerantque & aquas è corpore pellunt. Actuarius quoque libro de Compositis medicamentis, ita cum Dioscoride tradit: Sambucus & ebulus refrigerant, aquas trahunt, stomacho aduersantur: horum folia olerum more igni decocta eduntur: ad pituitam bilemq; detrahendam, radicis in vino decoctæ vsus, hydropicis cõfert. Ex quibus satis percipitur, quòd sambucus & ebulus, frigida sortiantur tẽperaturã,

Auicenna. Quibus Auicenna in oppositum est, qui lib. ij. sui Canonis, cap. 619. sambucum calidum & siccum in tertio gradu potius constituit. Nos vero ne in hac re à testibus contra testes discurramus, Galeni regiam viam sequentes, quantum ab harum plantarum odore, sapore, & ipsis operationibus venire possumus, inuenimus eas potius ad caliditatem declinare, quàm frigiditatem. At quia caliditas, primum ordinem non superat, pro quo inueniendo opus est ratiocinatione, nonnulli frigidas esse dixerunt, sed quòd ita se res habeat, attestatur Galenus lib. 6. de Facult. simpl. medic. dicens: Vtraque potentiam habet & desiccandi & conglutinandi, nec non digerendi modicum: in iis enim vltimis verbis, Galenum illis modicam tribuisse caliditatem, quum dicat digerendi modicum potẽtiam habet, satis claret. Nec enim Auicenna nobis in hac re contrariatur: quũ citato loco (vt mea fert sententia) nõ de sambuco hoc agit, sed potius de sambac: hoc est biasmino, vel vt verius dicã, de violis, quas Keiri Arabes appellant, vt ex suis verbis, facile percipere quis poterit, In passiuis vero qualitatibus, potenter plantas istas exiccandi facultatem habere omnes concedunt.

DE PYCNOCOMO.

Græcè, πυκνόκομον: Latinè, pycnocomum.

Enarratio CLXXV.

PIcnocomon & si suis lineamentis & coloribus exacte Dioscorides depingat, quæ tã illa sit herba ignoratur.

DE

Apios.

DE APIO HERBA.

Græcè, ἄπιον: Latinè, raphanus syluestris, apios: Hispanicè, vna suerte de rauano syluestre: Gall. raue sauuage: Germa. Erdnuſs.

Enarratio CLXXVI.

APios herba ſic dicitur, quia ſimilē pyro radicem habet, naſcitur autem inter hordeum exacte Dioſcoridis hiſtoriæ reſpondens, qua in Gallia ruſtici famis tempore, vt teſtatur Ruellius, veſcuntur.

Colocynthis.

DE COLOCYNTHIDE.

Græcè, κολοκυνθὶς: Latinè, colocynthis, cucurbita syluestris: Arabice, chandel: Hispanicè, Italicè, coloquintida: Gallicè, colloquinte, & courge sauuage: Ger. Vvilder kürbſs, coloquint.

Enarratio CLXXVII.

COlocynthis, corrupte coloquintida hodie appellatur, officinis ſatis familiaris, cuius vires ac earum correctio-

nem legito apud Mesuem in suis Simplicibus, Ex illa tamen trochisci parati in officinis habẽtur, quos Alandach appellamus, quibus in clysteribus, cõtra colicos affectus, & rebelles dolores passim vtimur, magno profecto iuuamento. De colocynthide ita refert Galenus libro septimo de Facultatibus simplicium medicament. Gustu amara est, vehementerque purgatoria facultate prædita: Ipsius virentis succus intritus ischiadicis prodest.

DE EPITHYMO.

Græcè, ἐπίθυμον: Latinè, epithymum, flos thymi: Hispanicè, cabelhos, flores del thomilho: Italicè, epithimo: Gallicè, teigne de thyn.

DE ALTERO EPITHYMO.

Græcè, ἐπίθυμον ἕτερον: Latinè, cuscuta, cassuta, podagra lini: Hispanicè, sirgo de raposa, rabo de raposa: Italicè, cuscuta: Gallicè, barbuette. Germanicè, Filtzkraut oder flachs seiden.

Enarratio CLXXVIII.

SOlent hic herbarum inquisitores, longas componere disceptationes: quas nos prætermittimus, rem paucis, vt solemus, absoluentes. Est igitur epithymon, siue epithymus, crinis tanquam pallioluin, thymum ambiens, vel potius flores thymi. Nascuntur autem potissimũ capilli isti, tanquam inuolucrum super thymo qui easdem cum floribus thymi vires habent, & ea de causa, authores nonnunquam per epithymum flores thymi intelligunt. nonnunquam verò crines supercrescentes in thymo cũ suis floribus. Nascitur epithymus iste Salmanticæ (vt cæteros silẽa locos) ad ripas fluminis Thormidis, & si recte memini, prope sacellum Sanctæ Mariæ dicatum: Verum, & si potissimum epithymus super thymo nascatur, & ea de causa epithymus quasi in thymo dicatur: super aliis tamẽ herbis nascitur, vt tradit Actuarius vir Græcus doctissimus: nascitur autẽ in satureia, & stœba herbis, epithymbrũ inde dictum, cum reliquo easdem facultates habens, infirmiores tamen, de quo Galenus, lib. vj. de Facult. simp. med. inquit.

quit:Epithymum thymi facultatem habet ad omnia efficacius:exiccat & calfacit in tertio gradu.Mesue verò tractatu suo de Simplicibus, postquam de eo multa secũdum Galeni doctrinam dixit, ita quoq; de illius viribus tradidit,inquiens: Prærogatiuam habet educere super omnibus solutione educentibus melancholiam,educit enim sine molestia & facile,curat melancholiam morbum, epilepsiam,& timorem,imo omnes morbos à melancholia ortum trahentes depellit, vt cancrũ, lepras,scabies, quartanas,splenis oppilationes,& huius generis alios.Dosis eius in decoctione,est in potu à drachmis quinq;,vsq; ad xx. & pulueris eius à drachmis tribus,vsq; ad vij.eius tamẽ vsus in æstate,non adeo securus,vt in hieme est.Est & alius epithymus rubens,qui capillorum modo absq; radicibus crescit,& aliis obuoluitur circunligaturve plantis,præcipue lino,& ea de causa,podagra lini appellatur,quam Plinius cassitam aliquando nominare non dubitauit, quanquam lib.xxvj.cap.8.illum quoq; inter epithymi genera cõmemorat,Cæterum falluntur Eurit.Cordus,Otho Brunphelsius, ac Manardus, credentes cuscutam androsacem esse. Est enim androsaces herbula super saxis & lapidibus nascens, quam semel apud Antonium Musam Brasauolam, anno millesimo quingentesimo, quadragesimo quinto, die verò xx. Octobris vidi, quæ à cuscuta multum abest, & albissima ac tenuissima fila,veluti capillos, super saxo habebat,vt suo diximus loco: Habet autem cuscuta easdẽ cum primo epithymo vires,quę quoq; iecoris obstructiones aperit,& sanguinem mundificat.

DE ALYPO.

Græcè, ἄλυπον: Latinè, alypon, alypia, turbit album, turbit Orientale: Vulgo, turbit di Leuante.

Enarratio CLXXIX.

ACtuarius libro de Compositis medicamentis vbi de triphera minori agit, inquit Alypum turbit album esse,quod ex Orietali plaga ad nos aduehitur, habet enim huius semen vim bilem atram purgandi,radix verò pituitam,de qua Paulus Aegineta,lib.vij.suæ medicinæ,ita dixit: Alypi semen bilem atram per inferiora purgat,pari

epithy

epithymo mensura sumptum cum sale & aceto, verum tamen intestina leniter exulcerat. Item capite eo quo medicamenta atram bilem purgantia describit, inquit: Alipi semen inferius atram purgare bilem, pari epithymo mensura cum sale & aceto, dictum est, intestina vero, si fidē Dioscoridi accommodamus, leuiter exulcerat. Est verò meo iudicio, quę nūc alypias vocatur: exhiberi debet in mulsa.

DE EMPETRO.

Græcè, ἔμπετρον: Latinè, empetron, calcifraga: Gallicè, percepierre: Germanicè, Stein raut.

Enarratio CLXXX.

EMpetri historiam tam succincte narrauit Dioscorides, vt quæ illa sit herba, difficile sit addiuinare: olim verò quum apud Anthuerpiēses agebam, apud quos, magna diligentia, simplicia medicamēta inuestigabam, Cornelius medicus Anthuerpiensis mihi herbam cespitosam, sapore salsam, prope mare nascentem, obtulit, quam empetrum esse contendebat: Nam & pastor qui illam ad eum attulerat, iureiurando affirmabat, oues quum male haberent, ad illam tanquam ad certum salutis asylum confugere: cuius esu munitæ, morbum propulsabant, & immunes manebant: Interpositis verò postea nonnullis annis, eundē Cornelium huius herbæ memoriam feciſſe comperi, præcipue, in quadam epistola quam commentariis Hieremiæ Triuerij, Louaniēsis medici, viri doctissimi super Aphor. affixit. & de ea ita dixit Galenus, Ad solas purgationes esse videtur commodum, bilem ac pituitam educēs, iuuat tamen ad alia gustu salsum existens.

DE SYLVESTRI VITE.

Græcè, ἄμπελος ἀγρία: Latinè, vitis syluestris, Officinis viburnum: Italicè, dafne, Lienen: Gallicè viorne, ou hardie. Germanicè, Speckreben lienen.

Enarratio CLXXXI.

DIcitur Vitis agrestis planta hæc, ob id tantum quia racemosum fructum rubrum, vitis instar gerit, quum tamen figura & viribus multum ab agresti vite differat: folia

Vitis syluestris.

folia enim huic non vitis ed solani potius sunt, vires verò calidissimæ causticæ ac depilatoriæ, quibus de causis mulieres Italiæ, & Hispaniarum huius plantæ fructu, pro rubricandis genis maxime vtuntur. At vera vitis syluestris, tantum abest, vt solani folia habeat, vt ea potius vitis sint, quibus non causticа aut adurens, depilatoriáve vis ineſt: sed frigida potius & constringens: de hac vero de qua agimus, ita refert Galenus lib. vj. de Facultat. simplicium medicamentorum: Racemi eius extergendi vim possident, ac proinde cutis extimæ vlcera purgare possunt, sed astrictionem quandam sortiuntur extrema germina, quæ & sale condiri assolent, Hæc Galenus. Hodie verò Itali, præsertim Anconitani, eius asparagis turionibus dictis, maxime vtuntur.

DE VITE ALBA.

Græcè, ἄμπελος λευκὴ: Latinè, ampelos leuce, vitis alba, bryonia: Hispanicè, Nueza, anorca. Italicè, zucca saluatica: Gallicè, feu ardant, couleuuree: Arabicè, festre: Germanicè, Schmervvürtz.

Enarratio CLXXXII.

DIcitur Vitis alba, à seplasiariis hodiernis, bryonia, cuius radix crassa alba in vsu medico est, de qua Mesue tractatu de Simplicibus, sub aiteseera mentionem fecit,

Vitis alba.

cit, Galenus verò lib. vj. de Facul. simplic. medic. ita de ea tradit: Prima huius germina vere edi solent, edulium propter astrictionem ventriculo acceptum; Cæterũ subamaram & modice acrem astrictionem possident: quare & vrinam modice cient: At radix & abstergentem & desiccantem vim habet, & moderate calidam, quamobrem & lienes induratos liquat epota, cum ficubusque posita foris, psoram & lepram sanat. Porro fructus eius, racemi speciem præferens, iis qui coria depsant est vtilis.

DE VITE NIGRA.

Græcè, ἄμπελος μέλαινα: Latinè, Vitis nigra, Hispanicè, Lusitanicè, congorca: Italicè, tamaro: Gallicè, espece de coleuuree, Arabicè, Faserfin: Germanicè. Vvald reben, lynen, oder lenen.

Enarratio CLXXXIII.

HAec illa planta est, cuius fructum, vuã tamminiam appellamus, & ex qua quoq; cauliculi asparagorum modo, pro victusvsu colliguntur, quam Lusitani reliquiq; Hispani sua voce, congorcam, id est quasi vitem albam appellant, vocant enim vt dixi, vitem albam, norcam, hanc vero conorcam, & corrupte congorcam, quæ omnia ad Galeni mentẽ nominãta sunt, vt mirer Lusitanos hucusq; rerum nomina tam incorrupta & ad Græcorum &

Rom

Romanorum mentem, reseruata habeant, ita enim Galenus citato loco tradit: Vocatur autem hæc vitis nigra, proprie bryonia, prædictæ ad omnia similis, nisi quòd imbecillior.

CONSTANTINVS.

ERrat Mathiolus Senensis *vir alioqui meo iudicio maximus, quem sequitur* Amatus Lusitanus, *& ipse de literis optime meritus. Non enim, vt eorum vterq; falsò censet, vitis nigra quæ bryonia proprie dicta* Galeno, *est latinorum vua taminia. Sed aut labruscæ genus* Plinio, *aut staphis agria (id est pedicularis* Scribonio Largo, *&* Plinio *etiam pituitaria dicta)* Cornelio Celso *est vua taminia. hic siquidem lib. vij. cap. 21. σταφίδα ἀγρίαν exponit vuam taminiam. Sic namq; legendum, non tymiam.* Plinius *verò lib. xxiij. cap. 1. astaphidem siue staphidem agriam, vuam taminiam falsò vocari asserit: cùm tamen vuæ taminiæ lib. xxvj. cap. 13. tribuat, quæ* Galenus *agriæ staphidi libro de Compos. Medic. secundum locos.* Idem Plinius *lib. xxiij. cap. 1. labruscam ampelon videlicet agriam, vuam taminiam nominat: quo loco etiam lapsus deprehenditur, nam ampelon agriam de qua agit hoc capite* Dioscorides, *confudit cũ ampelo agria quæ proprie est labrusca, œnanthem ferens: de qua peculiariter egit ipse* Dioscorides, *lib. v. cap. 2.*

DE FILICE.

Græcè, πτερις: *Latinè*, *Filix*, *Hispanicè*, *fechos*: *Lusitanicè*, *feitos*: *Italicè*, *felce*, *Gallice*, *feugere*; *Arabice*, *Sarax*; *Germanicè*, Vvaldtfarn mennlin.

DE FILICE FOEMINA.

Græcè, θηλυπτερις: *Latinè*, *fœmina filix*: *Hispanicè*, *fechos hiembra*: *Italicè*, *felce femina*; *Gallicè*, *Osmonde*: *Germanicè*, Vvaldfarn vueiblin.

Enar

Filix Mas. *Fœmina.*

Enarratio CLXXXIIII. CLXXXV.

FIlix tam masculus, quàm fœmina, vbiq; crescunt, De quibus Galenus lib. viij. de Facultatib. simplic. medic. ita tradit: Radix eius latum lumbricum perimit, si in melicrato pondere drachmarum quatuor bibatur. Quare ipsam partum viuum necare, mortuum autem expellere, non est mirum, siquidem amara existit, paulumque astrictionis obtinet, vnde validè vlcera desiccat, citra morsum tamen, cui similem vim habet Thelypteris.

DE POLYPODIO.

Græcè, πολυπόδιον: *Latinè*, *Polypodium*, *filicula*: *Hispanicè*, *filipodio*, *polypodio*: *Italicè*, *polipodio*: *Gallicè*, *polypode*: *Arabicè*, *Bisberg*: *Germanicè*, Engelsuess.

Enar

Enarratio CLXXXVI.

NOta Polypodij radix officinis est, cuius folia pennata filicis modo sunt, & ea de causa, à Romanis Filicula dicitur: nascitur autem optimum polypodium in quercubus, qua de causa, à medicis continuo quercinum in suis compositionibus describitur: quod vero super lapides nascitur, non ita bonum est, humiditatem enim superfluam indigestam (vt Mesue tradit) gignentem in corpore ventositatem, & subuersionem, ac nauseam posidet: Imò de omni polypodio tradit idem Mesuæ, corpora maxime extenuare, desiccare, ac ea ad nauseam & subuersionem trahere: quæ Manardus Ferrarienſis non ferens, contra Mesuem insurgit, dicens magis credendum esse Auerrhoi dicenti polypodium esse securam medicinam, & epithymo meliorem, quàm Mesue vel Plinio, qui ab eo stomachum offendi affirmant. Est enim Polypodium calidum in primo gradu, vt eius indicat sapor. Cuius dosis ad integram vnciam est, de quo Galenus lib. viij. de facultatib. simplic. medicamen. ita inquit: Dulcem simul & austeram vincentem obtinet qualitatem, vt facultatis sit citra morsum admodum exiccantis, & vt tradit Mesue, solutione educit choleram nigram, cum facilitate, & phlegma grossum, & mucilaginosum, & materias iuncturarum, & confert colicæ secundum omnem modum administrationis eius, & duriciei splenis, & proprie cum epithymo, & sale Indico, & cõfert ad melancholicas febres, & proprie cum aqua mellis, & sanat scissuras quæ fiunt in manibus. *Mesue.* *Manardus*

DE DRYOPTERI.

Græcè, Δρυοπτερίς: Latinè, Dryopteris, filix quercina: Hispanicè, fechos de sobre, el robre: Italicè, felce di quercia: Gallicè: Feugere de chesne: Germanicè, Eich farn.

Enarratio CLXXXVII.

DRyopteris, filix in quercubus nascens est, folio parum inciso, radicibus implexis, hirsutis, dulcibus cum quadam acerbitate, vel vt tradit Galenus, dulcis, acris, amara, & in radice etiam acerba existit: habet autem facultatem putrefaciẽdi, proinde pilis glabrã cutim efficit.

DE CNICO.

Græcè, κνίκος: *Latinè*, *cnicus*, *cartamus*, *crocus syluestris*: *Hispanicè*, *alacor*, *semente de papagaios*: *Italicè*, *cartamo*, *saffarano Saracinesco*: *Gallicè*, *saffran bastard*, *ou sauuage*: *Arabicè*, *Chartom*, *Germanicè*, Vvilder garten saffran.

Enarratio CLXXXVIII.

Cnicus.

CArtami semen, in vsu medico habetur, & ex eo conditum quoddam in rotulis ad mentē Guidonis, pharmacopoliorum seplasiarij componunt, de quo Galenus libro vij. de Facultat. simplic. medic. ita inquit: Cnici semine duntaxat ad purgationes vtimur, estque tertij ordinis excalfacientium, si quis foris eo vti volet. Mesue verò illum potius calidum in primo ordine cōstituit, siccum vero in secūdo, & vt tradit solutione educit phlegma per ventrē & vomitum, & similiter aquositates, & valet ad ægritudines ex eis, sicut est colica, & clysterizatus valet similiter, & mundificat pectus & pulmonem, & proprie lohoc prædictum, & alij modi administrationis eius, & clarificat vocem, & similiter oleum ipsius, & vsus ipsius in spermate augmentum efficit: flos vero eius cum aqua mellis remouet icteritiam, dosis eius à drachmis quatuor, vsque ad aureos quinque, & floris eius, à drachma vna, vsque ad aureos duos.

DE

DE MERCVRIALI.

Græcè, λινοζόστις : *Latinè*, *Linozostis*, *Mercurialis*: *Hispanicè*, *mercuriales*, *vrtigua muerta*: *Italicè*, *mercorella* : *Gallicè*, *Mercuriale* : *Germanicè*, Bengel kraut.

Mas.

Fœmina.

Enarratio CLXXXIX.

FRequenti in vsu clysteriorum, Mercurialis tam mascula quàm fœmina hodie venit, de qua Plinius abunde lib. xxv. cap. 5. dixit. Cæterum à nobis syrupus de succo mercurialis excogitatus est, quo bilem & aquosos humores absq; noxa vlla, quatuor vnciarum pondere, euacuamus. Fit quoq; ex tenellis mercurialis cauliculis, pessulus, qui oris matrici admotus menses & secundas prouocat: familiare enim apud Hippocratem remedium est, vt libro de Natura muliebri, & de morbis muliebribus comprehenditur. Galenus porro libro septimo, de Facultat.

Mercurialis.

Syrupus de succo.

Mercurialis.

simplic.medicamen.ita inquit de linozostide: Ea vtuntur omnes ad subductiones alui duntaxat, quanquam etiam admota, valenter digerit.

DE CYNOCRAMBE.

Græcè, κυνοκράμβη: *Latinè*, *cynocrambe*, *canina brassica*, *mercurialis canina*: *Hispanicè*, *verca perruna*: *Italicè*, *mercorella canina*: *Gallicè*, *mercuriale noire*: *Germanicè*, Vvildbengelkraut.

Enarratio cxc.

Ruellius errat.

Cynocrambe.

CYnocrambe, id est canina brassica, ea est herba, quæ mercurialis folia habet, & prope fossas, muros, & vias nascitur, altitudine duorũ & trium cubitorũ. Quapropter errat Ruellius, quum cynocrambẽ atriplicem syluestrẽ esse credidit, quum Dioscorides capite de Atriplice, de domestica & syluestri sermonem habuit. Est præterea alia herba atriplici syluestri æqualis quę fricata semen genitale redolet, & ea de causa, spermaria herba appellatur. Huic quoq; altera similis est herba, Vuluaria dicta, quæ fricata ac manibus tractata, fœtidum & putidum ex se expirat odorem, qualem ex putidis piscibus salitis & inueteratis attolli nouimus. Soluunt autem omnes istæ herbæ, & matrici auxiliantur male affectæ.

DE

DE HELIOTROPIO MAIORE.

Græcè, ἡλιοτρόπιον μέγα: Latinè, Scorpiurus, heliotropium maius, Officinis Herba cancri, solaris herba, Verrucaria maior: Hispanicè, tornasol, yerua de las verrugas: Italicè, herba de i porri: Gallicè, Tournesol, herbe au chancre.

DE HELIOTROPIO MINORE.

Græcè, ἡλιοτρόπιον μικρὸν: Latinè, Heliotropium minus: Officinis solaris minor, verrucaria minor: Gallicè, vernette, ou herbe aux porreaulx.

Enarratio CXCI. CXCII.

QVi Chalendulam heliotropium hoc esse credunt, miro comprehenduntur errore, quum chalendula (vt dixi) chrysanthemum est, cuius flores caudæ scorpionis minime respondent. Dicitur vero heliotropium, herba cancri, ob duo: Primo, quia florem similem caudæ cancri possidet: Secundo quia mirum in modum cancris, & vlceribus malignis, cancrosisúe auxilium præstet: minor vero verrucaria, ita dicta, quia semen verrucarum similitudine habet. Prope lacus, & stagnantes aquas nascitur: quam simul cum prima, Antuerpiæ mihi monstrauit Christiernus Morciensis, singularis doctrinæ vir, & qui Parisiis publice Matheſin profitebatur: quem nos, quum Antuerpiam veniret, vt inde in Daniam nauigaret, per quatuor menses remorati sumus, à quo multa & præclara didicimus, vna cum Iodoco Valareo viro Antuerpiensi, trium linguarum peritissimo, & cuius industria hodie Quintus Calaber Latinus legitur, vt plura alia taceam opera, per hunc doctissimum virum composita: aderat quoque eo tempore nobiscum Hieronymus Lusitanus medicus, qui hodie apud Indos, regis Lusitaniæ mandato, magna cum gloria artem medicam exercet,

simul enim præclaro viro illi Christierno, discipuli facti sumus.

DE SCORPIOIDE.

Græcè, σκορπιοειδὲς: Latinè, Scorpioides: Gallicè, Souuenez vous de moy.

Enarratio CXCIII.

SCorpioidem quoq; apud Belgas vidimus, folio minoris heliotropij, semine scorpionũ caudæ persimili, vnde nomen traxit. Non est scorpioides chalendula, vt multi putarunt, sed de Scorpioide ita tradit Galenus, libro octauo de Facult. simplic. medic. excalfacit ordine tertio, desiccat secundo.

Finis Libri Quarti.

IN DIOSCORIDIS ANAZARBEI DE MEDICA MATERIA, LIBRVM QVINTVM, Enarrationes Doctoris Amati Lusitani Medici in Italia præstantissimi.

*

De Vite vinifera: Germanicè, Vveinreben.

Enarratio Primi Capitis.

Vitis vinifera.

Vitis.

VITIS planta Bacchо, siue Libero, Noe patri dicto, dicata, vbique vulgatissima est, ex qua vuæ pendent, & ex illis diuinus ille liquor, vinũ dictum paratur: frigida enim omni ex parte vitis est, cuius capreoli comesti stomacho calido magnũ præbent oblectamentũ, & ex illis, nos ante agrestæ ortum, succum cum aqua rosacea extrahere facimus, quo pullos gallinaceos, vice agrestæ, principibus & dominis, comedant consulimus. Porro, aqua ex vite amputata, destillans, veluti quoq; concretum gummi, vrinam cit, & faciem pulchram reddit. Vitem quoq; siccam, sarmentum practici appellant, quo ignito, cauterij vice, verrucas extirpare solemus, & illius

cinis, vnguentis præcipuè ad morbum Gallicum facientibus, non minus ac thamariſci miſcetur.

De *Labruſca.*

Enarratio II.

Oenanthe Capite quinto ſequenti lege de Oenanthe.

De Vuis: Germanicè, Vveintraub, vueinbeer.

Enarratio III.

Vua. REcens vua collecta, ac roſcido humore madefacta, & comeſta, ſtomachum turbat, & aluum ſubducit. penſilis verò, in qua maior humoris ſui pars exaruit, optima eſt, & in optimum vertitur nutrimentum: ab vua tamen nutrimentum acquiſitum, facile euaneſcit, vt recte admodum meminit Galenus, exemplum à pinguibus vinearum cuſtodibus deſumens. Cæterum inter horeos fructus, vua primatũ obtinet, ſecundum locum, ficus habet.

De Vua paſſa: Germanicè, meertreüblin.

Enarratio IIII.

Vua paſſa VVa paſſa, ſiue ſole exiccata, magnopere à Galeno laudatur, præcipuè pro pectoris ac iecoris affectionibus, modo abſque ſeminibus in cibo detur: nam ſemina ſiue interna grana ſua pectus conſtringunt, & obſtructiones parant, qua de cauſa Galen. libro ſeptimo, de Compoſitione medicament. ſecundum locos, cap. 2. in ſuis arteriacis, ad thoracis morbos, compoſitis, paſſas exacinari iubet, ſuadetque earum carnem tantum comedendam, id quod libro octauo ſequenti prædicti voluminis, corroborat dicens: vuas paſſas ad thoracis & iecinoris affectus, ſpecifica virtute quadam, vel vt aiunt à tota ſubſtantia, valere modo à granis & ſeminibus ſuis exacinata patiens comedat. Quibus Gale. verbis Alexander Trallianus ſubſcribit, veluti Aëtius, qui paſſas vuas ſeminibus repurgatas, peculiare iecinoris alimentum eſſe tradunt, à quibus Auicenna ſumens Fen decima libri tertij, inquit: Vua paſſa à tota ſubſtantia iecori conuenit, ſuple tu, ſeminibus munda, exacinata dicta. Quo factum eſt, vt medici hoc tempore, ſummo conſilio, vuam paſſam Corinthiacam, abſque

absque semine natam ægrotis concedant, quæ ieiuno stomacho sumpta, prius aqua vel vino mersa, trium vnciarum pondere, aluum mouet, & purgat: quæ verò seminibus ornatur vua passa, stomachum roborat, vt testatur Galenus libro de Facile parabilibus, eo præcipuè capite, quo de capitis dolore ob vini potum orto, agit, vbi animaduertendum est, quòd vua passa ante cibum, vt corpus moueat, absque seminibus comedi debet, vt verò stomachum roboret, cum illis: à cibo verò, cum granis & semine integra edi debet, nam & stomachum roborat, & aluum subducit: vt de cotoneis & pyris, austerisque fructibus Galenus historiam enarrat.

De Oenanthe: Germanicè: Vvildreben.

Enarratio V.

EST œnanthe, vt alibi diximus, & Secretarius Florentinus ignorauit, ea herba, quam filipendulam pharmacopolæ appellant, nunc verò, œnãthe fructus est vitis syluestris florescentis, quem officinæ labruscam vocant, sua natura, constringentem, stomacho conducibilem: qua de causa inter medicamenta stomachica persæpe miscemus.

De Omphacio, id est agresta: Germanicè, Agrest.

Enarratio VI.

OMphacium, id est succus vuæ acerbæ, vbiq; paratur: in æreo porro vase ad Solem concretus, magno iuuamento contra oculorum nebulas, ac scabricies paratur, quo sæpe ipse vsus sum. Videant tamen iuniores medici, quum agrestæ succum febricitantibus concedunt, ne plus iusto salitus sit, nam sic salitus, vt plerunque paratur, febres acuit, & corpora plus iusto sicca reddit.

De Vino.

Enarratio VII.

VInum vbique suas habet laudes, quod odore, sapore, colore, dignoscitur, & vt Erasmus Roterodamus, olim viua voce superaddebat, fama: bonum enim & generosum vinum suspensa hedera non habet opus, quod contra cicutam & alia frigida venena, meracum ac po-

tens præstantissimum antidotū est, vt olim Angelus Politianus ad medicorum mentem exacte exposuit. Non minus quoq; vinum vinosum œnodes siue polyphorum dictum, id est multam ferens aquam, & multiferum dictum, post esum melonum, & fructuum frigidorum bibi debet, vt ex Hippocrate clare percipitur, libro de Affectionibus quum dicat: Quicunque cibi aut flatum, aut æstum, aut morsum, aut repletionem, aut tormen faciunt, à talibus liberat vinum meracum insuper potatum, proinde videant iuniores medici, Auicennæ & Arabum sectatores, qui contendunt, super similes fructus aquam potius bibi, quàm vinum debere. Cæterum hic Dioscor. de Vetustis vinis primo sermonem facit, pro quo scire licet, quòd vetusta vina ea dicātur ad Dioscoridis & Græcorum mentē, quæ quindecim vel viginti excedunt ætatis annos. Mediæ autē ætatis vinum apud illos dicitur, quod septem ad decem vsque annos continet, vt hic ex Dioscoride percipitur, quum dicat: quæ media ætate sunt tutissime bibuntur, qualia ferè septimo anno sunt. Quibus verbis Galenus subscribit libro vij. Methodi medendi, vbi vinum sex annorum tanquam medium inter nouum & vetus laudat, quod idem fecit libro quarto, de Compositione medicamentorū, per genera: vbi de epulotico medicamento ex collectaneis Primionis agit, quum dicat: Etenim recens vinum penitiora corporis non permeat, vetus acre & mordax est, ergo ætate medium potius est, quod plurimum intra quinque & decem annos consistit. Hæc Galen. In quibus clarissime inquit, vinū mediæ ætatis ad decennium vsque protendi. Cuius axioma, non sic superficietenus ab omnibus intelligatur, velim, quum illud veritatem teneat in vinis potentissimis, & diu perdurantibus, qualia Hispaniarū sunt, quæ ad triginta & quadraginta annos, perdurant, & vires suas potentissimas, ac valentissimas, seruant, veluti duo illa vina, quæ nobis Magnificus Ant. Musa Brasauola gustanda dedit, è cellario siue cella vinaria, illustriss. ducis Herculis Estensis, quorum alterum 150. annorum erat, alterum verò ducentorum. Nam de vinis debilibus & oligophoris, id est pauciferis, nullam in dilutione aquam ferentibus, falsum esse dictum putarem, qualia sunt Gallię vina, aut Ferrariensia

aliáve,

aliáve Hiſpaniæ ſuſpenſa, ſic dicta, quia in alto enaſcũtur, quæ per duos ad ſummum perdurant annos, hanc noſtram ſententiam veram eſſe confirmat Galenus comment. tertio in librum Hippocratis, de Ratione victus acutorum morborum, enarratione prima, vbi inquit, quòd ætas & tempus in vinis non ſunt attendenda, ſub iis ſequẽtibus verbis: Non enim ob tempus, inquit: vina vel iuuãt, vel lædunt, ſed ex propriarum differentiarum mutatione id habent, ergo quum de vinorũ agimus differentiis, temporis mentionem facimus per accidens, & non proprie nec primum. Vina igitur vetuſta ſanitati aduerſantur, modo diluta non ſumantur: noua verò & recentia, corpus inflant, ægrè concoquuntur, ac grauia, & tumultuoſa faciunt inſomnia. Nec eſt quòd aliquis mihi obiiciat, Teuthonas, & inferiores omnes Germanos, aſſuetos potu vini noui, & recentis, muſti dicti, eſſe, quum illi non ſine noxa, & corporum ſuorum iactura, vinum illud Rhenenſe recens ebibant, facillimè enim à quouis morbo moriuntur, nec ad ſenectutem, eorum vllus immunis aut ſanus peruenit, quod millies illis obieci, Hiſpanos noſtros, & Italos aliosque exteros mercatores, cum quibus Anthuerpiæ magnam contrahunt familiaritatem, à tali vſu præcauendo. Porro vinum Cretenſe, quod ex vuis ſole ſiccatis conficitur, hodie Maluaticum ab inſula vnde primo fortaſsis afferebatur, dicitur, potens, & generoſum, quod ſtomachum diſſolutum reficit, & vires amiſſas facile recuperat. At Albanum, non quòd equidem putem Antiquorum, ſed ſic apud Ferrarienſes nominatum vinum, colore album, natura frigidum, quod (mea ſententia) potentius quàm aqua infrigidat: Nam aqua ſuis qualitatibus tantum infrigidat. Albanum vero vinum ſua ſubſtantia, & præter hoc, auſteritate quadam, quod vinum Galenus intelligit, quum vinum continuo febricitantibus cõcedat, vt Centuriis curationum noſtrarum abunde diximus, ad quem locum lectorem relegamus, vt cætera quæ de vino deſiderantur, ibi legat.

Nouum vinum.

Vinum Cretenſe.

Albanum.

De Vino melitite.

Enarratio VIII.

Vinum melitites.

Hodie vinum hoc non paratur, facile tamẽ parari poſſet.

De Mul

De Mulſo.

Enarratio IX.

Mulſum. NEc hoc quoq; paratur hodie, quod à melitite parum differt, vt meminit Dioſcorides capite ſuperiori.

De mulſa ſiue melicrato: Germanicè, honigvuaſſer.

Enarratio X.

MVlſam aquam, melicratum, ſiue hydromel, hodie aquam mellis vocamus, quæ ex octo aquæ partibus, vna verò mellis paratur: quanquam & fortior & leuior parari poteſt, vt libro de Ratione victus in morbis acutis legitur.

De Aqua.

Enarratio XI.

Aqua non debet ponderari. AQua fontana, vel fluuiatilis, pondere, vt bona ſit, conſiderari non debet, vt recte admodum Plinius adnotat, quæ vt corpus noſtrum ingreditur, inter cæteras aquas primatum obtinet. Si vero vt elementum, ac frigida, & tenuis conſideretur, pluuialis præcipua eſt: proinde multi quum aquam tanquam potum conſiderant eam fontanam vel fluuiatilem, ſummis laudibus extollunt, pluuiatilem vituperantes, vt Plinius, & alij celebres viri, quum vero aquam tanquam elementum conſiderant, pluuialem maxime laudant, vt Hippocrates & Paulus. Cæterum, de aqua & eius facultatibus, legito Galenum, li. j. Simpl. cap. quarto, quinto, ſexto & ſeptimo.

Aqua fontana an pluuiatili ſit melior.

De Aqua maris.

Enarratio XII.

Aqua marina. AQua marina, dulci grauior eſt, & ea de cauſa, naues in mari ſecurius nauigant, quàm in fluuiis, vt Galenum quoque adnotaſſe legimus libris de Facultatibus ſimplicium medicamentorum. Verum, aqua marina clyſteri iniecta, aluum expurgat, & dolores coxendicos curat, ac ſerpentia vlcera remoratur. Sed in præſenti, vnum non prætereundum eſt, quod Dioſcorides in fine huius

capitis

capitis attingit, videlicet, quum dicat: Verum tamen post purgationem, gallinaceorum, piscium ue esculentum ius dandum est, ad infringendam erosionis eius acrimoniam: quæ verba intelligatis velim, ad Hippocratis & Galeni mentem lib. ij. de Ratione victus in morbis acutis: & libro, Quos purgare, qualibus medicamentis, & quando oporteat, vt illico post epotum pharmacum, ius gallinaceorum, vel piscium, ptisanamue, æger absorbeat, vt eius pharmaci vis acrimoniaue infringatur debilitetúrue, & consequens oris ventriculi læsio ab eodem pharmaco euitetur, vel vt tradit Galenus citato libello: Assumpto pharmaco conducit mox super sorbere cremorem ptisanæ, vt qui id quod in transitu affixum, applicitumq; est, abstergere, & deorsum trahere, qualitatem vero medicamenti, particulis insidentem, contemperare & inalterare possit. Est hæc ratio O viri prudentissimi, propter quam prisci illi medici, tam fortia medicamenta dare ægrotantibus audebant, quia pharmaco ab ægrotante ebibito, illico cremorem ptisanæ sorbendum illi dabant, ob quem medicamentorum acredo, venenositasúe obtundebantur, & à membris superioribus & nobilibus, ad inferiora descendebant, non vero vt hodie insci putant, & conciliator monet, quia antiquitus aureo illo seculo, homines robustiores & maioribus viribus præditi quàm nunc sunt, erant: quum idem nunc sit mundus qui antea erat, nec vllus immutatus stellarum ordo, vt meminit Galenus libello illo, Quòd optimus medicus sit & philosophus. Sed hoc nostro tempore medici, nacti meliora & securiora medicamenta, tantum abest, vt illico post epota illa, ptisanam aut ius aliquod ebibendum propinent, vt potius absoluta purgatione, ius simplex pulli gallinacei, aut ptisanam concedant, quod opus summopere laudamus, quia quum licebit comedere, licebit prius abluere, interim dum tamen pharmacum operatur, ptisanam vel alium potum amplius non dabimus, ne actio medicamenti exoluatur: vt quoq; Auicenna subscribit dicens: Oportet vt potionatus nō comedat vel bibat, donec medicamentum suam conficiat operationem.

Exponitur Hippoc. & Galenus.

Cur medici prisci tã fortibus medicamẽtis vtebantur.

De Thalassomelle.

Enarra

Enarratio XIII.

Thalassomel. THalassomel hodie non conficitur: facile tamen & paucis nummis parari posset.

De Aceto.

Enarratio XIIII.

Acetum. ACetum natura sua tenue, refrigeratorium, exiccatoriumque est, ac constringens, vt Galenus tradit libro primo Simplic. cap. 18. 19. 20. 22. 23. 24. tenues enim & subtiles partes obtinet, quas aliquando calidas esse inquit, quum tamen cap. xxiij. prædicti libri, non calidas, sed potius subtiles, acutas & frigidas esse, innuere videatur, quum dicat: Acetum non proinde quòd mordax est, calidum iudicandum est, sed tenue vt aër borealis. In quibus verbis, dicere videtur, quòd subtiliores aceti partes, quibus fit penetratio, calidæ non sunt, sed potius illis similes, quas boreas ventus possidet siccas & acutas, ac penetrantes, minime verò calidas, ob id verò sequẽti cap. 24. dicit: Sed igitur fuerit, tenue, refrigeratorium, exiccatoriumque acetum dixisse, omissis super illis rationibus nimis physicis, quæque magis ad naturam rerum scrutantes attinent. Quòd verò maxime constringat cap. 13. prædixerat, in quo eorum redarguit insciti ã, qui credebant acetum instar cauterij calidum esse, quia sanguinis fluxus sistere videbant, non aduertentes, illud non vi causticа agere, sed astrictione potius & refrigeratione, vt eius indicant verba.

Acetũ constringit.

De Oxymelite. Oximel.

Enarratio XV.

ET simplex & compositum Oxymel hodie in officinis paratur: non tamen ad Dioscoridis citatum modum.

Oxymel.

De Oxalme. Germanicè, Lack.

Oxalme.

Enarratio XVI.

Oxalme, salmuria acetosa hodie dicitur.

De Thymoxalme.

Thymoxalme. Enarratio XVII.

Ex thymo herbà & aceto, thymoxalme conficitur.

De Ace

De Aceto scillitico.

Enarratio XVIII.

Acetũ scillinum.

ACetum scillinum, siue scilliticum dictum, in officinis hodie paratur non minus ac oxymel scilliticum quoque nominatum.

De Vino scillitico.

Enarratio XIX.

Vinum scillititicum.

Hodie non paratur: parari tamen posset facillime.

De Vinis aqua marina concinnatis.

Enarratio XX.

NVllibi vina hæc nostro hoc æuo parantur, ne à quoquam concinnari, nec audiui.

De Vino cotoneorum. Rütten vvein.

Enarratio XXI.

EX cotoneis, cytoniis, siue cydoniis dictis, hodie conditum saccharo vel melle concinnatur: & sine illis, quod caro cydoniorum vocatur: Vinum vero facile ex illis parari posset, non minus ac miua dicta ex illis vbiq; parata.

De Hydromalo.

Enarratio XXII.

Non paratur, sed paucis expensis parari possit.

De Omphacomele.

Enarratio XXIII.

Omphacomel.

LOco huius, syrupus de agresta cum succharo paratus, in officinis habetur, quo frequentissimè contra febres tertianas vtimur.

De Vino ex pyris.

Enarratio XXIIII.

Vinum ex pyris.

Conditum ex pyris.

VInũ ex pyris & pomis, hodie in Gallia apud Hispanos conficitur: veluti pluribus aliis locis, ex pyris porro conditum cũm saccharo, cordialissimum, adiecto pauco moscho & ambaro, nobiles Hispaniarum parant.

De Vino œnanthino.

Enarratio XXV.

Non paratur.

DE

De Vino malorum granatorum. granaten vuein.

Enarratio XXVI.

Vinũ granatorũ acidorum.

HOdie succus ex acidis pomis granatis, vinum dicitur granatorum, quod ad arcendam sitim febricitantium in continuo vsu est: Nam & succharo succus iste ad ignem

Oxysaccharа.

inspissatus, Oxysacchara appellatur, quę simplex & composita quoq; ornatur.

De Vino rosaceo. rosen vuein.

Enarratio XXVII.

Vinum rosaceum.

EX vino & rosis, balaustiis, & pomis cupressi, ac rosmarino, adiectis aliis constringentibus, vt myrto, galla, summitatibus rubi, lentisco, absinthio, & aliis similibus, vinum roborans membra debilia & vlceribus affecta, quotidie paratur.

De Vino ex baccis myrti.

Enarratio XXVIII.

Vinum ex baccis myrti.

HOdie non paratur, parari tamen consonum esset, quum magnum pluribus ægritudinibus afferat commodum.

De Vino myrteo.

Enarratio XXIX.

Nec hoc quoq; paratur.

De Lentiscino, & terebinthino vino.

Enarratio XXX.

Non parantur, imò multi terebinthum non norunt.

De Palmeo vino.

Enarratio XXXI.

Palmeum vinum.

PAlmeo quodam vino Indici homines, in potu vtuntur. At turcæ quoq; ex dactylis, & passis vuis aliisque rebus, potum parant, quod vini vice accipiunt, & eo non raro inebriantur.

Do vino ex caricis confecto.

De vino resinato.

Enarratio XXXII. XXXIII.

REgionibus frigidis, & vbi vina debilia sunt, & facile acescunt, vinum hoc paratur.

DE

De vino ex pineis nucibus condito.

De vino ex cedro, ac aliis fructibus confecto.

De vino picato.

Enarratio XXXIIII. XXXV. XXXVI.

VAsis picatis, id est pice illitis, vinum in Hispania reconditur, quod easdem vires ac à Dioscoride citatum, habere, certò crediderim.

De vino absinthite: Germanicè, Vvermuot vveyn.

Enarratio XXXVII.

IN vniuersa Germania vinum ex absinthio nunc paratur, præcipue Mechliniæ prope Louanium, vbi sæpius illud pitissauimus.

De vino hyssopite: Germanicè, Ysop vveyn.

Enarratio XXXVIII.

Non paratur.

De pluribus & ex diuersis plantis conditis vinis.

Enarratio XXXIX.

EX pluribus quoque, & aliis variis nobis cognitis herbis, quarum prisci nullam habuerunt cognitionem, Vina similiter parari possunt, vt ex euphragia contra oculorum vitia: ex sena, contra atrabiliarios affectus: ex ligno Indico Guaiaco dicto, contra morbum Gallicum: ex radice cinarum contra destillationes, veluti ex altera radice, nunc demum in lucem aduecta, falsa pirrilha dicta, ad prædictas affectiones.

De vino aromatite: Germanicè, Hippocras.

Enarratio XL.

AD huius imitationem, Hippocraticum dictum vinum, vel claream, Officinæ parant.

De vinis, pluribus diuersisque odoramentis conditis.

Enarratio XLI.

MVlta huiusmodi vina parturientes mulieres præparant.

De varijs vinis ex variis herbis confectis.

Enarratio XLII.

FAcillime omnia hæc vini genera parari possent, quæ dubio procul rei medicæ magnum afferrent ornamentum: Multa tamen hodie, vt audio parari incipiunt, de quibus omnibus Arnaldum Villanouanum consulito, in eo præcipue tractatu, quem vinis dicauit.

De variis lapidibus metallicis, & primo de Cadmia: Germanicè, Grav ver hutten rauch.

Enarratio XLIII.

Cadmia Tutia vulgaris est.

CAdmia, genus illud metallicum est, quod hodie Tutiam siue pompholygem omnes medici appellant: nec est quod quis miretur, quũ res ita se habeat, vt ab hinc quindecim annis monstrauimus, quanquam hodie quidam maxime sibi aroget, quod primo ita se rem habere inuenerit. Est igitur cadmia botryitis, id est acinosa, granulosáve, ac cerulei coloris, communis tutia, quæ in æris fornacibus fit, quum enim æris fauilla sursum fertur, & ferreis trabibus, quas aestides vocari Dioscorides tradit, insideat, fit inde vt in dies magis & magis augescat, & in corpus euadat, cuius infima pars, ob insessum super illis ferreis virgis, concaua efficitur & fistulosa: nam pars superior illius, cerulei est coloris, granulosa, siue acinosa, vnde Græci botryitim appellarunt, nam tota ipsa ponderosa, grauis, ac metallica percipitur: Cæterum hucusque cadmia ista in officinis pro tutia, & pompholyge, habita & recepta est, hac forsan de causa, quia facilius eius habebatur copia, quã veræ tutiæ: aut pompholygis, Sed quod pompholyx aut officinarum vulgata tutia, Græcorum pompholyx aut spodium non sit, vel ex hoc tantum satis percipitur, quia Græcorum pompholyx & spodium puluisculi sunt, qui facillime volant, non verò corpus æneũ, graue, quale cadmia est, & officinarum tutia. Est igitur vt receptui canamus, Tutia aromatariorum, apud Græcos cadmia dicta. De qua Galenus lib. ix. de Facultat. simpliç. medic. ita tradit: Cadmia fit, vbi in fornacibus æs paratur, nempe tota terra, aut lapide ex quo æs gignitur, in sublimem partem fornacis egerente veluti fuliginem aut fauillam quandam, In argenteis etiam metallis simili secretione efficitur. Quin & ex pyrite lapide in fornacibus

Tutia vulgaris nõ est põpholix.

vsto

vsto fit cadmia. Cæterũ absque fornace in Cypro cadmia inuenitur, quam iure quispiam lapidem vocet, At eius quę combusta est, aliam botryitin, aliam placitin medici nuncupant, Botryitin quidem, quæ in æditioribus ipsius fornacis muris colligitur: placitin verò, quæ in humilioribus: Ac liquet sane botryitin partium esse tenuiorum, crassiorum verò placitin, vtranq; autem vi desiccandi, ac mediocriter digerendi præditam, Quæ autem colligitur in fornacibus, igneæ qualitatis necessario etiam aliquid habet: Merito itaque eam abluentes, medicamen efficiunt mediocriter tum desiccans, tum extergens absque mordicatione, vtile ad caua vlcera præhumida, & putrescentia, quæ in oculis & in toto corpore habẽtur. Igitur respicientes ad temperatam & mediam inter omnes excessus naturam, leuiter desiccatoriam absterſoriamque cadmiæ inesse facultatem dicimus: In caliditatis autem & frigiditatis differentia cadmia quodammodo temperata existit. Galenus libro quarto de compositione medicamentorum secundum genus, ita quoque tradit: Reuocanda (inquiẽs) ad memoriam sunt ea quæ citra morsum exiccant: cuiusmodi complura metallica existunt. Meminisse etiam oportet, combusta, & lota, acrimoniam, quam prius habebant, amittere, ac proinde ipsis vtẽdum esse, in ijs qui molli carne sunt præditi, admodumque ad sentiendum prompti, nec nõ cacochymi. Nã in alijs corporibus illita etiam vsurpare licebit, siccam igitur modice, Lemnia sphragis, Cadmiaque præsertim quæ sponte nascitur, quam sub aſti uo Sole pluribus diebus ex aceto, aut vino giluo pellucidoque interea exiccantiorem reddo.

Combusta lota acrimoniam amittunt.

De Pompholyde, & Spodio: Germanicè.

VVeysser hüttenrauch.

Enarratio xxxx.

POmpholyx, vt diximus nõ est tutia, nam tutia cadmia est, vt capite superiori adnotauimus. Est igitur põpholyx puluisculus duorũ modorũ, alter albissimus, qui pompholyx id est bulla dicitur: Alter vero subalbidus, Spodiũ vero puluisculus quoque est in prædictis æris fornacibus inuentus, ponderosior tamen ac cineritij coloris, qua de causa cinerula vocatur, de quibus dicere solebat Galenus,

Põpholyx bulla est. Spodium cinerula dicitur.

se nũquam vsum fuisse spodio, quũ large illi semper pompholyx suppeteret. Vidimus enim nos, tres istos puluereș Ferrariæ, quos, vnusquisque hodie quoque apud Antoniũ Musam Brasauolam videre poterit, quum omnia simplicia varijs scriniolis disposita apud se reseruata habeat, & ea omnibus magna animi liberalitate videnda promat: Cæterum, scire licet, quòd spodium Græcorum, ab Auicennæ & Arabum spodio differt: nam spodium Græcorũ, vt dixi in æris fodinis repertus puluisculus cineritij coloris est, qui veneni naturam habet, & per exteriora tantum admoueri debet: spodium verò Auicennæ, ex radicibus quarundam cannarum combustis tantum fit, quod per os tuto exhiberi potest. Ex quibus prædictis radicibus Turcæ, & homines qui è Græcia ad nos veniunt, vasa quædam confecta pro deferendo vino & aqua portant. Nascitur autem canna ista potissimum apud Vuandalos, à quibus hodie verum Auicennæ spodium ad nos adducitur. Proinde non putent pharmacopolæ quòd spodium Arabum ex omni harundinis radice parari possit, quum ex amplissima quadam harundinis radice, quæ apud Vuandalos potissimum vt dixi nascitur, conficiatur. Est enim Vuandalorum regio, olim Romania dicta, in Thracia contenta, quæ hodie Turcarũ Imperatori Solymanno paret, & Regem proprium Christianum habet. Qui quum hæc scriberemus, nos per literas hortatur, vt ad eum accedere dignemur, vt apud eũ medici officio fungeremur: cui obedire difficillimum est, quia regio illa, dispar complexioni meæ est, vt pote frigidissima, nam trigesimum octauum ætatis meæ annum perago, pro qua tuenda, vt pote declinante, calidam regionem incolere necessum mihi est. Item quia rex ille vitæ discrimini quotidie expositus sit: quibus adde populi ruditatem, ac barbariem fœdissimam quæ omnia homini politico, difficillima, & quasi mors altera, reputanda sunt, & tanto magis quum ibidem homo ex libero seruus efficitur. Ob horum enim plurima, quum à Rege Poloniæ, interueniente probo viro Iacobo Thebaldo, Illustrissimi Ducis Ferrariæ, apud Venetos vigilantissimo Oratore, vocatus etiam essem, à profectione tali me retraxi, tenui mea fortuna contentus. Cæterum de pompholyge, & spodio, ita tradit Gale. libr. ix.

Spodium Auicennæ.

Vuandalorum regio.

de

de Facul.simp.med. Pompholyx fit & in æris fornace, veluti & cadmia, fitq; & dum in fornacibus cadmia vritur, nimirum ab ipsa cadmia in tectum fornacis quadam fauilla ascendente, quæ dum colligitur est pompholyx, Nam quod reflectens in pauimentum recidit, nominatur spodium, cui videtur similem habere facultatem, quod antispodium appellant. At ego illo vsus sum nunquam, quum large mihi semper põpholyx suppeteret. Nec enim quisquam vbi hæc adsit, spodio vti velit, nedum antispodio: Est autẽ pompholyx medicamentum prope omnium quæ citra morsum desiccant, si elota fuerit, præstantissimum, Quamobrem ad vlcera cancrosa idonea est, & ad omnia maligna. Itaq; inditur collyriis quæ ad oculorum imponuntur fluxiones, quæque bullas in eis natas curant, præterea ad pudendorum & sedis vlcera, optimum est remedium. *Spodium Galeni.*

De Antispodio.

Enarratio XLV.

ANtispodium, ac dixeris pro spodio, vel vice spodij: Quia igitur antiquitus, spodium nõ sic facile habebatur, illius loco multa antiqui excogitarunt, quæ cum spodio vires pares haberent, qualia sunt à Dioscoride hic citata, quæ tu per ocium cognosces, quibus tu addas, ex harundinis cuiusdam radice, ad Auicennæ mentem confectum, vt præcedente capite dixi, non minusque ex elephanti osse combusto concinnatum, vt alia præteream. *Antispodium.*

De Aere cremato: *Germanicè*, Gebrant ertz, oder kupffer stein.

Enarratio XLVI.

AEs Vstum vbique paratum habetur, de quo Galenus libro nono de Facultat.simpl.medicamen. ita tradit: Chalcos cecaumenos, id est, æs vstum, habet & acrimoniam quandam, sed & astrictionis est particeps, proinde si lauetur, pulcherrimum est medicamen cicatrici inducendæ, quæ quoq; idem Galenus libro quinto eiusdem voluminis prædixerat, capite 14. prope finem. *Aes vstum*

De Flore æris: *Germanicè*, kupfferbraun.

Enarratio. XLVII.

Flos æris non est viride æris.

FLos Aeris, non est vt multi putant, viride æris: est igitur flos æris, pars quædam subtilis granulosa, quæ ex ære ignito, & aqua respersо, in ferreo coopertorio ascendit, quum enim æs feruentissimo illo ardore ebullit, aqua frigida extinguitur: Cuius vapor in ferreo coopertorio ascendit, & ibi frigiditate condensatur, ac granulosus & subrutilus euadit, qui flos æris nuncupatur: & de eo Galenus libro nono de Faculta. simpli. medicamen. ita dicit: Chalcuanthos, id est flos æris, tenuioris essentiæ est quàm aut æs vstum, aut squama: quare ex eo factis collyriis extergunt, auferuntque superciliorum magnas asperitates.

De Squama æris: Germanicè, Rupfferschlag.

Enarratio XLVIII.

Squama æris.

SQuama æris, pars illa æris est, quæ cum percutitur exilit, & illius lauaturam exacte Dioscorides docet.

De Squama chalybis, dicta Stomoma: Germanicè, Stahel hamerschlag.

Enarratio XLIX.

Stomoma.

STomoma Græcis, idem est Latinis, quod ensis vel cultri acies quo scinditur, vnde credendum est, quòd Squama Stomomatis, squama chalybis sit, hodie Azzali dicti: Nec est quòd quis obiiciat Dioscoridem: quum Dioscoridis historia per Marcellum descripta corrupte legatur, vbi inquit: Habet & squama æris, quam stomoma dicunt, eadem vires, nam revera squama stomomatis, chalybis squama est, vt ex Galeno quoq; percipi potest libro nono de Facultatib. simplic. medicamentorum, quum dicat: Squama, alia est æris, medicamen multo vtilissimum: Alia ferri, & stomomatis, alia deniq; quam nonnulli vocant Helitin: Atque omnes sane vehementer siccant: cæterum, helites principem in desiccando locum obtinet, nam subtilissimæ omnium substantiæ est, nimirum quæ æruginis nonnihil assumpserit: maiorem obtinet astrictionem squama ferri, & hac etiam maiorem stomomatis, quamobrem ad contumacia vlcera meliores sunt, quàm squama æris, & hac etiam valentius helitis. Omnes autem

autem squamæ non instrenue mordaces sunt, quare essentia ipsarum non est admodum tenuis, siquidem inter ea quæ parem vim possident, minus est mordax quod est tenuius, hæc Galenus. Ex quibus satis clare percipitur, quòd squama stomomatis squama æris non sit: sed potius vt diximus chalybis, quæ ex chalybe in incude percussa, vel in mola quum acuitur, cadit.

CONSTANTINVS.

STomoma Aristotel. libro iij. Meteor. nihil aliud est quàm purissimum ferrum, defecatum & recoctum, idemq; quod acies Plinio libro xxxvij. cap. 15. & 16. hoc vulgò vocamus acier. sed multi falsò putant (inter quos etiam doctissimus Mathiolus & eius interpres Amatus Lusitanus) id per chalybem significari: vt Stomoma & chalybs idem significent, in quo vulgarem opinionem sequi, mihi potius videntur, quàm doctorum. Nam inter ferrum & chalybem authores nullam ponunt differentiam: vt ex Virgilio liquet. 8. Aeneid. vulnificusq; chalybs vasta fornace liquefcit: Et Ouid. 4. Fast. Aes erat in pretio, chalybis iam forma placebat. Chalybes enim populi erant quos Alizonas vocat Homerus, quique postea Chaldæi dicti sunt teste Strabone Geographiæ lib. xij. à quibus ferrum etiam chalybs vocatum est, quia apud eos magnæ erant ferrariæ: propterea q; dixit Virgil. At Chalybes nudi ferrum: &c. Et Cratinus apud Pollucem à loco χαλυβικὸν στόμωμα dixit: & ὦ χερσὶ χαλύβδων στόμωμα. Daimachus etiam in Obsidionalibus, stomomatis genera statuit Sinopicon, Chalybdicon ad fabrilia opera idoneum, Laconicon ad limas, terebras, stylos, & ad latomorum instrumenta: Lydion verò & ipsum ad limas vtile, & cultros, & nouaculas, & scalpella. Plinius stomoma esse voluit lib. xxxiij. cap. 11. squamæ alterum genus subtilius, ex summa scilicet lanugine decussum: sed melius dixisse videtur, cùm ait lib. xxxiij. capite 15. squama ferri in vsu est ex acie aut mucronibus maxime simili. Nam hæc squama decussa ex acie, propriè est stomomatis squama de qua loquitur Dioscorides, Galenus libro ix. Simplicium, atque Aetius lib. ix. cap. 48. & lib. x cap. 11. & libro xiij. cap. 24. Pollux præterea lib. x. vocat στόμωμα σιδήρου ipsum stomoma. sed Plinium in errorem pertraxit Cornelij Celsi authoritas, qui lib. vj. cap. 6. in Cleonis collyrio ita posuit: squamæ æris quod στόμωμα appellant. &c. φολίδα τ̃ χαλκ̃ cum Hippocrate, aut λεπίδα τ̃ χαλκ̃ cum Dioscoride dixisse oportuit. Castigandus etiam obiter error summi philosophi Hieronymi Cardani, qui

libro quinto de subtilitate, squamam ferri cum stomomate confundit. tradit enim squamam ferri stomoma appellari.

De Rasili ærugine, quam Viride æris vocant: Germanicè, Spongruen.

De Aerugine scoletia, id est vermiculari ærugine.

Enarratio L. LI.

Viride æris.

RAsa, siue rasilis ærugo, hodie officinis Viride æris appellatur, quod Hispani Verdete, quasi dixeris viride, vel cardanilium, aut æris orin vocant. Itali vero sua voce, Verde rame vocitant, ex quo Lanphrancus insignis Chirurgus aquam parare docet, prò virgæ curandis vlceribus. Scoletia vero ærugo siue vermicularis dicta, hactenus à me non est visa, de cuius viribus Galenus libr. ix. de Facultat. simpli. medic. ita tradit: Gustantibus acrem exhibet qualitatem digerens, detrahens, & liquans non teneram modo, sed & duram carnem. Hallucinantur igitur qui talia medicamenta Epulotica appellant: hoc est, quæ cicatricem inducant, quum nimirum epulotica pharmaca contrahant, constipent, & in calli morem ipsam carnem indurent, Quin & gustam mordicat ærugo, non tantum vlcera, quod si pauculum eius cerato non pauco admisceas, id quod ex ambobus mistum est, citra morsum exterget.

Epulotica medicamẽta quæ sint

CONSTANTINVS.

QVod Dioscorides ἰὸν vocat & æruginem Plinius, Vitruuius æruca nominat, atque etiam æruginem: nos Galli verd de gris, quæ vox est seplasiæ. nam viride æris dicunt medicamentarij. parandi modum docet Plinius libro xxuij. cap. xj. Vitruuius 7. cap. libri xij. Et Cardanus libro v. de subtilitate. Paratur item æruca lamellis æreis defossis intra vinacea, super affuso vino aliquo fugiente & vapido.

De Ferri rubigine: Germanicè, Eisen rost.

De Scoria ferri, Germanicè, Sinckelstein.

Enarratio LII. LIII.

Ferri rubigo.

INest ferro veteri rubigo, de qua hic agit Dioscorides: cæterum ferrum igne candens, in aqua vel vino extinguitur, & contra ventris profluuium, ac choleram morbum,

bum,& lienis affectiones, vtiliter aqua vel vinum ipsum conceditur: Verum scoria ferri nota est, quæ sic ab Hispanis Scoria quoq; appellatur, ab Italis verò loppa, vel ferri spuma, aut stercus ferri, Latiniores verò ferri recrementum eam dicunt: manet enim scoria ferri hæc, in fabrorum ferrariorum fornacibus tanquã spongia, quæ postea nullatenus ferruminari aut in ferrum verti potest: De qua Galenus libro ix. de Facultatibus simpliciũ medicament. ita dixit: Scoria omnis resiccatorium est medicamen, potissimum autem ferri: Siquidem ad leuorem redigens ipsam in aceto quàm acerrimo, posteaque decoquens, ad aures iampridem fluentes pure, ea vtor pro medicamento maxime exiccatorio. Cæterum hodie ex scoria ferri, electuarium quoddam in officinis paratur, apprime constringens & desiccans.

Scoria ferri.

Electuarium de scoria ferri.

De Lotura plumbi, & eloto plumbo: Ger. Blei.
De Coctura plumbi, & cremato plumbo.

Enarratio LIIII. LV.

VRitur & lauatur plumbum hodie frequentissime in officinis, quod & in laminas subtilissimas redactũ, pharmacopolæ quoque habent, quas medici, pluribus foraminibus perforatas, supra calidos renes apponi iubent, non minus quoque erysipelatis, ac membris nimio feruore accensis, eas superponunt, pro quibus complendis rebus, ac vlceribus curandis, vnguentum quoque ex plumbo dictum myropolæ paratum habent. Vocant autem Hispani plumbum vstum, Barbarorum Maurorum voce, azarcon.

Plumbum.

De Scoria, siue recremento plumbi:
Germanicè, Bleischack.

Enarratio LVI.

TAmetsi pars hæc plumbi, scoria siue plumbi recrementum vocetur: non est tamen pars subsidens, vt in ferro, sed potius tanquàm spuma, quum percolatur manens, densa, dura, & tanquam vitrum translucens, ad

Plumbi recrementũ.

ruborem inclinans. De natura plumbi ita refert Galenus lib.ix. de Facultat. simplic.medicamen. Molibdos, id est plumbum, facultatis est refrigeratoriæ: Siquidem non modo multam habet substantiam humidam, à frigore congelatam, sed & aëriam, paucam autem terream. Igitur quod plurimũ habeat essentiæ humidæ coactæ à frigore, indicium tibi esto, quòd vbi admotum est igni celeriter funditur, fluitque. Quod verò & aëriæ sit particeps, hoc habeto signum, Omnium quæ nouimus vnicum plumbum tum mole ipsa, tum pondere augetur, si condatur in ædibus subterraneis, aërem habentibus turbidum, ita vt quæcunq; illic ponantur, celeriter situm contrahant. Iam verò si in mortario plumbeo liquorem quemlibet plumbeo pistillo contriueris, ita vt ex pistillo ipso, atque etiam mortario exprimatur etiam aliquis succus, id quod ex vtroque conflabitur, multo erit frigidius, quàm liquor infusus fuerat: cæterũ, si vis magis refrigeratorium medicamen efficere, oleum omphacinum, aut rosaceum, aut mellinum, aut myrtinum, sit liquor is quem infundes, eritque remedium optimum ad sedis phlegmonas cum vlcere aut rugis, & ad eas quæ in pudendis, testibus, vberibusque consistunt, similiter aduersus cæteras alias fluxiones quæ articulis accidunt, sed & vlceribus rebellibus etiam vtile est: Nam ad cancros eo vtens, virtutem medicamẽti miraberis. Quòd si celeriter multum succi plumbei velis colligere, conare in Sole terere, aut quocunque certe modo aëre excalfacto, Multo autem vtilissimum habebis medicamentum, si affuso refrigerantium succorum aliquo teras, vt semperuiui, cotyledonis, intybi, lactucæ, codrilles, psillij, omphacis, portulacæ. In laminam etiam diductum plumbum, lumbisque admotum, pollutionem per insomnia coërcet, nimirum haud obscurè refrigerans, sed & bractea tenuis probe ganglio illigata, ipsum dissipat. Illigabit autem probe quisquis ab Hippocrate didicerit in ipsam noxam potius firmandum, quam hinc vel inde, porrò plumbum vstum, ac dein ablutum, refrigerat, confertq; ad implenda vlcera, eademque cicatrice obducenda, Conuenit & chironiis dictis, & omnibus cancrosis vlceribus, Ante lotionem autem, vlceribus pertinacibus etiam auxilio est.

De Lap

De Lapide plumbario: Germanicè, Glantz.

Enarratio LVII.

MOlibdoides, id est, lapis plumbarius, in fodinis plũbi reperitur, quem aliqui plumbi matrem, aliqui verò venam plumbi, vel lapidem plumbi appellant, nonnulli verò marchasite genus plumbarium lapidem esse dictitant, qui à prioribus in nihilo differunt. *Lapis plũbarius.*

De Stimmio: Germanicè, Spiess glass.

Enarratio LVIII.

STimmi, vel stibium, à seplasiariis hoc tempore, antimonium dicitur, ab Arabibus verò & Hispanis alcohol, quod mulieribus & chymicis satis notum est, Ex eo enim chymistæ oleum parant, quo argentum ad auri colorem redigere conantur, & ex illo quoque multi oleum pro malignis curãdis vlceribus præstantissimum parant. Verum, qui antimonium non fundi contendunt, omnino errant, quum revera, nõ minus antimonium quàm plumbum fundi nouerimus, vt quisque conscius euadet, si quærat ab iis qui stannũ tractant, & æs pro cymbalis & bombardis fundunt eliquantve, de quo Plinius libr. xxxiij. capite sexto sermonem habet, dicens: Vis eius astringere ac refrigerare, principalis autem citra oculos, nanq; ideo etiam platyophthalmum id appellauere, quoniam in collyriis mulierumq; epiphoris dilatet oculos, & fluxiones inhibeat oculorum, exulcerationesque, &c. & vt tradit Galenus libro nono de Facultatibus simplicium medic. cum facultate desiccatoria habet astrictionẽ adiunctam, quamobrem & ocularibus modicamentis miscetur. *Stibium Antimoniũ est, vel alcohol.*

De Molybdæna artificiali, Galena dicta: Germanicè, Test.

De Molybdæna fossili, siue naturali dicta: Germanicè, Bley ertz, odertzvuitter.

Enarratio LIX. LX.

FActitiam & fossilem molybdænam in præsenti Dioscorides describit, factitiam Plinius galenam vocat, quę aliud nihil est, quàm plumbum nigrum in fundo fornacis *Molybdæna factitia Galena est*

nacis vbi excoctum fuit aurum, vel argentum, subsidens, vt facile quis molybdænam hanc lythargyrium appellare possit. Solent enim metallarij artifices, quum glebas auri, aut argenti fundere volunt, in quibus non tantũ plumbi, vt fundi possint, reperitur, illis plumbum, vel venam plumbi adiungere, ex qua mixtione plumbum post aurum vel argentum excolatum, in ima fornacis parte manens molybdæna hæc factitia dicitur, Quæ eadem cum lythargyrio vires obtinet, vt quoque meminit Galenus. De hac verò Plinius libro xxxiiij. capite 16. ita dixit: Plũbi nigri origo duplex est, aut enim sua prouenit vena, nec quicquam aliud ex se parit, aut cum argento nascitur, mixtisque venis conflatur. Eius qui primus fluit in fornacibus liquor, stannum appellatur: qui secundus, argentum: qui remansit in fornacibus, galena, quæ portio est tertia addita venæ: hæc rursus conflata dat nigrum plumbum deductis partibus duabus. Naturalis vero siue fossilis molybdæna, plumbi est vena, siue plumbarius lapis, quanquam tamen proprie, colore, à lapide plumbario differat, quum molybdæna flaueſcit & splendet, molybdoides verò, id est lapis plumbarius, plumbeum insequitur colorem: nec enim de hoc mirari est, quia vt recte adnotat Georgius Agricola, in suo dialogo de Metallicis, cui titulus est Bermanus, Vena ista & si frequenter plumbei quasi, & splendidi sit coloris, reperitur interdum quoque nigra, interdum cærulea, interdum etiam iocinoris colore infecta, quam ad Plinij mentem idem Agricola, in vniuersum, galenam vocat, ita enim de ea Plinius memoriam facit, lib. xxxiiij. capite 18. dicens: Est & molibdæna, quam alibi galenam vocauimus, plumbi & argenti vena communis: & vt tradit, capite 6. eiusdem libri, Vena siue terra argenti excoqui nõ potest, nisi cum plumbo nigro, aut cum vena plumbi, quam Galenam vocant. Cæterum, hic non est immorari, cur Galena dicatur. Nam Marcellus Virgilius, galenam à Galitia, Hispaniarum prouincia denominationem traxisse, vbi multa reperitur, contendit: quem merito Georgius Agricola, vir doctissimus, & eloquentissimus, redarguit. Dicitur igitur, vt ipse puto, terra siue vena ista, Galena, corrupte à voce Hispanica Galana quæ vox pulchritudinem refert. Quia igitur vena ista aspectu

Galena quid.

Molybdæna naturalis. Georgius Agricola.

Galena tur dicatur.

aſpectu pulchra eſt, ea de cauſa Hiſpani apud quos in copia reperitur, Galenam ſiue Galanam appellarunt. Porro vtcunq; ſe res habet, ita de molybdæna tradit Galenus libro nono de Facultatib. ſimpl. medicamen. Molybdæna id eſt plumbago, ſimilem lithargyro vim poſsidet, tantum à media temperie ad frigidius paulum quid recedens, ſed neq; abſtergentis facultatis eſt particeps: vtrunque autem medicamentum liquari poteſt, celerrimeque, vbi oleo nonnihil aceti eſt additum, liquantur tamen etiam admiſta aqua, ſed coctione longiſsima. Vidi equidem molybdænam proiectam plurimum cum multis aliis lapidibus in ea via quę ad ergaſteria ducit à Pergamo. *Molibdæna Galeni.*

De Argenti ſcoria: Germanicè, Silberſchlacken.

Enarratio LXI.

HElcyſma Græcis, Romanis argenti retrimentum dicitur: quod vbi argentum funditur in magna cernitur copia, & Itali argenti loppam, Hiſpani vero argenti ſcoriam vocant, quam varij coloris cernunt, præcipue nigri ad cyaneum inclinantis: de qua Galenus libro nono prædicto, capite de Scoria ita inquit: Porro argenti ſcoriam proprie helcyſma appellant, verum emplaſtris quibuſdam reſiccatoriæ facultatis commiſcetur. *Argenti ſcoria.*

De Lithargyro, id eſt ſpuma argenti: Germanicè, Glet, oder ſilber glett.

Enarratio LXII.

LIthargyrum auri & argenti hodie pharmacopolę indicant, quum tamen ex argento ſolum colligatur. Eſt enim lithargyros, ſpuma quædam, ex plumbo ære & argento conflata, quæ in argento quum purificatur ſupernatat: Si enim ſpuma hęc, plũbi magis habeat, vt inde argenti colorem ducat, argenti lithargyrum dicitur: Si vero plus æris dominetur, lythargyrum auri, vel chryſitis appellabitur, de cuius viribus ita tradit Galenus lib. ix. de Facult. ſimpli. medica. Lithargyros deſiccat quidem, ſed omnium moderatiſsime: & ſecundum alias tum qualitates, tum facultates, quodammodo in medio conſiſtit, modica tamen aſtringẽdi, abſtergendiq; facultas ei ineſt. *Lithargyrũ auri & argẽti cur dicatur.* *Chryſitis.*

Cæterum

Cæterum ad intertrigines femorũ vtilis medela est, iure itaq; medij ordinis in metallicis habebitur, proinde frequenter vtimur lithargyro ceu aliorum materia: sicut in liquescentibus ad pleraq; medicamenta adhibemus ceram tanquam materiam mediam eorum quæ valentem possident facultatem.

DE CERVSSA.

Græcè, ψιμμύθιον: Latinè, psimmithium, cerussa: Hispanicè, aluayalde: Italicè, biacca: Gallicè, ceruse, Arabicè, Affidegi: Germanicè, Pleiv veiss.

Enarratio LXIII.

Cerussa. sandyx cerussa vsta est.

CEruſſa vbique paratur, præcipue ex aceto & plumbo, At Sandyx ceruſſa vſta eſt, quam ſandaracham, nonnulli verò minium appellant, de quibus Galen. lib. ix. de Facult. ſimplic. medic. ita inquit: Ceruſſa ſi ex acri aceto ſoluatur, guſtu tamen neq; acre erit neq; mordax, ſed emplaſticum, & refrigeratorium. Ceruſſa aduſta in ſandyca tranſit, medicamentum ſe ipſo tenuius, non tamen excalfaciens, phycos autem ſeruata ceruſſæ frigiditate, tenuitatem aſſumpſit.

CONSTANTINVS.

CONficiendæ ceruſſæ modum etiam docet Plinius lib. xxxiiij. cap. vltimo. Item Vitruuius libro vij. cap. 12. Ceruſſa verò cùm in fornace coquitur vt ibidem hic author inquit, mutato colore ad ignis incendium, efficitur ſandaracha. Id autem incendio didicerunt homines, & ea multo meliorem vſum præſtat, quàm quæ de metallis per ſe nata ſoditur. cui ſententiæ aſtipulatur Plinius libro xxxv. cap. vj. vbi inquit: Ceruſſa vſta, ſandaracha, ſandix, ſyricum. vſta caſu reperta incendio Piræi, ceruſſa in orcis cremata. Et Ibidem Sandaracha fit adulterina ex ceruſſa in fornace cocta (malè legitur, non in fornace) Colos debet eſſe ſtammeus. &c. Quæ non legiſſe mihi videtur Mathiolus Senenſis cùm reprehenderet Fuchſium immeritò, quòd libro de Compoſitione medicamentorum dixerit ceruſſam vſtam etiam ſandaracham appellari. Eſt enim ſandaracha duplex foſſitia & adulterina ſiue factitia. Natiuam vocant officinæ arſenicum rubrum: Adulterinam verò ex ceruſſa vſtulata, pro verò minio vendunt. Et pigmentarij noſtri veram ſandaracham vocant maſſicot, adulterinam verò minium.

Tamteſi

Tametsi hac parata industria sandaracha, verum minium minimè sit, quo quidem destituimur, nec vt errans voluit Fuchsius latinorum minium secundarium: quod aperte ostendunt hæc verba Plinij lib. xxxiij. cap. 7. Steriles etiam plumbi deprehenduntur suo colore, nec nisi in fornacibus rubescentes, exustique tunduntur in farinam. Et hoc secundarium minium perquā paucu notum. &c. Nec solum cerussa vsta sandaracha dicitur, sed etiam sandyx vt Dioscoridi & Galeno 9. libro simplicium. Aetius lib. ij. Sericum vt legit Hermolaus, vel Syricum vocat. Plinius tamen sic distinguit libro xxxv. cap. 6. vt sandaracha adulterina siue cerussa vsta, si torreatur, aqua parte rubrica admixta, sandycem faciat. Quanquam animaduerto inquit, Virgilium existimasse herbam id esse, illo versu: Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos. De syrico verò ita subijcit: Inter facilitios verò est & syricum quo minium sublini diximus. fit autem sinopide & sandyce mixtis. Quo loco corrigitur Erratum in Pliniano codice, libro præcedenti xxxiij. cap. 7. vbi loquitur de secundario minio. Hoc ergo ait, adulteratur in officinis sociorum. Item scyrico. Quonam modo autem fiat scyricum suo loco dicemus. Sublini autem scyrico minium compendij ratio demonstrat. Quibus locis syricum et syrico legendū sine c. At scyricum aliud est, Silis nempe genus de quo idem Plinius libro xxxiij. capite 12. Dicendum item est syricum, aut sandycem per phycos apud Græcos non significari, vt falsò censuit Fuchsius loco superius adducto. Nam phycos à sandyce apertè videtur distinxisse Galenus lib. ix. simplicium. Sed phycos meo iudicio, nihil aliud est quàm cerussæ clotæ compositio quædam ad fucum mulierum, siue vt Plautus vocat offuciam, Plinio enim teste, Leuissima omnium ceruſſa ad candorem mulierum adhibetur, Atque hinc fucatæ mulieres dicuntur, & Martialis Sabellam vocat ceruſſatam. Nec tamen ignoro Dioscoridem lib. iiij. cap. 100. longè aliter iudicasse, qui phycos quo pro fuco mulieres vtuntur, radiculam esse prodidit. Sed contra tanti viri authoritatem à me est Galenus, qui phycos ad ceruſſam retulit libro nono Simplicium.

DE CHRYSOCOLLA.

Græcè, χρυσοκόλλα: Latinè, chrysocolla, Offic. borax: Hispanicè, attincar: Italicè, borace: Arabicè, tincar. Gallicè, Bourrache; Germanicè, Borras,

Boarra

Enarratio LXIIII.

Chryſocolla. CHryſocolla, id eſt auricolla, hodie officinis borax dicitur, Hiſpanis verò, Arabica, vt plerunq; fieri ſolet, voce, attincar, quæ & naturalis & artificialis comperitur: vtraque vero mulieribus pro decoranda facie, & auri fabris, ac pannorum infectoribus, nota eſt, ex India autem foſsilis hodie in Luſitaniam optima vtpote viridis coloris aduehitur, de cuius viribus ita tradit Gal. lib. ix. de Facultat. ſimplic. medic. Chryſocolla carnem liquat, non tamen valenter mordicat, quanquam ſit facultate admodum digerente, exiccanteque: præparare autē hanc chryſocollam debes tempore æſtiuo, aut aëre prorſus calido: vrinam pueri, mortario & piſtillo, vtroque ex rubro ære, contundens: hoc medicamentum aptiſsimū eſt vlceribus contumacibus, tum per ſe, tum aliis miſtum. Nam quanto plus quam chryſocolla metallica deſiccat citra morſum, tanto etiam ipſam excellit tenuitate. Hæc Gal. Hanc verò fictitiam chryſocollam quidam mercatores Olyſsipponenſes, Olyſsipponæ pararunt, longe alio ordine ab hoc Dioſcor. citato, ex qua, incomparabilē quæſtū ſibi compararunt, vt perfecte nouit Manuel Reinelius, vir medicus doctus, qui hodie apud Anthuerpienſes agit.

Borax.

Attincar.

Manuel Reinelius medicus.

De Armenio lapide.

Enarratio LXV.

Lapis Armenius. QVia ex Armenia lapis iſte aduehi ſolebat, Armenius dicitur: hodie tamen ex Germania non minoris notæ quàm Armeniacus, & eiuſdem fere coloris cum chryſocolla ad nos affertur, ex quo color viridis, ad cæruleum tendens paratur. Lapis hic atram bilem vnicè purgat, vt Alexander Trallianus vir Græcus doctiſsimus, primo dixit, & Arabes omnes affirmarūt, quibus nunc practici ferè omnes fidem habent, imò Manardus Ferrarienſis hoc lapide Armenio, morbos ab atra bile ortos, magna cū gloria curaſſe teſtatur: Lauatur autem lapis iſte vt cæteri lapides, de quo Gal. lib. ix. de Facult. ſimplic. medic. ita tradit: Armeniacum vim habet extergentem cum leuicula tum acrimonia, tum aſtrictione, vnde merito miſcetur ocularibus facultatibus: præterea ipſo per ſe redacto in pollinem, atque ſicco, vtuntur ad pilorum in ſuperciliis

Alexāder Trallianus.

incremen

incrementum, vbi prę humorum acrimonia partim excidunt, partim nec crescunt, nec nutricantur. Cæterum huius purgatoriam vim Galen. non nouit, nec Dioscorides, quia vt dixi, ex Græcis Alexander Trallianus, primo lapidem istum purgatorium esse, expertus fuit.

DE LAPIDE CYANEO.

Græcè, κυανὸς λίθος: Latinè, lapis cyaneus, lapis cæruleus: Officinis, lapis lazuli: Vulgo lapis lazuli: Arabicè, azul & laziuard. Germ. Lasurstein.

Enaratio LXVI.

LApis cyaneus, Romanis cæruleus dicitur, quem hodie seplasiarij lapidē lazuli appellant, & illum optimum dicunt, quem multis auri scintillis ornari vident, ex quo hodiernæ officinæ, pilulas pro depellenda atra bile componunt. Abluitur verò lapis iste veluti Armeniacus, cui Galen. vires detrahendi siue deponendi concedit, & vt Arabes addunt, atram bilem, quod verum esse, experientia indicat: nec Fuchsius in suis Paradoxis audiendus est, qui contra Arabas insulsè admodum contendit quòd lapis cyaneus atram bilem non deponat, argumentū desumens mere siculneum, quod nec Dioscorides, nec Galenus, aut Paulus, viri Græci, vnquam illi facultatem deponendi atram bilem dederunt, ignorans ille, vir alioquí doctus, multa Arabas post Galenum & Græcos, inuenisse, quorum Græci nullam prorsus notitiam habuerunt, & eo magis, quia Galenus huic lapidi facultatem detrahendi tribuit, & vt experientia indicat, atram bilem. Cæterum, ex lapide isto cyaneo siue lazulo dicto, color paratur cæruleus, quem vltra marinum pictores appellant, quia forsan, maris aquæ colorem superat, illum verò hodie tam purissimum, ac saturum, Nicolaus Nicolutius pharmacopola Ferrarienſis, parat, vt aliquando vnciam, centum aureis scutatis vendat. De hoc verò lapide ita tradit Galenus lib. nono de Facultat. simplic. medic. Cyanos, id est cæruleus lapis, acrem possidet facultatem, ac tum detrahendi, tum digerendi quàm cinnabari potentiorem: inest quoque ei nonnulla astrictio.

Lapis cyaneus.

Cæruleus lapis lazuli.

Fuchsius errat.

Vltra marinum.

DE INDICO LAPIDE.

Græcè, ἰνδικὸν: Latinè, Indicum.

Enarratio LXVII.

Indicum. IMproprie lapis dicitur: propterea Indicum appellari, melius est, quo infectores lanarum potissimum vtuntur, & eum in lotio dissoluunt. Est enim indicum hoc, succus defecatissimus issatidis herbæ, coneretus, ac inspissatus, nam naturale indicum tanquam spuma ex harundinibus erumpens hucusq; à nostris compertum non est: Plinius vero vtriusq; nullam fecit notitiam, vt ex illo facile comprehendi potest lib. xxxv. cap. 6.

DE OCHRA.

Græcè, ὤχρα: Latinè, Ochra: Hispanicè, terra roya, Italicè, terra gialla: Gallicè, Ochre: Germanicè, Ochergel, oder berggel.

Enarratio LXVIII.

Ochra terra rubra. OChra, terra rubra & lapidis modo concreta est, quia pigmentariæ officinæ fere omnes abūdant, & ea pictores pro colore vtuntur, veluti sarcinatores pro signandis pannorum incisionibus.

DE CINNABARI.

Græcè, κιννάβαρι: Latinè, cinnabaris, Officinis sanguis draconis, Hispanicè, sangue de drago: Italicè, Sangue di dracone: Gallicè, Sang de dragon: Germanicè, Bluot farb.

DE CINNABRIO FOSSILI, ET ARTIFICIALI.

Cinnabrium fossile, minium naturale: Hispanicè, bermelhon de minera: Italicè, cinnabrio naturale: Germanicè, Berg cinober.

Cinnabrium artificiale, minium artificiale: Hispanicè, bremelhon artificial: Italicè, minio: Gallicè, Cinnabre & vermeillon: Germanicè, Cinober, ode minien.

Enarratio LXIX.

Cinnabaris sanguis draconis.

LOngas hic moliuntur authores digreſsiones, quas nos ſubticebimus, rem paucis concludentes, & eo magis quum de re clara & nobis obuia, ſermonem habeamus. Ait igitur in præſenti Dioſcorides de Cinnabari, id eſt ſanguine draconis, pro quo ſcire licet, quòd arbor quædam procera apud Hiſpanos, pręcipuè in inſulis Maderiæ & Cannariæ naſcitur, quam illi præcipuè Luſitani draconem, ſiue draconarium vocant, ex qua lachryma quædam lucida & rubricans defluit, quam ſi fricueris & ea lineas duxeris, colorem profundiſsimũ ac ſanguinis oriri conſpicies. Qua de cauſa, nomen huic lachrymæ ſanguis draconis inditum eſt. Ridiculoſum profecto eſt aſſerere: vt teſtatur Dioſcorides, cinnabarim draconis animalis ſanguinem eſſe, in quem errorem Plinium labi animaduertimus, vt apud ipſum videre eſt, libro trigeſimotertio, capite ſeptimo. Cæterum, exploſæ ſunt iam hodie rotulæ quædam, in officinis pendentes, quas ſanguinem draconis appellabant, & eas pro eo vendebant: componebant vero eas fallaces pharmacopolæ, qui nihil præter nigrum pro albo vendere ſemper ſolent, ex ſanguine hircino, ſorbis, ac laterum puluere, in vnum redactis, vel potius ex rubia tinctorum, bolo armeno, reſino, ac dragacantho ſimul mixtis.

Sanguis draconis.

Cinnabrium.

Eſt porro in officinis cinnabrium, minium dictum, quod naturale & artificiale comperitur: naturale Hiſpanis & Germanis frequens, apud quos vomica argenti viui ſcaturit, quum in argenti viui fodinis potiſsimum naſcatur: lapis rubricans, grauiſsimus, non admodum durus, qui plerunque argento viuo plenus conſpicitur, corroſiuus, putrefactiuus, ac lethalis. Artificiale vero, ex argento viuo & ſulphure in igne conflatur: magni valoris & pretij apud Indos, & ea de cauſa, ex Luſitania in Indiam non niſi regis conſenſu portari poteſt, paratur vero apud Antuerpienſes magna copia, ex quo ceram rubram inficiunt, qua literas ſigillamus, & de illis Plinius citato loco loquutus eſt, quem legere ne pigeat.

DE ARGENTO VIVO.

Græcè, ὑδράργυρος: *Latinè*, *Hydrargyros*, *argen-*

tum viuum: Hiſpanicè, azogne: Italicè, argento viuo, mercurio: Gallicè, vif argent: Arabicè, Zeibar: Germanicè, Queckſilber.

Enarratio LXX.

MIſſum facimus, quod à Philoſophis & chymicis de argento viuo, Mercurio dicto, circunfertur. Eſt igitur hydrargyrum Græcis: Romanis aqueum argentum, vel ex ſuo cõtinuo motu, viuum argentum dictum, quod naturale & artificiale inuenitur, ex quo vnctiones pro Gallica ſcabie incredibili iuuamento parantur: quas inſcij veram praxim ignorantes, vituperant, ignorantes argentum viuum ſuo pondere tantum lethale eſſe non verò qualitatibus, vt teſtatur in preſenti Dioſcorides, quum dicat: lethale potum argentum viuum eſt: pondere ſuo interanea diſrumpẽs, à quo Plinius ſi quis interius animaduertat verba, libro xxxiij. cap. 6. non diſsidet, quin potius illius verbis vt plerunque ſolet ſubſcribit. Ita verò ſe rem habere, & argentum viuum venenum non eſſe quotidiana indicat experientia, quum tantum abeſt, vt venenum ſit, vt potius pro præſtantiſsimo antidoto, puerulis faſcinatis, & vermibus infectis, omnes medici Hiſpaniarũ pondere ſemiunciæ, optimo ſucceſſu, in potu concedant, nec ex eo ſymptoma aliquod, per tam longum tempus oriri hucuſq; perceperunt. Vidimus enim nos, ſi mihi viſa referre liceat, puerum quendam decem annorum, plus libra vna argenti viui ebibiſſe, ex quo præter pondus nullum inde ſymptoma contraxit, clyſteribus tandẽ adiutus, totum cacauit, & liber abſque noxa vlla permanſit: occludebatur enim argentum viuum in quodam ſtricti orificij vaſe, in quo vinũ antea recondi ſolebat, & ex eo puer ſæpe ebiberat, vnde ſemel vini vice integram libram, & plus argenti viui vt dixi deglutiuit. Hoc verò ſciens doctiſsimus Braſauolus, examine ſuorum Simpl. dixit, nos argentum viuum infantibus in vermiũ ſemimortuis exhibuimus, & illico ſanati ſunt: nec Mundellę Brixienſi, qui contra illum inuehitur fides vlla habenda eſt, quum abſq; ratione & experimento loquatur: crederem tamen ipſe, argentum viuum arte paratum, quod Hermolaus proprie hydrar

Hiſtoria de argento viuo.

Mundella fallitur.

hydrargyrum vocari contendit, corrodens, ac exulcerans esse, quod Galenus tantum nouit, & illius nullum habuit experimentum, vt lib. ix. de Facultat. simplic. medic. fatetur, ad istum modum dicens: Hydrargyros, non est ex sponte nascentibus medicamentis, sed ex iis quæ parantur, veluti psimmithium, ærugo, psoricum, lithargyros. Cæterum, interimatne deuoratum aut admotum extrinsecus, nondum feci periculũ: lib. tamen iiij. eiusdem dicti voluminis, cap. 18. illud inter medicamenta erosione interimentia adnumerauit: facile enim credere est, arte factum viuum argentum, non eam nanciscì benignitatem, quam sua sponte in fodinis fluens possidet, imò naturale hoc argentũ viuum, quum ignem persentit, ex benigno, corrodens efficitur, quod in sublimato, ex eo parato, vel argento sublimato dicto, abundans argumentum habemus, quod ad hominum pernicie excogitatum fuit, Cæterum, cuius temperaturæ argentum viuum sit, sub iudice lis est, à testibus enim cõtra testes res agitur, & à rationibus contra rationes. Ego vero frigidũ & siccum esse, pro firmo crediderim: At Dioscorides hic tradit, minutissima autem ramenta epota, auxiliari nocumentis ab argento viuo derelictis: tametsi in nonnullis exemplaribus verba hæc non legantur, quæ annotata velim, vt animaduertant nonnulli recentiorum, qui cùm nihil præter calumnias norint, vt multa, ita auri vsum detestantur, quum tamen ipsi magis vituperio digni sint, quòd eo careant, ignorantes aurum rem nobilissimam ac cordialissimam esse, præcipue si candens igne, iuribus aut destillatis, vinóue demergatur: Opitulatur enim vt Serapio & Auicenna credunt, morbis melancholicis, cordis palpitationi, non solum sic paratum, sed etiam in puluerem redactum. Sunt enim variis in locis aurifodinæ ex quibus aurum foditur, sed purissimum obrizum dictum, raro inuenitur, quod nostri Hispani à tibar, aurum defecatissimum ac purissimum è regione sic Tibar dicta, appellant. Non eo inficias tamen, nos Hispanos plurimo abundare auro, præsertim eo inter Tagi fluminis arenas reperto, merito enim aurifer Tagus appellatur fluuius hic, quia inter suas arenas multum & prope infinitum dixerim aurum, trahat, vt abunde expertus sum, apud Ferrariam oppidum, quòd

Temperatura.

Aurum optimũ medicamẽtũ.

Tagus auriser.

Tagus præterlabitur quatuor leucis à Castello albo, propria mea patria distans, imò vt verum fatear, pauca extant flumina apud Lusitanos, quorum arenis aurum mixtum non sit, non adeo tamen purum, vt à Tibar dictum, nec ita infimum, vt quod ex Peru, terra paucis ante annis inuenta, aduehitur, ex quo cauterium paratum candens, minus mordicat, & fistulas facilius sanat, vt ex Plinio prius didicimus, libro trigesimo tertio, capite quarto.

De Rubrica sinopide: Germanicè, Bergroetel.

Enarratio LXXI.

Rubrica sinopis. Georgius Agricola.

RVbrica sinopis, quam milton Græci vocant, ea est terra quam hodie multi vice boli Armenici vsurpant, & eam Ioannes Manardus epistola prima, libri quarti suarum epistolarum à se Venetiis visam pastillorum forma testatur, veluti Georgius Agricola, quam sibi Baptista Opizo ibidem Byzantio aduectã ostenderat: Terra enim est rubrica sinopis, densa, grauis, Iocinoris colore, non calculosa, sibi concolor, & copiose cùm diluitur se diffundit, quam Lusitani nostri in maxima habent copia, præcipue apud Stremozium oppidum, ex qua vasa pulcherrima fiunt, quæ quum labiis admouentur, ita hærent, vt difficulter nisi aqua madefiant auelli possint, desiccandi enim ac astringendi vires terra ista habet, vt vice boli Armenici merito vsurpari possit. Cæterum, Mathiolus Senensis immerito Manardum vellicat, quòd rubricam albam, id est exiguo rubore ornatam describat, quũ tamen Theophrastus exalbidam quandam rubricam describat, quam Plinius quoq; minus rubentem vocat.

De Rubrica fabrili, quam Hispani almagri dicunt: *Germanicè,* Rœtel.

Enarratio LXXII.

Rubrica fabrilis.

HAec in Hispania abunde reperitur, quæ tanquam sanguis inficit, & sua voce Hispani almagre appellant, picturis admodum terra hæc deseruit, parum ab ochra differens, imo vt inquit Dioscorides, ex vsta ochra, rubrica fabrilis fit, ex qua mimi & personati, rubricati

sæpe

sæpe incedunt, & pictores multa leuiter minimo sumptu depingunt.

De terra Lemnia.

Enarratio LXXIII.

DE terra Lemnia, sphragide, id est sigillo insignita, pauca dicturi sumus, quia Galenus abundantissime libro nono Simplic. de ea dixit: Quam rubricā Lemniam quoque appellat, ob quod Plinius à Leoniceno facile defendi potest, quum terra Lemnia rubrica quoq; dicatur: tametsi rubrica proprie alia sit terra, vt capite superiori dictum est. Est igitur terra Lemnia vera: quæ à Lemno insula, Stalimene hodie dicta aduehitur, non quidem in orbiculos ex albo rubentes, & characteribus Turcicis insignitos, sed illa potius quam sub nomine boli armenici in quædam frusta aut glebas, inde ad nos portant. Nam orbiculi illi effigiati ex eadem terra formantur: adiecta tamen arenosa quadam argilla, ob quam orbiculi siue pastilli illi albescunt, quos sub terræ Lemniæ, vel terræ sigillatæ nomine, hodierni mercatores vendunt: At ne bolo Armeno nos carere dicamur: imo quòd eo abundemus terram illam sic gleboſam quam veram Lemniam esse diximus non sub terra Lemnia, sed potius sub bolo armeniaco, vt inde quæstum alterum faciant, sed quòd terra ista rubricans, bolus armenus hodie dictus butyrosus, vera terra Lemnia sit, ipsa attestātur signa, ob quæ omnes nunc doctissimi viri in hanc condescendunt opinionem: Quum igitur viri prudentissimi, ac vos boni pharmacopolæ terra Lemnia vti volueritis non quidem pastillos literis Turcicis sigillatos, accipere debetis, sed potius glebas illas, quas sub bolo Armeniaco Orientali, ementibus indicant venditores. Nam bolo Armeno vero nos carere certum est, quem eadem cum terra Lemnia vires habere, Gal. testatur, quum dicat, in illa magna peste, quæ similis fuit ei quæ Thucydidis tempore grassata est, omnes qui hoc medicamē biberunt, breui curati sunt, quibus autem nihil profuit, omnes mortui sunt, nec aliquo alio medicamine curari potuerunt: ex quo perspicuum est, quòd solum his qui incurabiles erāt, nihil profuit. Bibitur verò cum vino tenui modice mixto si sine febre æger fuerit,

Terra Lemnia.

Bolus Armenus.

vel ſaltem parum febrierit, cum aquoſo autem ſi multum febrierit, nec tamen peſtilentes ipſæ febres vehementer calent, Hæc Galenus. Qui in eo loco Armeniam terram colore pallidam eſſe tradit. Cæterum de terræ Lemniæ viribus, Galenum conſulit citato à nobis loco, vbi ob eam naufragaſſe, & falſum deprehendiſſe, quòd ſanguis hircinus illi miſcebatur legimus. Cæterum, vt vera terra Lemnia abundamus, ita breui ſperamus, veram armeniacam habere, ab iis præſertim mercatoribus qui ex Ancona in Armeniam petunt, vt inde ex oppido Angoræ, vndulatas veſtes ſiue ſymballoticas aduehant.

DE CHALCANTHO.

Græcè, χάλκανθος: Latinè, chalcanthũ, atramentum ſutorium: Officin. vitriolum: Arabicè, alcalcadis: Hiſpanicè, capa roſa: Italicè, copa roſa: Gallicè, vitriol, & couperoſe: Germanicè, kupffervuaſſer, oder victriol.

Enarratio LXXIIII.

QVi Galeni libros de Compoſitione medicamentorum, ſecundum genera ſcire exacte deſiderat, atq; in illis emplaſtra, cerota, vnguenta, & quæ ſunt alia, ibidem deſcripta, vt decet componere exoptat, in iis primo exercitatum iri, neceſſe eſt, ex quibus chalcanthum, id eſt atramentum ſutoriũ ſe offert, vulgò vitriolum dictum, quod naturale, & artificiale eſt: naturale vbiq; cupa roſam, vel caparroſſam, tam Hiſpani, quàm Itali & Galli appellant, & variis conſpicitur coloribus. Nam alterum ex Germania aduehitur oculis gratum, coloris cærulei: Alterum verò Romanum eſt, non adeo tamen intenſi, & grati coloris: Tertium verò ex Cypro adfertur, quod quũ friatur aureas ſcintillas emittit. Ex omnibus verò, Romanũ Vitriolum, primas obtinet, ſecundas Cypricum, minus verò validum Germanicum, tam pro conficienda aqua forti argentariorum, quàm pro tingendis lanis, artifices experiuntur. Cæterum, monet Galenus, quòd poſt longum tempus chalcanthum chalcitis efficitur. quod experiẽtia deprehendimus, chalcanthum in chalcitem mutatum aliqua ex parte eſſe. Videmus enim partẽ exteriorem chalcanthi

Vitriolum

canthi id est Vitrioli dealbescere, & cum albedine ad aliquam crassitié peruenire, interiori eius parte in suo proprio perseuerante colore. De quo Galenus in epitomen redactus, per doctissimum Andręam Lacunam Secobiensem, olim apud Salmanticenses condiscipulum nostrum, ita tradit Chalcanthos (qui in Cypro ex viridi quadam aqua concrescit) extima sui parte in chalcitim temporis processu degenerat, habet autē cum astrictione maxima, caliditatem non vulgarem coniunctam: Vnde omnium maxime condire seruareque carnes humidas potest, nimirum caliditate humiditatem absumente, astrictioneq; substantiam contrahente atque constipante, constringit itaq;, siccat, & contrahit in sese totius substantiam carnis. Ex vitriolo, oleum hodie cōficitur, apud chymistas, quod potens cauterium est, cuius vna vel altera gutta, in aquis cordialibus mersa, multum cōtra pestilentes febres valet, eas enim acetosas cum quadam stypticitate reddit.

De chalcitide: Germanicè, Rot atrament.

Enarratio LXXV.

Chalcitis, colchotar.

CHalcitis in ærariis fodinis comperitur: quæ vt diximus, ex chalcantho quoque efficitur: Exterior enim chalcanthi pars in chalcitidem vertitur, quum tamen interior illæsa permanet, & chalcanthum existit. Dicitur autem chalcitis ab Arabibus colchotar quęquoq; in misy transformatur: non est ergo colchotar vitriolum combustum, vt multi putant, quum potius vt dixi, chalcitis colchotar est: de qua Galenus libro nono de Facultatibus simplicium medicament. ita tradit: Mistas habet astringentem acremq; facultates: cæterum, vincit acris, vtpote adeo vehemens, vt carnem vrat, nec non inducat escharam. Vstum hoc medicamen minus mordicat, non tamen minus desiccat, verum non parum astrictionis remittit: Itaq; melior est vndequaq; chalcitis tum adusta, tum lota, quum euadat sic minus mordax.

De Psorico: Germanicè, Grindtruckne.

Enarratio LXXVI.

Psoricum.

PSoricum medicamentum quoddam est, quod contra scabrities, & cutis asperitates valet, nam & scabiem mirifice sanat.

De Misy: Arabicè, zagi: Germanicè,

Gelatrament.

Enarratio LXXVII.

Misy. CONtendunt nonnulli quòd vitriolum Romanum, misy fit, quod falsum esse, paucis indicatur: primo ex chalcitide misy fit, non vero ex misy chalcitis, vt ex Galeno didicimus: nouimus enim nos ex vitriolo Romano chalcitim fieri, proinde Misy vitriolum Romanorum non esse certum est, quum si misy vitriolum Romanorum esset, ex eo chalcitis fieri posset, quod impossibile esse, Galenus tradit. Faciunt ad hæc, quod vitriolum Romanorum misy non sit, quia misy durum est, auri speciem præ se ferens, quod quum friatur aut eas scintillas ex se mittit, & stellarum modo splendet, quæ omnia minimè in vitriolo Romano comperiuntur, proinde vitriolum Romanum non esse misy certum est: consultius autem mea sententia esset asserere, quòd sori vitriolum Romanum est, quum vt chalcitis in misy trãsformatur, ita sori facile in chalcitim vertitur. Vtcunque tamen sit, sori, chalcitis, & misy, tametsi figura, & compositione differãt, quia sori crassior est materia, subtilior verò misy, media autẽ chalcitis: viribus tamen & natura eadem sunt, vt ex Galeno libro nono de Facultatibus simpliciũ medicament. comprehenditur, quum dicat: In metallis ipsis, super chalcitim nascitur misy, vt ærugo super æs, Ac suspicor etiam sori longo tempore mutationem in chalcitim posse accipere. Quare mirum non est, tria hæc medicamina eiusdem genere facultatis esse, sori dico, & chalcitim, & misy: tenuitate & crassitudine inter se diuersa: crassissimum enim est inter ipsa sori, tenuissimum misy, mediam vtriusque facultatem habet chalcitis. Adurunt vniuersa hæc tria, & scharas efficiunt: attamen nonnihil etiam astringunt. Verum, misy admotũ corporibus duris minus chalcitide mordicat, tametsi ea non minus sit calidum, id quod beneficio tenuitatis sortitur. Porro quum vtraq; hæc in decoctionibus fundatur, & magis chalcitis, quàm misy, sori tamen non liquescit, nimirum quod lapidosius sit, & vehementius compactum: sicuti rursus misy quia à conge-

nito

nito calore elaboratius est, ac proinde siccius chalcitide, iccirco merito quoq; liquescit ægrius: libro verò quarto, de composit. medicament. secundum genera ita quoque de illis tradit: Misy autem & sori, chalcitidi sunt cognata: tenuius tamen misy apparet, minusq; mordax & vrens: crassius sori: & vtriusq; siccat imbecillius, quemadmodum & stimmi maiorem astringendi siccandique vim, ac sori possidet. Porro diphryges vlceribus ægre humoris vitio ad cicatricem venientibus, aptissimum medicamen existit, valide namque siccat, etsi sit mordax modice, ad hæc præter acrem tum qualitatem, tum potentiam, vim astrictoriam possidet.

DE MELANTERIA.

Græcè, μελαντηρία: Latinè, melanteria: Arabicè, maltina: Hispanicè, aziche: Germanicè, Gravu atrament.

Enarratio LXXVIII.

NIgerrima terra Melanteria est, quæ sæpe in se aliquid continet argenti, porro sulphurei coloris in Hispania frequens est, quam pro conficiendo atramento librario scribæ vsurpant, & eam Mauritanica voce azige, vel aziche, vocant, tametsi vox hæc Arabica, azige, omne genus atramenti sub se comprehendat, de qua Galenus lib. nono citato, ita inquit: Valde quidem astringit astringentiaque omnia propemodum tenuitate superat. Melanteria.

DE SORY.

Græcè, σῶρυ: Latinè, sory: Arabicè, alsuri.

Enarratio LXXIX.

SOry, vt dixi vitriolum Romanum est, de quo capite de Mysi legito. Sory.

CONSTANTINVS.

SOry de quo etiam tractauit Plin. lib. xxxiiij. cap. 12. natiuum & fossile est, ac Melanteriæ cognatũ, colore fusco subrufo, quod dum frangitur pinguiter nigrescit. At verò quod sephasia vitriolum Romanum vocant, Calchanti concreti genus est factitium, colore quidem prasio, aut cæsio. Ex hac vtriusq; collatione euidenter apparet, quàm tota erret via Amatus Lusitanus, qui sory vitriolum

triolum Romanum esse credat. Sed ipse errandi occasionem arripuit ex verbis Mathioli Senensis, ex quibus perperam intellectis suum dogma construxit: rectius fortasse dicere potuisset Brasauolus vitriolum Romanum Soreos naturam magis referre, quàm Mysios, sic enim sonant ipsius Mathioli verba ex idiomate Italo conuersa (commentario in Dioscorid. cap. huius Lemmatis & argumenti) vnde largiter hausit hic author, sed tamen illius bona interuertens, ne furtum agnosci posset.

De Diphrige: Arab. diphrigis: Germ. Ofenbruch.

Enarratio LXXX.

Diphriges. PAssim & frequenter diphriges, in ærariis fodinis apud Germanos conspicitur: quum enim æs funditur in ima fornacis parte residens pars quædam conspicitur, quam diphrigem esse certi sumus. Ex Cypro verò diphriges antiqua illa, ad nos hodie non portatur: De qua Galenus summatim lib. ix. de Facult. simplic. medic. ita inquit: Mistam habet tum qualitatem, tum facultatẽ, habet enim in sese quiddam & mediocriter astringens & mediocriter acre: vnde vlcerum rebellium optimum medicamen est, Eo siquidem ad putrescentia oris vlcera, siue per se siue cum melle, cum detracta erat spuma, tum ad anginam, vbi iam per astringentia medica consistit: quod influebat, ac breuiter ad columellam præcisam, pudendiq; & ani vlcera cicatrice obducenda, sum quàm felicissime vsus. Porro, quo pacto adulterentur dictorum medicamentorum singula, non videtur pretium operæ scribere, quum talia posse discere homines sceleratissimi in lucro ponant.

DE ARSENICO.

Græcè, ἀρσενικὸν: Latinè, arsenicum, auripigmentum: Arabicè, arneth: Gallicè, arsenic, orpin, reagal: Hispanicè, oropimente: Italicè, orpimento: Germanicè, oporment.

DE SANDARACHA.

Græcè, σανδαράχη: Latinè, sandaracha, arsenicum rubeum: Arabicè, zarnich: Gallice, massicot: Hispanicè, fezes de oro: Germ. Reusch geel.

Enar

Enarratio LXXXI. LXXXII.

ARsenicum, vagum nomen est, nam quoddã coctum arsenicum est, quod auripigmentũ vocamus, Aliud verò rubeum dicitur, quod sandarachã fossilem, siue Græcorum sandarachã dixerimus, appellamus, vt tandem differentiam faciamus inter sandaracham Græcorũ, & eam quam Arabes gummi iuniperi nominant, vt capite de Iunipero diximus, Tertiũ verò arsenicũ cristallinum album est, risalgalum dictum, quod naturale siue fossile dictum, in eisdem fodinis auripigmenti & sandarachæ nascitur, quanquam artificiale quoq; reperiatur ex auripigmento conflatum. Cæterum, Sandaracha hæc de qua agimus, eadem cum arsenico auripigmento dicto est, nisi quòd illa magis cocta & à natura elaborata videatur, ad quod arte quoq; ita esse deprehendimus, quia si auripigmentũ igni in catino admoueris, ita rubrũ euadet, vt sandarachã esse dices, Hanc verò Græci per infundibulum super prunas ignitas, in fumum redactam, contra pectoris vitia exhibent, vt capite de Iunipero diximus, sed instabit aliquis, Mesue, & alij practici, inter præcedentes siue procatarcticas asthmatis causas hanc vnam connumerant, fumorum eleuationem à sulphure, auripigmento, & aliis metallis, quomodo igitur Sandarachã asthmaticis cõuenire Græci dicant? Nos huic dubio dupliciter respondemus: primo quòd difficultas anhelitus duplex est, altera materialis, altera verò sine materia: materiali Sandaracha conueniens est, crassas lentas & tenaces materias, subtiliando & diuidendo, & hac de causa, recentiores, vt Nicolaus, ad Græcorum imitationem ex sulphure cõpositionem asthmaticis conuenientem præparant: in materiali verò, metallorum fumi maximè obsunt, imò ita obesse nouimus, vt metallarij, qui in fodinis metallum excauãt, inquiruntve, asthmatici ferè omnes breui moriantur, ita vt apud fodinas illas Galliciæ, & Germaniæ, mulierem inuenire non sit difficile quæ sex & octo nupserit viris.

Arsenicũ sandaracha.

DE ALVMINE.

Græcè, στυπτηρία: Latinè, alumen: Arabicè, seb: Gallicè, alun: Hispanicè, alumbre, ahume: Italicè,

alume:

alume: *Germanicè*, Alun.

Enarratio LXXXIII.

Alumen.

ALuminis multa & varia genera nouit Dioscorides, quorum tria tantum describit, scisile, rotundum, & liquidum, hodie verò, sex potius connumerantur, scilicet alumen roche, alumen plume, alumen fecis vini, alumen catini, alumen scaliole, & alumen zuccharinum: inter hæc autem hodie sex habita aluminis genera, vnum tantum Dioscoridis genus describitur, quod plume dicimus, & scisile est, Alumen porro roche, quod non procul à Roma excauatur, non sic vt videtis effoditur, lapides enim primo sunt durissimi rubri, & nonnulli ad albedinẽ tendentes, non adeo tamen duri, qui tanquam lapides communes: ex quibus parietes fiunt, ex vena siue fodina extrahũtur, quos postea tanquam calx in fornacibus, per duodecim vel tredecim tantum horas ardentissimo igne coquunt, nec longiori tempore ibidem permanere illos sinunt, quum ex toto comburerentur, & inepta materia ad futurum alumen euaderent. Deinde vero sequenti die quum frigidi lapides iam facti sunt, ex fornacibus extrahuntur, & in acies quasdam debito quodam ordine reponuntur, vbi per quadraginta longos dies adaquantur: tanquam viuæ calcis lapides, vbi quater vel quinquies, singulis diebus irrigantur, adeo vt intra tempus quadraginta dierum, vt diximus lapides in terram vertantur. Hanc postea terram, siue lapides in terram versos, magnis æris cortinis, in aqua artifices ad ignem excoquunt, qui quum dextre terræ substantificam partem, ex qua alumen conflari debet, in aquam versam esse norunt, terram ligneis instrumentis ad hoc paratis extrahunt, de nouo aliam terram predictæ aquæ addunt, ac sic vt primo facientes, ter & quater, terram innouant, quousque aquam in alumen verti pronam vident, quam postea per canales quosdam fluere permittũt, & capsis ligneis excipiũt, vbi intra octo dies gelascit, & concreta efficitur, ac densatur, & alumen roche dictum resultat. Cæterum ex lapidibus rubris, alumen fortius efficitur, ex albis vero, minus forte, & magis lucidum, pro quo inficiendo serico, ac optimis & pretiosissimis lanis tingendis vsurpatur. Hoc verò alumen

Alumen quomodo paratur.

roche

roché Græcorum esse alumen nonnulli crediderunt, sed mea sententia alumen liquidum longe alia res est, Ex alumine roche, albumine oui, ac aqua rosacea, alumen zuccharinum paratur, quo mulieres pro dealbanda facie vtuntur, quod Græcorum rotundum non esse certum est, quum ex alumine roche zuccharinum fieri dixi, alumen vero catinum, ex herba alcali, Græcorũ vero dicta traho conficitur: vt libro quarto diximus. Porro alumen fecis ex vini fecibus continuatur, de quorum generum facultatibus, & natura, Galenus ita tradit libro nono de Facul. simp. medic. Alumen vehementissime adstringit: cæterũ, quum sit crassarum partium, tenuius quodammodo est quod vocatur fissile, proximum est rotundum, & astragalotum: admodum crassum est tum liquidum, tum platites, & plinthites dictum. *Alumen zuchari-num.*

CONSTANTINVS.

QVod vocamus Alun de plume, non est, vt vult Lusitanus, Alumen Scissile Dioscoridis: Sed est potius Amiantus lapis, de quo præter Dioscoridem lib. v. cap. 113. egit etiam Plinius libr. xxxvj. cap. 19. Alumen Scissile astringit admodum & grauiter olet authore Dioscoride. Alumen plumæ non est astringens, sed gustu acre: nec igne consumitur, quæ nota Amianto, ab ipso Dioscoride peculiariter tribuitur.

DE SVLPHVRE.

Græcè, θεῖον: *Latinè*, *Sulphur*: *Hispanicè*, *piedra suffre*: *Italicè*, *solfo*: *Gallicè*, *Soufre*: *Arabicè*, *Rabric*: *Germanicè*, Schuuefel.

Enarratio LXXXIIII.

SVlphur & viuum, id est ignem non attingens, & vulgare id est igne paratum, reperitur, ex quo oleum chymistæ ad multos frigidos morbos curandos, mirificum parant, & vt tradit Galenus libro nono citato, theion, id est sulphur, omne trahendi vim possidet, estque temperamenti calidi, atq; essentiæ tenuis, adeo vt ad multa venenatorum animalium resistat, si siccum ictui inspergatur, aut cum saliua, aut vrina, aut oleo veteri, aut melle, aut resina terebinthina illinatur: Quin & psoras, & lichenas, & lepras non raro hoc medicamento cum resina *Sulphur.*

terebinth

terebinthina sanaui, Extergit enim omnes id genus affectus, absq; hoc vt in profundum repellat.

DE PVMICE LAPIDE.

Græcè, κίσσηρις: *Pumex*: *Hispanicè*, *piedra pomez*: *Italicè*, *pomice pietra*: *Gallicè*, *pierre ponce*: *Arabicè*, *fanech*: *Germanicè*, Bimbs.

Enarratio LXXXV.

PVmex leuis, exustus, ac corrosus lapis est, quem ignes ardentissimi sulphurei, ex profundissimis cauernis euomere solent, veluti in Aethna ac Vesuo montibus fieri percipitur, hodie vero variis in locis lapilli ij reperiuntur: quibus cerdones pro poliendis pellibus præcipue vtuntur, & Plinius varia de illis tradidit. Galenus porro nono citato libro, de pumice ita inquit: In sarcotica medicamenta inditur, & ea quæ dentes extergunt, partim vstionem non expertus, partim etiam exustus: quandoquidem aliis omnibus combustis similiter, substantiæ tenuioris efficitur: cæterũ, vstione quiddam acquirit acrimoniç, quam rursum lotione exuit. Videri autem poterit, & conciliare splendorem, non tantum facultate, sed etiam asperitate, veluti si smyrin, aut testam tritam admoueas: Eundem in modum cornua deusta dentes reddunt splendidos.

CONSTANTINVS.

PVmicem, Dioscoridi κίσσηρις, Spongiam etiã vocauit Vitruuius lib. ij. cap. 6. quia vt spongia pumicosa dicitur, sic etiam pumex spongiosus: quod vt Virgilius dixit, hic sit latebrosus, vel vt Ouidius, multicauus: fistulosum diceret Plinius, vel pumicẽ fistulantem vice. De pumice præter ea quæ scripsit Dioscorides vide apud Theophrastum lib. ix. de Historia. Plinii lib. xxxvj. cap. 21. Et Galenum lib. ix. simplicium.

De Sale: *Germanicè*, Saltz.
De Spuma salis.
De muria: *Germanicè*, Saltz lack.
De Flore salis.

Enarra

Enarratio LXXXVI. LXXXVII. LXXXVIII. LXXXIX.

SAl & marinus & fossilis reperitur: Marinus in salinis ex aqua maris conficitur, & familiarissimus victui hominum est, fossilis vero siue mineralis, variis quoq; in regionibus nascitur, qui lapis albus, densus, grauis, cristalli modo lucidus est, quem pharmacopolæ salem gemam appellant, nec enim sal gema, alia res à sale fossili est, quo vniuersa Turchia, ac magna pars Germaniæ, & Vngariæ, veluti Calabria, vtuntur. Cæterum, Ormusium insulam apud Persas, regi nostro Lusitanorum hodie subditam, salis fodinis vberrimis scatere, norunt Lusitani nostri, id quod Plinius quoque scriptum reliquit, libro trigesimo primo naturalis suę historię cap. 7. vbi Ormusium, vt mea fert opinio Oromenũ appellat: ita enim eo loco Plinius legitur: Sunt & montes natiui salis, vt in Indis Oromenus, in quo lapidicinarum modó cæditur renascens, maiusque regum vectigal ex eo est, quàm ex auro atque margaritis, &c. Est præterea sal Hammoniacus, qui ex Cyrenaica regione vbi Hammonis oraculum olim erat, aduehebatur: nascitur enim ibi sub arenis, Luna illi multum fauente, quo vero hodie caremus, & illius vice adulteratum turbinatis quibusdam massis exterius nigris ad nos afferunt, sed præcipuè ex Germania. Corrupte enim pharmacopolæ armoniacum salem pronunciant, quum Hammoniacum ob Hammonis oraculum, vnde vehitur appellari debeat. Falsum quoq; est, quod illorum multi dictitant, ex vrina camelina salem istum hammoniacum parari, vt ex Plinio vnusquisq; latius diiudicare poterit. Est quoq; sal Alkali, de quo libro quarto capite de Traho, abũde diximus. Dicitur quoq; in officinis sal Indicus, qui dubio procul zuccharum candum, vel zuccharum in harundinibus concretum est, iis adiungere est salem nitrum hodiernum, ex quo puluis bombardarum, & aqua fortis argentariorum, & aurificum conficitur: qui ab antiquorum sale nitro abest, vt capite sequenti dicemus. Spuma salis sequitur, quæ ad ripas maris, sæpe post tempestatem, nocte subsequente frigida, ac concreta, reperitur. At muriam non aliam esse dicam quàm aquam copiosè salitam,

Hammoniacus sal.

Sal alkali, Sal Indicus.

Spuma salis.

qua carnes & piſces longo tempore ſeruantur, vt ſecundo
Flos ſalis. libro quoq; dixi. Florem vero ſalis, qui ſalinas frequentant, norunt. Porro de ſalis facultatibus, ac natura, ita tradit Galenus libro vndecimo de Facultat. ſimpl. medic. Sal eiuſdem genere facultatis eſt, ſiue foſſilis ſit, ſiue marinus, verum hoc differunt, quòd ſalis è terra effoſsi ſubſtantia magis compacta ſit, ac proinde in eo maior partium craſsities, & aſtringendi potentia. Marinus itaque affuſa aqua liqueſcit protinus, id quod non accidit foſsili. Eiuſdem ſpeciei cũ marino eſt, qui in ſtagnis quibuſdam ſalſuginoſis naſcitur: æſtate videlicet aquis ex iis æſtu abſumptis: cuiuſmodi eſt Tragaſius, non procul à Sminthio. Igitur quum qualitas ſalſa digerat ſimul & cõtrahat contractam ab ipſa ſubſtantiam Aphronitrum in hoc differt, quòd in ipſo vnum ſaporem exuperãtem ſit videre, quem vocant amarum, vim habentem digerendi: haud item contrahendi, vti ſal: Nam hic quicquid in corporibus humidum eſt, id totum abſumit, & quod reliquum eſt ſubſtantiæ ſolidæ, aſtrictione contrahit: ac proinde etiam conditura ſua carnes ſeruat, à putredineq; tuetur: Quippe quæ putreſcunt, excrementitium humorem continent, ſubſtantiamq; tum diſſolutam, tum minime compactam, Quibus ergo corporibus nulla prorſum ineſt ſuperflua humiditas, ceu melli optimo, & ſubſtantia ſolida & compacta eſt, vt lapidibus ea vt putreſcant eſt impoſsibile: Quare in iis ſalis non probatur vſus: ſed in illis tantum, in quibus ſuſpecta eſt putredo.

De Nitro: Germanicè, Salniter.

De Spuma nitri.

Enarratio XC. XCI.

Græcorum Nitrũ vulgare. GRæcorum verum nitrum album, Ferrariæ Gaſpar de Gabrielis vir nobilis Patauinus, & Philoſophus inſignis, nobis dedit, quod hodie doctiſsimus Braſauola apud ſe reſeruatum habet, & omnes illuc veniẽtes vident, quod antiquis frequens fuit, & rei medicæ vtile. Cæterum nitrum hoc Græcorum à noſtro hodierno ſale nitro differt, quo bombardarum & ſclopettorum puluerem, veluti aquam fortem argentariorum, conficiunt: nitri vero ſpumam hactenus nunquam vidi, de quibus vos per

otium

otium legite Plinium lib.xxxj.cap.10. Non minus quoq; Augustinum Ricchum Lucensem, medicum longe doctissimum, in ea præcipue annotatione quam sectioni secundæ operum Galeni indidit, quæ ipse, & doctissimus iuxta ac grauissimus Trinchauelius, medicus Venetus, formula octaua Venetiis excudi curarunt: in qua annotatione Galeni textum ad hanc rem facientem, restituere, & à mendis liberare conatur: quem postea Andreas Lacuna Secobiensis, vir acri ingenio præditus, & qui Galenum feliciſsime in epitomen redegit, ita in pristinum nitorem reddidit, dicens libr.ix. de Facultatib. simplic. medicament. Aphronitrum ab aphro nitri differt: nitri enim spuma medicamentum exiccatorium existit, aspectu triticeæ farinæ similis, etenim alba est, non vt Asiæ petræ flos cinericea: Aphronitrum vero farinæ speciem non habet, neq; solutum est, sed concretum & congelatum, quod quidem adeo extergit, vt non modo sordes expurget, sed etiam pruritum sanet: At spuma nitri eiusdem cum nitro est tum naturæ, tum facultatis, licet essentiæ tenuioris. Dictum autem est paulo ante in medio aphronitri & salis, facultatem nitri cõsistere. Aphronitro enim sola inest vis detergendi: sali vero etiam astringendi, sed multo magis, quàm detergendi. libro vero xj. eiusdem voluminis, ita quoq; de litro id est nitro, inquit: Ostensum est hoc medicamen in medio salis & aphronitri vires habere: qua versione vniuersam diremit dubitationem, vt cuiq; sapienti notum euadet.

Aphronitrum.

Nitri spuma.

De fece vini: Germanicè, Vveynhefen.

Enarratio xcii.

EX fece vini combusta, aluminis quoddam genus conficitur, vt capite de Alumine meminimus: At credendum est, per fecẽ vini, quoq; Dioscoridem fabulosam siue terream illam partem, vasis vinariis præsertim cuppis adhærentem, intellexisse: quam Tartarum hodie appellamus, & multi ad ciendam aluum iuribus infundunt, semiunciæ pondere plus & minus.

Fex vini.

De Calce viua: Germanicè, Kalck, oder vngeleschter kalck.

Enarratio XCIII.

Calx. CONficitur hodie calx, apud omnes fere Europæos, ex lapillo quodam fornacibus excocto, quæ tatisper dum aqua non irrigatur: viua calx, siue aqua nõ restincta calx dicitur, ex qua sæpe lauata vnguentum contra ignis combustiones, & vlcera nonnulla, pharmacopolæ paratum habent. In India verò, hodie calcẽ ex ostreis, & buccinorum, ac crustaceorum testis fieri certo scimus, quod Dioscorides olim quoq; fieri non siluit. Cæterum, de calcis viribus, ita tradit Galenus libro ix. de Facultat. simpl. medicament. Titanos, id est calx viua quidem vehementer vrit, adeo vt crustas efficiat; extincta vero protinus etiam crustam molitur & ipsa: At post diem vnum & alterum minus vrit, minusque inducere crustam potest: at verò temporis progressu prorsum nec crustam quidem gignere valet, tametsi etiamnum calfaciat, carnemque liquefaciat, porro si lauetur in aqua, suam mordacitatem exuit, efficitque nuncupatum lixiuium, at ipsa absque morsu desiccat.

De Gypso: *Germanicè*, Gybs.

Enarratio XCIIII.

Gypsum. GYpsum oui albumine exceptum, mirabiliter sanguinem vndecunq; fluentem sistit, potum tamen gypsum strangulando perimit: proinde animaduertant hoc tempore homines, qui vino gypsum vt clarius reddant, ac potentius faciant, miscent. Cæterum ne Galenum prætereamus, ita de gypsi viribus refert, libro ix. de Facultat. simplic. medicament. Gypsum quidem tum desiccat, tum vires habet emplasticas, quare siccis medicamentis quæ ad sanguinis eruptiones accommodantur, vtiliter commiscetur, nam ipsum per sese lapidosum fit, coactum & congelatum. Ac proinde diluendum est, oui tenui & candida albugine, quæ & ad ophtalmias est vtilis, admisto illi tenuissimo farinæ triticeæ polline, qui residet in molarum parietibus, excipere vero quod sic maceratum est, tenellis leporis pilis, aut qui perinde sint molles, expedit.

De Sarmentorum vitium cinere: *Germanicè*, Reb eschen.

Enar

Enarratio XCV.

SArmentorum vitium cinis, ad morbi Gallici vnguenta componenda vsurpatur: de quo Gal. lib. viij. de Facult. simplic. medic. in vniuersali, ita tradit: Ex partibus cum terrenis, tum etiam fuliginosis (quæ & tenues sunt, & cum aqua in qua macerati prius fuerint cineres excolantur) constat, pro materiæ tamen combustæ differentia, cineris temperies variatur: Quare haud scio, qua ratione Dioscorides, astringere cineres omnes prodiderit: quum ficulneus cinis eius modi omnis qualitatis sit expers: nimirum ipsa arbore nulla parte sui acerbam qualitatem reddente: At ex acerbis lignis confectus cinis nõ parum quidem astringit, meminiq; me eo aliquando sanguinis suppressisse eruptionem, Verum nullus vnquam ad tale vti ficulneo audeat, siquidem hic acrimoniæ plurimum, vretiq; facultatis obtinet, mistæ absterſioni. Est & calx cineris quædam species. Cæterum tenuioris essentiæ quàm qui ex lignis fit. Porro elota, medicamen est citra morsum desiccans, magisq; si bis terue lauetur. Cæterum si marina aqua abluta sit, admodum digerit. *Canis sarmentorum*

DE HALCYONIO.

Græcè, ἁλκυόνιον: *Latinè*, *Halcyonium*, *spuma maris*: *Hispanicè*, *spuma della mar*: *Italicè*, *alcionio*: *Gallicè*, *escume de Mer*, *merde de Cormarin*: *Arabicè*, *Zebd albhar*: *Germanicè*, meer schuuam.

Enarratio XCVI.

HAlcionium, hodierni seplasiarij spumam maris appellant, nec immerito, quia Dioscorides ita à nonnullis appellari meminit, cuius quinque genera in flexuoso Anconitano mari isto reperiuntur: præter quæ, & sextum nouimus, globi modo rotundum, sparti colore, molle, ac spongiosum: de quibus omnibus, ita Galenus lib. xj. de Faculta. simplic. medicamen. tradit: Halcyonia omnia detergunt, ac digerunt, qualitatem habentia calidam & acrem. Est autem eorum vnum densum & graue odoris praui, olet enim pisces putridos, spongiæ in specie simile: Alterum vero figura longiuscula, leue, & rarum, *Halcinium.*

odorem habens ſimilem phyciis : Aliud tertium vermi ſimile ſpecie exiſtit, colore purpureo, conſiſtentia molli, Mileſium. vocant id mileſium: poſt quæ quartum ſecundo quidem iam poſito ſimiliter & leue & rarum, verum lanis ſuccidis ſimile. Denique & quintum extima ſuperficie leui. Cæterum interna ſubſtantia aſperum, nullius odoris, guſtu tamen apparens acre. Quod ſane omnium halcyoniorum eſt calidiſsimum, adeovt pilos deurere poſsit. Itaq; quum duo prima lichenas, alphos, pſoras, lepraſque adiuuent, præterea cutem ſplendidiorem efficiant, idem præſtare non poteſt hoc vltimo loco poſitum: nec enim proinde vt illa cutem duntaxat ſummam extergit, ſed etiam excoriat, ita vt vlcera inducat, porro quod tertio ordine recen ſuimus, omnium tenuiſsimum eſt. Quare vſtum alopecias curat illitum cum vino, colore quidem fuluo, tenui tamen eſſentia: Quartum autem eiuſdem cum hoc ſpeciei vires obtinet, verum haud parum imbecilliores.

CONSTANTINVS.

Est etiam de genere Halcyonij pila marina, quam Northmani mei vocant vulgò pelote de Mer. Conglobata enim pilula eſt fluctuum agitatione continua, ſubhirta item & quaſi echinato inuolucro obducta, ſed capillaceis villis ruſeſcentibus. in algoſis reperitur, atque etiam algæ odorem refert. Hanc ipſam, σφαῖραν θαλασσίαν vocat Ariſtoteles libro ix. de hiſtoria animalium quo loco nidos Alcedinum pilis marinis & ſpumis maris aſſimilat. ἡ δὲ νοσσία παρόμοια τοῖς σφαίραις θαλασσίαις ἐστὶ, καὶ τοῖς καλουμένοις ἀηδὼν ἄχναις. Meminit & Galenus, lib. j. de Comp. Medic. ſecund. loc. Nicolaus quoque Myrepſus in vnguenti Comp. ad ventris tineas. Ex recentioribus Fuchſius, Mathiolus, Cornarius, Dalechampius & ipſe literatiſsimus.

De adarce: Arabicè, adaraca.

Enarratio XCVII.

CONſpicitur adarcion in multis Hiſpaniæ paludibus, quod ſua voce Hiſpani Fluminis ſtercus appellare ſolent, ſiue fluminis lixum, & ad multos vſus ſeruãt, circa mare porro potentius inuenitur, quod vt tradit Galenus libro vndecimo, de Facult. ſimpliciũ medicamentorum: Eſſentia ſua velati ſpuma eſt aquæ ſalſæ concreta, idque circa arundines & ſarraginem. Eſt autem acerrimũ ſimulq;

calidiſsi

calidissimum pharmacum, proinde & per se inutile. Verum commisceri solet iis quæ vim eius retendunt, sicque fit multo vtilissimum in iis affectibus, qui excalfieri postulant, foris impositum: nam id intra corpus sumi impossibile est. Cætera verò apud Plinium legito, & illius defensorem Collenutium: qui (mea sententia) nugatur, quum duas ponat adarces.

De spongijs: Germanicè, Bad schvuamm.

Enarratio XCVIII.

NOtæ sunt spongiæ, quibus præparatis, pro dilatãdis & aperiendis fistulis, ac præclusis vlceribus, passim vtimur, nõ minusq; pro admouendis fomentis, in quibus lapillus inuenitur, vt suo dicemus loco: At de spongia ita Galenus meminit in fine libri vndecimi de Facultatibus simplicium medicamentorum: Spongia vsta, acris est, & digerentis potẽtiæ, vtebatur ea præceptorum meorum quidam ad sanguinis eruptiones, quæ manuali opera indigent: porro admouebat eam partibus sanguine profluentibus etiamnum ardentem, vt & crusta parti induceretur, & ipsum spõgiæ corpus, ceu operculum adhæreret: At verò spongia noua, non sicut lana aut lanimentum, materia duntaxat est, quæ humores irrigandos excipiat, sed etiam manifeste desiccat: quare vulnera glutinat, si aqua aut oxycrato, aut vino admoueatur imbuta, à qua sane, quæ antiqua est, longo spatio relinquatur. *spongia.*

De Corallio: Germanicè, Corallen.

Enarratio XCIX.

ALbum & rubrum corallium, omnes norunt, nigrum verò antiphates à Græcis dictũ, superioribus diebus Ferrariæ & hic Anconæ vidimus, Astringẽdi autem & refrigerandi, omne coralli genus habet. Album tamen potentius: & ea de causa vbi refrigerare, ac magis constringere volumus albo vtimur. Cæterum Plinius capite secundo, libri trigesimi secundi, ita de Corallio tradit. Quantum apud nos, Indicis margaritis pretium est, de quibus suo loco satis diximus, tantum apud Indos in corallio, nanq; ista persuasione gentium constat. Gignitur quidem & in Rubro mari, sed nigrius, Item in Persico *Corallium*

vocatur iace, laudatissimum in Gallico sinu circa Orchadas insulas, & in Siculo circa Heliam & Drepanum. Nascitur & apud Grauiscas, & ante Neapolim Campaniæ, maximeque rubens, sed molle: & ideo vilissimum. erythris forma est ei fruticis, color viridis, baccæ eius candidæ sub aqua ac molles: exemptæ confestim durantur & rubescunt, quasi corna satiua specie atque magnitudine. Hæc Plinius. In quibus supinus quidam error deprehenditur, quum dicat Coralliũ baccas quasdam rubras emittit, veluti arbor cornus: norunt enim omnes qui corallium viderunt, in mari tanquam fruticem, & arborem nasci, in quo nullus gignitur fructus, sed postea artifices baccas illas rubras parant, quas in coronas redactas, monilium, & torquium vice, mulieres gestant. Cæterum, corallium vsui medico quotidie venit, quod Auicenna, inter medicamenta cordialia connumerat, & ea quæ gaudium, & lætitiam causare solent.

De Lapide phrygio.

Enarratio c.

Lapis phrygius.

PHrygio lapide isto, hodie carèmus, quo Galenus sæpe vti solebat, vt tradit libro nono de Facultatibus simplicium medicament. dicens: Hoc semper vtor combusto quidem ad vlcera putrida, idque ipso aut per se, aut ex aceto, aut œnomelite, aut oxycrato: Ad oculos verò ex eo permisto aliis medicamẽ siccum efficio: Valide enim desiccat, habens quiddam astrictionis simul & mordicationis. Lapis hic potissimum ad vestium tincturam vsurpari solebat, vt ex Plinio colligitur, libro xxxvij. cap. 19. quod & Dioscorides non siluit.

CONSTANTINVS.

IGnorarem cum Mathiolo Senensi, Cornario, ac Lusitano, quis esset Phrygius lapis, nisi didicissem ex familiaris mei Iacobi, Dalechampij doctissimis in Dioscoridem commẽtarijs, in quibus sane plurima continentur, hactenus à nemine prodita: quæque alio in opere nostro, tanti viri extremam diligentiam testabuntur, & inuandæ mortalitatis potius, quàm suæ ad posteritatem memoriæ prorogandæ desyderium coarguent. soleo enim iocosè ac familiariter, ho

ter, hominem alioquin in facienda medicina occupatißimum, tanquam immortalitatis nominis minime candidatum accuſare. Sed ſatis habebo eius verba tantum aſcribere: Officinæ duos lapides lyncis monſtrant, alterum oblongum, teretem, mucronatum, qui Belemnites eſt. Alterum terreum, media natura inter lapidem & terram, pallidum, vel ſubfuſcum, candidis maculis & lineis notatum, aſpectu velut mucidum, qui Phrygius lapis eſt. Ineptè autem cum Diphryge, lapidem Phrygium Pandectarius confudit. vnde verò lapidis lyncis appellationem traxerint officinæ, haud dum ſcio. Succinum quidem à veteribus, qui vrinam id eſſe lyncis concretam falsò arbitrabantur, lyncurium nominatum fuiſſe, cuius notißimũ eſt. Hactenus, ſummus amicus noſter Dalechampius. Hunc lyncis lapidem Officinarum, Amatus Luſitanus abſurdè ſtatuit Electri ſpeciem eſſe. Vide ſuperius lib. j. Enarr. centeſima: meritoq; reprehenſus eſt à doctißimo Fuchſio lib. j. de Compoſitione medicament. Qui in eo libro Phrygium lapidem Dioſcoridis, Officinarum lyncis lapidem eſſe confirmat: ſed ex cuius verbis, etiam ſi attentè & intelligenter audiatur, nihilo doctior euadas: quia nec finitè nec diſtinctè loquitur. Sic enim indiſtinctus & implexus eius eſt ſermo: Non eſt autẽ lyncis lapis dictus, niſi Phrygius Dioſcoridis nominatus, quòd illi omnes lyncurij notæ conueniant. Sed ne ſibi contradicere videatur Fuchſius, intelligendum eſt de lyncurio Officinarum, nec tamen de prima (cui obeliſci ſiue vt loquitur Plinius, veruculi figura) ſpecie, Sed de ſecunda quã vnam, lyncis lapidẽ in Officinis videtur agnouiſſe, pro earundem lyncurio & Dioſcoridis lapide Phrygio. Nam alibi idem Belemnitem, quæ in Officinis lapidis lyncis prima eſt ſpecies & magis vſurpata, à lyncis lapide diſtinguit his verbis: Quum lapis lyncis Officinarum non ſit, niſi Phrygius Dioſcoridis nominatus lapis, non debet ad præſentis Antidoti conſtructionem adhiberi, quod nullam in atterendis calculis vim habeat. Pro eo autem vtendum erit lyncurio Dioſcoridis & aliorum Græcorum, quod non eſt niſi ſuccinum: vel vt hodie vocant Officinæ Charabe. Nam illud mirificam in atterendo calculo vim obtinet, vt veteres teſtantur, & experientia recentiorum confirmat. Aut loco lapidis lyncis Belemnites vſurpandus erit, quem Saxones Alpſchos nominant. Siquidem & is non aliter ac Iudaicus lapis, quo etiam vice lapidis Lyncis vti licebit, lapidem frangit. Tantum cauendum, ne vulgarem, & vſitatum Officinis lapidem lyncis in eum vſum accommodemus. Hactenus doctißimus Fuchſius, in Nicolai Myrepſi Nephrocatharticum

Antidotum. Equidem scio ex Galeno geoden lapidem, quia Belemnites harenam continet, Belemnitem etiam dictum. Sed euidens ratio ex facultatum vtriusq; differentia, de hoc genere cur minime loqui Fuchsius putandus sit, sed de lyncurij Officinarum priore specie, tametsi eam tantum agnoscat pro lyncis lapide, quæ Dioscoridis est lapis Phrygius. De quo etiam lege Plinium lib. xxxvj. cap. 19. quo loco Phrygium tantum tingendis lanis vtilem dicit, quum multos eius vsus & in medicina Galenus proferat libro ix. Simplicium, & libro iij. de Compositione Medicamen. Loc.

De Lapide Asio.

Enarratio CI.

Lapis Asius.

LApis hic ad nos hodie non affertur, si tamen haberi posset, has dotes habet, quas Galenus describit, libro citato nono, quum dicat: Asius lapis, colore & consistentia est topho similis, friabilis, laxusque, innascitur ei quiddam instar farinæ tenuissimæ, qualis in molarum parietibus adhæresci, appellant hoc medicamen petræ Asiæ florem. Est verò tenuium partium, vt sine morsu nimis fluidas carnes eliquet. At petra ipsa in qua nascitur, actionis vehementia est inferior, habet etiã & salsedinẽ quandam ipse Asiæ petræ flos, ita vt inde videatur ducere originem, quòd eos ex mari in petrã residẽs, à sole postea exiccetur.

CONSTANTINVS.

Asius vel Assius lapis ab Asso oppido Troadis, vel ab Asia, idem esse videtur qui & sarcophagus. De quo Plinius lib. xxvj. cap. 17. & lib. ij. cap. 96. Galenus libro ix. simplicium, Cornelius Celsus lib. iij. cap. vltimo in cura podagræ: Aetius lib. vij. cap. 39. Oribasius synopseos lib. ij. Cardanus lib. v. de varietate rerum, Cornarius medicus maximi nominis lib. iij. Comment. Med. cap. 4. Qui etiam in Emblematibus in Dioscoridem, Asium lapidem ignotum esse, magis confidenter, quàm verè, pronunciat. Nam & verum non semel vidi, & mecum nunc agnoscit (cui in Simplicium cognitione, principem locum iustis vindicijs possumus adiudicare) Mathiolus Senensis, tametsi antea sibi necdum cognitum ingenue professus. Florem autem Asij lapidis halinitrum esse, quod vulgò dicitur salpetre, quàm falsa credulitate sibi persuaserit libris de Compos. Medic. Fuchsius, vir alioqui de bonis literis tam benè meritus, quàm qui maxime, quius doctus vel ipsemet omnium optime recognoscet, si modo laudatos scriptores consulere & relegere

non dedignetur, quorum integra testimonia producere, nec mihi otium fuit, nec opinor necesse.

De Pyrite lapide, Marchasita dicto: Germanicè, Riss, oder ertzstuoff.

Enarratio CII.

PYrites sine dubio, Arabum Marchasita est, quia quæ Græci de Pyrite dixerunt Arabes in suam linguam, sub marchasitę nomine trāstulerunt. Animaduertendum tamen, quòd pyritarum plures sunt species, quæ omnes percussiæ scintillas edunt, & ea de causa, communes quoq; lapilli, quibus quotidie ignis excutitur, sub pyrite reponi merentur. Cæterum, vt Auicenna doctissime nouit, marchasita auri, argenti, æris & ferri, reperitur. Quæ verò hodie officinis vulgarior cernitur argentea est, deinde aurea, quæ studiosis necessariæ sunt, quum ferro percussæ scintillas edunt, & sulphuratis cannulis ignem accendunt, nos verò marchasitam in emplastris resoluendi, ac excutiendi vim habentibus miscemus, & vt tradit Galen. lib. ix. tam sæpe repetito, calidam possidet facultatē, eoq; vtimur digerenti emplastro admisto: adiicitur etiam ei & schistos: Ab hoc medicamine & pus sæpenumero, & consistentia grumosa in spatiis intermediis musculorum, nata, per halitum sunt digesta, nisi autem dum in vsum veniunt, pollinis instar comminuantur hi omnes lapides, vt profundum corporum quibus applicātur subeant, assimiles manent istis marinis fluuiatilibusque arenis, quæ & ipsæ communem omnium lapidum vim possident. Siquidem exiccant tumentem ab aqua inter cutem carnem, si in ipsis excalfactis decumbat æger: non tamen ad aliud quippiam eis vtimur.

Pyrites Marchasita.

De Hæmatite, lapide sanguinario dicto: Germanicè, Bluot stein.

Enarratio CIII.

FRequens apud Hispanos & Italos lapis hic est, qui sanguinarius Romanis dicitur: nam Hispani, illū albim, vel aluim sua lingua vocant, Itali verò vt audio absolute, lapidem nominant, de cuius viribus ita tradit Galenus lib. ix.

Lapis hæmatites sanguinarius.

lib.ix.de Facultatibus simplic. medicament. Hæmatites & galactites lapides, à colorum similitudine, quos repræsentant, sic nominantur, ille siquidem sanguinis, hic in succum solutus, lacti videtur similis: At melitites non à colore sed à sapore mellis talem nomenclaturam sortitur. Quum igitur succus omnis dulcis à temperato calore proficiscatur, astringens verò à frigore, habebit sane hæmatites lapis tantum frigiditatis, quantū & astrictionis: Melitites verò tēperatam caliditatem, ac mediā vtriusque temperiem galactites. Merito itaq; ocularibus medicamentis lapis hæmatites miscetur, ac solo eo vti possis superciliis exasperatis: siquidem cū phlegmone sint aspera reddita, ex quo ipsum diluens. ac si mauis, etiam per decoctum fœnigræci: sin verò citra phlegmonem, ex aqua. Hic idem lapis similiter in cote contritus, sanguinem expuentibus conducit, vlceribusq; vniuersis. Porro succus, redactusq; in tenuissimum pollinem, reprimit excrescentia: ipsaq; oculorum vlcera solus per se cicatrice includit attritus, cæterum aut affusus, aut inunctus.

De Schisto lapide.

Lapis schistos.

Enarratio CIIII.

QVum lapis hic apud Hispanos nascitur, non difficile esset illum hodie habere & illius proprium nomen capiti indere: sed quum iam diu extra Hispaniam voluntarij exules simus, nō sic facile illius notitiam habere possumus. Doctissimus tamen Oroscius, olim apud Salmanticenses condiscipulus noster, hoc supplere poterit, qui vt audio, de hac re non nihil molitur, interim tamen dum eo caremus, eius loco hæmatite vti necessario est, quia eadem fere cum illo vires possidet, vt adnotat Galenus capite proprio, de Schisto lapide.

De Gagate: Germanicè, Schuuartzer augustein.

Enarratio CV.

Lapis Gagates.

VVlgatissimus Gagates lapis est, quem Hispani Azauache appellitant, & ex eo pauperes, & mendici, Sanctum Iacobum petentes, sanctorum quasdam imagunculas, pileis & galeris suis affixas, inde portant. Lapis est enim niger, crustaceus, leuis, qui igne facillime accenditur, & ex se odorem bituminosum expirat. Dicitur autem

autem Gagas, à flumine sic dicto in Lycia, prope cuius ostia, lapis hic inuenitur. De quo ita tradit Galen. lib. ix. de Facultat. simpl. medic. Colore gagates est atro, qui vbi igni fuerit admotus, persimilem bitumini odorem exhibet, confert autem ad discutiendos flatulentos tumores consistentes in genu: diuturnosque & ægre curabiles: ac præterea cruenta vulnera glutinat.

CONSTANTINVS.

Gagates lapis quem vulgò vocamus gayet, niger est planus, pumicosus, non multum à ligno differens, leuis, fragilis, odore si teratur grauis, fictilia ex eo inscripta non delentur. Quum vritur, odorem sulphureum reddit. Mirumq; accenditur aqua, inquit Plinius libro xxxvj, cap. 19. oleo restinguitur. In quo confundit ipse Plinius cum Thracio lapide, cui hoc peculiare cum bitumine tribuit Dioscorides, & etiam Nicander, cuius versus citat Galenus lib. ix. simplicium. Gagati enim similis, non autem idem est Thracias siue thracius lapis, quem & Samothraciam gemmam dixit Plinius lib. xxxvij. cap. 10. & Nicander θρήϊσσαν λᾶαν. Cum verò cecinit in Theriacis ἄλλοτ' δ' ἀξαλεὴν καίων ἐγγάγγιδα πέτρην, Complures docti, vt Philander & Lonicerus, non alium lapidem quàm Gagatem intelligunt: & recte quidem mea sententia. Nam & scholiastes, Gagatis notis omnibus engangida (a quo, & gangitis dicitur, vt etiam à Strabone) describit, excepto quod, & vt arbitror errans, huic lapidi herbaceum colorem attribuit: cùm sit Gagates coracinus atq; nigerrimus, vt obsidianus lapis, cui admodum similis existit, nec tamen vnus atq; idem est, sed ab eo diuersus & alter omnino. Errantq; profecto qui secus existimant: ex quorum numero nec possum eximere Fuchsium: in alijs infinitis locis licet recte sentientem, quia hoc ipsum libris de Med. Comp. minus cogitatè scripsit & astruxit. Sed inter hos lapides, hæc intercedit differentia. Obsidianus lapis tametsi nigerrimus, proditur aliquando translucidus & ad vitri nigri naturam quam proximè accedere: quia vitro assimulabatur antiquitus: & ad eius similitudinem in genere vitri, etiam obsidiana numerata. Gagates verò quamquam polituram patitur & nitet, non tamen translucidus vel perspicuus vnquam visus est: nec ipsum ementitur vitrum similitudine. Adi Plinium libro xxxvj, cap. 26. quo loco legitur: Obsidianus lapis quem in Aethiopia inuenit Obsidius, nigerrimi coloris, aliquando translucidi, crassiore visu, atque in speculis parietum pro imagine vmbras reddentem. &c. Sed recte sensit Georgius Agricola Gagatem

tem ſuccinum nigrum eſſe affirmans, & hoc nihil aliud quàm Bitumen foſſile, quod concretu lapideſcit. Hoc priuſquam induruit terra eſt ampelitis, ſiue pharmacitis: de qua Dioſcorides & Galenus agunt ſeparatim. Sed indiſtinctè atque promiſcuè, hanc pro Gagate vſurpat Fuchſius, quod errore non vacat. Atque apud Theophraſtum γεώδεις ἄνθρακας, hoc eſt terreſtres carbones, Philander vir limati & politi iudicij, in Vitruuium Comment. hanc Glebam denotare contendit. Huic opinioni ſi quis reſſragetur, fautorem & conſortem habet Cornarium conſummatæ lectionis authorem, Commentarijs in Dioſcoridem: Cuius item emaculandus eſt codex, in hoc capite de Gagate depranatus, & correctus adhuc à nemine quod ſciam. Nam ex authoritate Galeni, Plinij & Nicandri, expoſitoru Diphili, legendum pro Cilicia, Lycia. Nam Lycia, non Cilicia, oppidum eſt Gagas, vt habet Dioſcorides, Plinius Gaga, ſcholiaſtes Theocriti gangis & ganga. Sed fluuius etiam Gagas Dioſcoridi, Galeno Gagates, Plinio Gagis dicitur.

De Lapide Thracio.

Enarratio CVI.

Lapis Thracius.

THracius lapis hodie ignoratur, de quo Galenus cum Nicandro ita inquit, capite ſuperiori de Gagate.

Si lapis vratur candenti Thracius igne,
Et poſt madefiat aqua, flagrabit totus ad idem.
Mox oleo aſſuſo penitus reſtinguitur, &c.

Nullius tamen eius in medicina vſus, niſi quòd ſuffitu abigit feras.

De Magnete lapide: Germanicè, Magnet.

Enarratio CVII.

Magnes lapis.

VEl nautis, & tonſoribus magnes lapis, notus eſt, quem Hiſpani petram iman: Itali vero, calamintam appellare ſolent, qui optimus eſt quum ferrum facile trahit, & vt tradit Galenus, hæmatiti aſsimilem vim obtinet. Cæterum, Fracaſtorius Veronenſis vir doctiſsimus, quum rerum multarum abditas cauſas libello quodam inquirat, hanc vnam proponit, quare magnes, polũ aſtrum ſemper reſpiciat, quo mediante, nautæ nunc nauigant: cui reſpondet, id in cauſa eſſe, ſub polo montes magnetis altiſsimos, quorum ſpecies per incredibilem diſtantiam vſq; ad maria noſtra, propagata, ad perpendiculum vſq,

vbi

vbi est magnes, consuetam attractionem facit. Vult igitur doctissimus vir hic, quòd magnes in perpendiculo nauigatoriæ pyxidis, ad polum stellam vertatur, quia attrahitur à potentia maiori montium magnetis, ita vt similia omnia per se, se inuicem trahere dicat, sed hoc in polo arctico, quod verum sit dicatur: in antarctico vero falsum esse quis opinabitur.

CONSTANTINVS.

QVod Heraclius lapis, sideritis, Magnesq; dictus ferrum ad se alliciat & trahat, tam certa & indubitata est experiẽtia, quàm hactenus incompertaratio, & incomprehensibilis vt arbitror. Tametsi in perquirenda & huiusce modi effectus assignanda causa, non parum multi, multùm diuq; laborarint. Quibus omnibus irritus cessit labor, vt Lucretio, Marsilio Ficino, Fracastorio, & Cardano magnis alioqui philosophis & secretioris naturæ indagatoribus. Nam quòd Magnes solum ferrum vt voluit Aphrodiseus, aut vt Plinius, in se liquorem vitri quoque vt ferrum trahat: Quod ipsum ferrũ contrarius lapis Theamedes, à sese abigat: Quòd Adamas cum Magnete lapide in tantum dissideat, vt iuxtæ positus ferrum non patiatur abstrahi, aut si admotus Magnes apprehenderit rapiat, atque abstrahat, pendet hoc totum ex rerum surdarum, ac sensu carentium consensu & concentu, aut odio & repugnantia, quam concordiam & discordiam in omnibus id genus, Sympathiam & antipathiam appellauere Græci. Causam horum indictam, vt omnium quæ agunt à forma præcipua siue vt inquit Galenus, à tota substantia, quæque nulla præceptione & methodo tradi queunt, solus, vt verissimè loquar, nouit, sibique vni reseruauit ille quod dixit Cicero, mundi effector moltorque Deus, & vt addo, optimus Maximus: non inuidentia quidem quæ in diuinitatem non cadit, sed vt humana mens captus sui imbecillitate diffisa, ipsum vniuersitatis authorem in quo omnis scientiæ immensitas infinitasq; continetur, agnoscaret, ipsumq; vti par est reuerenter coleret, & singulariter admiraretur. Quod vt ab ipso domino exigitur, Sic ab vnoquoque obsequentissimè præstandum sit. Aptè igitur & congruenter vt illa ferebat ætas, hæc dixit Plinius: Numinum profecto muneris talis inuentio omnis est. Nec quærenda in vlla parte naturæ ratio, sed voluntas: Quod nos qui Christiani sumus, parua correctione adhibita, totũ ad vnius Dei gloriam transferemus. De Magnete autem si plura nosse cupies, consule Theophrastum de lapidibus, Lucretium lib. vj. Cice-

ronem

ronem j. de Diuinatione, Lucianum in Iconibus, Alexandrum Aphrodiſeum in problemata, Nicandrum, Plinium libr. xxxvj. cap. 16. & 26. libro etiam 20. cap. 7. & libr. xxxiij. cap. 14. Item lib. xxxvij. cap. 4. Celebratq; huc inter gemmas Orpheus. Dixitq; Claudianus: Venerem Magnetica gemma figurat. Recentiores vt Albertum ante cuius tempora magnetis vſus in pixide nautica innotuit, conſultò omitto, ne omnes percẽſere infinitum ſit. Dignum tamen ſcitu magnetis etiam genus eſſe quod argentum trahat. De quo Fracaſtorius: Et eſſe aliud quod ſemper vergat ad Auſtrũ: Aliudq; quo ferrum illitũ abſq; dolore vulneret. Cardanus lib. vij. de ſubtilitate.

De lapide Arabico.

Enarratio CVIII.

Lapis Arabicus.

QVum de lapillis ſermonem habere ſtatueram, hinc inde omni data opera, eos inquirere, ac propriis oculis prius videre decreui, in qua inueſtigatione, ecce occurrit mercator quidam Raguſinus, harum rerum curioſiſsimus, ac indagator maximus, qui ducentos fere varios lapillos, apud ſe reconditos, & ex variis mundi partibus conquiſitos, pro theſauro habet, inter quos Arabicus lapis eſt, enſis manubrij forma, quem ille albam corniolam appellabat: albus enim lapillus hic eſt, intus maculis, non adeo tamen albis infectus, de quo Galenus libro nono de Faculta. ſimpl. medicamen. ita tradit: Lapis eſt elephanto ſimilis, deſiccantis abſtergentisq; potentiæ.

De Galactite, id eſt lactario lapide.

De Melitite.

Enarratio CIX. CX.

Lapis lactarius. Alectorius Melitites.

LApidem lactarium hucuſq; non vidi, alectorium tamen in quo caput Herculis effigiatum erat, inter plures illos lapillos notaui: Melitites quoq; lapis à paucis viſus eſt, de quorum natura Galenus capite de Hæmatite abunde dixit.

De Morochtho lapide.

Enarratio CXI.

Morochthus lapis. pantaurus

ET hic quoq; hodie ignoratur, pantaurũ tamen lapidem in quo depicta erat charitas, inter illos lapillos vidi.

De Onyche, id eſt alabaſtrite lapide:

Germanicè,

Germanicè, Onychel.

Enarratio CXII.

Onix Alabastrites.

ALabastrites notus est lapis, cuius plures species videntur, & de eo ita tradit Plinius libro xxxvj. cap. 8. hunc aliqui lapidem alabastriten vocant quem cauant ad vasa vnguentaria, quoniam optime ea incorrupta seruare dicitur: Idemque etiam exustus emplastris conuenit &c. Galenus porro libro nono huic dicato negotio, ita de alabastrite tradit: combustus in medicinæ vsum ingreditur, quidam eum bibendum dant stomachicis.

De Thyite lapide.

Enarratio CXIII.

Thyites lapis.

QVum annis superioribus Venetiis apud illustrem & magnificum dominum Didacum Mendozam Hortadum, in ea republica vigilantissimum oratorem Cæsareum agerem, frater eius Prorex apud Nouum orbem, ad eum nonnullos lapillos misit, inter quos idolum quoddam erat ex thyite lapide fabrefactum, quod incolæ illi pro Deo adorabant, sunt enim gentes idolorum cultores illæ, erat enim idolum illud fere cubitalis altitudinis, colore viridi, in cuius medio foramen profundum erat, nam latitudinem palmarem non excedebat, de quo lapide Galenus lib. ix. citato, eadem quę Dioscorides dixit, tradidit.

De Lapide Iudaico: Germanicè, Iudenstein.

Enarratio CXIIII.

Lapis Iudaicus.

NVlla hodie extat officina pharmacopolia, in qua pyxicula particularis, pro hoc seruando lapide iudaico non habeatur: tam enim omnibus familiaris lapis hic est, glandis magnitudine, candidus, & multis discurrentibus lineis ornatus, quo pro minuendo renum calculo medici hodierni vtuntur, & vt tradit Galenus citato loco, colore est candido, specie concinna, lineas habens ceu torno ductas: vtuntur ad vesicæ lapides in cote soluentes, & ex aquæ calidæ tribus cyathis potui præbentes, præcipue vero ad eos qui in renibus hærent, est efficax.

De Amiantho lapide: Germanicè, stein flachs.

Enarratio CXV.

Lapis amianthus.

AFfertur hodie lapis amianthus ex Cypro Insula, sciſsili alumini similis, quem sæpe in ignem oleo prius inunctum iniecimus, & comburi vidimus, nulla prorsus illius parte amissa, qua de causa, multi lapidem hunc, lignum crucis, in qua Christus pependit, esse aliis inculcant, de quo Plinium consulito, libro trigesimo sexto, capite decimo nono.

De Sapphiro lapide, Germanicè, Saphir.

Enarratio CXVI.

Sapphirus lapis.

SAphiri lapidis, duæ species hodie habentur, & cyanei, & albi coloris, album autem, sapphirum aquæ appellant: Cyaneum vero, potissimum inter gemmas reponunt, sed vtrunq; auro alligatum, collo mulieres appensum gestant, veluti in digitis ex eisdem ornatos annulos. Cæterum Plinius lapidem cyaneum auri punctis ornatum, sapphirum vocare videtur, vt apud ipsum est legere libro trigesimo septimo, capite nono. Nostri vero temporis medici cum Arabibus, inter fragmenta cordialia sapphirum quoq; reponunt, nec sane immerito, quia Galenus libro nono de Facul. simplic. medicamen. eius potum scorpionum ictibus mederi tradit. Ex vena siue minera sapphiri, mercator ille Raguseus, vas quoddam habebat oculis gratissimum quod vt Gennacius quidam Lusitanus, qui mecum bis, vt tantam lapillorum varietatem dignosceret, iuerat, duobus millibus ducatorum emi poterat, affirmabat. Erat enim lapis ille, ex quo vas componebatur durissimus, non nisi adamantis cuspide elaboratus, coloris varij, quod ex vasis Caroli Magni imperatoris esse, nonnulli contendebant.

De Memphite lapide.

Lapis mẽphitis.

Enarratio CXVII.

HOc hodie caremus lapide, qui vtinam notus esset, vt eo chirurgici vterentur.

De Selenite: id est Lunari lapide.

Selenites, lapis Lunaris.

Enarratio CXVIII.

INter eos lapillos, quos diligens ille Raguseus seruabat vnum rotundum, album, lucentem, in tenebris claritatem

tatem emittentem vidimus, quem ille carbunculum verum & ex draconis capite extractum, nominabat: nam verum carbunculum gemmam, album esse, non vero rubinum rubricantem multi dictitant, veluti Morbodeus qui de lapidibus scripsit, & ante eũ plures alij. Erat enim lapillus hic mirus aspectu, magnitudine vitelli oui gallinæ primiparæ, qui vt dixi albissimus erat, in tenebris ex se lucem emittens, nõ adeo tamen ingentem, vt cataphracti homines trecenti, coram eo illuminari possint, vt rudes putant. Cæterum, quòd lapillus hic, carbunculus sit, ex draconis capite extractus, non crederem, quum magis inclinet animus, illum selenitem esse, candidum, pellucidum, minime ponderosum, in Arabia nascentem. Erat quoq; lapillus alter albus, vnguis humani magnitudine, qui ex se igneas quasdam flammas emittebat, in tenebris quoq; lucens, quem ille orfanum appellabat, & de eo Albertus Magnus mentionem fecit, quanquam alij adamantis quoddam genus esse contendebant: vtcunque tamen sit, ipse inter præcipuas gemmas lapillum illum collocandum esse crediderim. De quibus, & pluribus aliis, à nobis visis lapillis, libellum edere & in lucem emittere decreuimus, modo Deus nostris faueat votis.

Lapillus mirus.

Orfanus lapillus.

De Iaspide: Germanicè, Ein Iaspis.

Enarratio CXIX.

Didacus Mẽdocius.

IAspidis plures, & variorum colorum species communissimæ sunt, ex quarum altera pellucida, inter lapides illos, quos Dominus Didacus Mendocius Hurtadus, à fratre Prorege acceperat, speculum erat, quod non aliud quàm Iaspis lapis erat, & ille quidem crassus, quem ob id generosissimus vir ille bis per medium secari iubebat, vt ex vno lapide, tria euaderent specula, non nisi clariora, ac magis pellucida. Erat enim lapis ille, si recte teneo communioris Iaspidis colore, substantia durissimus: qua de causa, lapidicida eum secare, nisi magna pecunia esset donatus, recusabat: plures enim serras in eo rumpi, inculcabat. Cæterum, ex Iaspide terebinthizo, ob colorem ita dicto, clauam paratam vidi, quam Raguseus ille, inter tanta lapidorum genera habebat. Porro balai gemma, cui Dioscorides iaspidis prædictã speciem similem facit,

Balai gemma.

hodie balaxum dicitur, infimum quoddam rubinorum genus. Sed quum de Iaspide loquimur, non decet hinc discedere, quin genus eius quoddam describamus, quod apud Salatium oppidum iuxta Lusitaniam præcipue nascitur, interdum coloris cyanei, nonnunquam vero viridis, oculis gratum, quod Lusitani sua voce Azuleios appellant. Sunt enim lapilli isti ædificiorum magnum ornamentum: & de quibus omnibus, ita tradit Gal. libr. ix. de Facultat. simplic. medicament. Ventriculum adhæsit, ipsiusq; os adiuuat. Porro Ophitem lapidem suspensum iuuare morsos à vipera tradunt, sed eiusmodi facultates non constant methodo. Veluti etiam quum hieracites & Indicus profluētem ex hæmorrhoidibus sanguinē sistunt.

Azuleium

De Aëtite: Lapide aquilæ dicto, Germanicè, Adler stein.

Enarratio CXX.

AEtites lapillus, vbique vulgaris est, sub aquilæ lapide quem prægnantem lapidem nōnulli appellant, ob id quod intus lapillum alterum inclusum habeat, vt eo concusso facile audiatur, vel potius quod prægnantibus prosit. Aduehuntur vero hodie lapides isti ex Apulia, magni parui & mediocres, diuersorum colorum. De quibus Plinium legito, libro trigesimo sexto, capite vigesimo primo, & Erasmum Roterodamum in Chiliadibus, vbi de scarabæo & aquila doctissime sermonem habet. An vero lapis iste brachio alligatus fœtum substineat, genu vero suppositus illū prouocet, omnes prisci fatentur: nos vero superioribus diebus periculum in parturiente facientes, nihil iuuamenti obtinuimus, vt testis fuit Franciscus Barbosius, vir Auicennista, magna præditus experientia, & qui apud Indos per octodecim annos artem medicam exercuit, non sine magno quæstu & honore.

Aëtites, lapis aquilis.

Erasmus Roterodamus.

Franciscus Barbosius.

De Ophite, id est Serpentario lapide: Germanicè, Schlangen stein.

Enarratio CXXI.

PLures serpentini lapides hodie cernuntur, colore virides, durissimi, multis punctis masculati. Sed quòd odorem qualem Dioscorides ait, spirent, pauci hucusque viderunt:

viderunt: Ego vero vasculum quoddam vidi, ex lapide ophite isto fabrefactum, quod quum fabricabatur, non insuauem ex se spirabat odorem: contendebant verò nonnulli, vasculum hoc ex illis esse, in quibus Imperatores Romani theriacam seruabant: nam & lapidem istum, contra serpentium morsus, & venenum valere Dioscorides testatur: de quo & Galenum legito libro nono citato.

De Lapide spongiarum: Ger. Schuuammen stein.

Enarratio CXXII.

PErpaucæ sunt spongiæ, in quibus lapilli nõ reperiantur: de quibus ita tradit Galenus libro nono de Facul. simplic. medica. Frangendi vim obtinent, non tamen ita validam, vt lapides in vesica comminuant: Rumpunt eos tamen qui coguntur in renibus: veluti qui aduehuntur ex Cappadocia, cæterum lapillum ex rana terrestri, bufone dicta, extractum, inter illos varios lapides, apud Raguseum illum seruatos vidimus, quem nonnulli boracem lapidem appellant, quum tamen borax vt dixi, chrysocolla sit. *Lapis spongiorum.* *Lapillus ex bufone.*

De Lithocolla: Germanicè, Steinleim.

Enarratio CXXIII.

EX marmore, aut Pario lapide, admixto tauri glutino lithocolla fit. Est enim Parius lapis, marmor album ex Paro insula è Cycladibus vna apud Aegeum mare, hodie Pario dicta. *Lithocolla.* *Parius lapis.*

De Ostracite lapide: Germanicè, Topffstein.

Enarratio. CXXIIII.

OStracitem lapidem nonvidi, illius tamen vice, plures à me visos enarrare possum, præcipue lapidem prasinum, quem smaragdi matrem, vel venam smaragdi, appellant, lapidem eutropium, lapidem ametistum, coloris floris stœchades Arabicę, lapidem phœnicis, nisi corniola erat, plasma, album & nigrum, Chalcidonium, quem Hispani Leitor appellitant, & rotundum mulieres collo suspensum gestant, nam lac generare credunt, lapidem felis basilici, tanquam capparim coloris viridis, & plures alios quos subticeo ad præsens. *Ostracites lapis.*

De Smyre lapide: Germanicè, Schmergel.

Enarratio CXXV.

Smyris. SMyris lapis, aurificibus, & Gemmariis, ac iis qui arma poliunt Smyrillus hodie dicitur: quo vitrum ab adamante discernunt, & vt tradit Galenus, vehementer quidem abstergit. Quare ipso ad annulos exsculpendos vtuntur: & ad dentes purificandos. Cæterum, lapis beryllus, albissimus lapis est, tanquam chrystallus, quo multi tanquam specularia vtuntur.

De Arena marina: Germanicè, Meer sand.

Enarratio CXXVI.

Arena marina. ET hodie quoq; hydropici, arena marina obruti, vigente æstu curantur.

De Naxio lapide.

Enarratio CXXVII.

NIsi naxius lapis is est quem artifices passim pro acuendis securibus, & aliis incisoriis ferreis instrumentis habent, quis ille sit ignoro, quid tamen de eo senserit Galenus capite sequenti legito.

De Lapide geode.

Enarratio CXXVIII.

LApis geodes hodie ignoratur, de quo Galenus, simul & ramento cotis naxiæ, capite de Ostracite, sermonem habet, libro nono de Facul. simpl. medic.

De omni terra. 129.

De Eretria terra. 130.

De terra Samia.

Latinè astrum Samium, talchum: Hispanicè, Sclari mente.

Enarrio CXXXI.

TErra Samia duplex à Dioscoride in præsenti describitur: cui postea subscripsit Galenus libro nono de Facultatibus simpl. medi. & Plinius libro trigesimo quinto, cap. 6. quorum altera Collyrion in præsenti nominatur: à Plinio Syropicon dicta: altera aster Samius appellatur, quam Plinius astrum Samium vocat. Et eam vt nos opinamur officinæ talchum, Hispani vero sclarimente vocitant:

tant: cruſtæ albæ ſimile, & quod nõ indigere lotione Gal. dixit, è longinquo enim vt ſtella ſplendeſcit, vnde ſtella terra vulgo, & græce aſter appellatur: ad poliendas autem facies mulieres ſępe alba hac cruſta vtuntur, & varios alios affectus complendos.

De lapide Samio. 132.
De terra Chia. 133.
De terra Selenuſia. 134.
De terra Cimolia. 135.
De terra Pnigite. 136.
De Cinere marinarum teſtarum. 137.
De terra rubra ex fornacibus. 138.
De Melia terra. 139.
De Ampelite terra. 140.

Enarratio.

OLim medici variis iis terræ generibus vtebantur: nunc vero hominum negligentia factum eſt, vt ea omnia ignoremus, & illis minime vti poſsimus.

De Fuligine pictorum.
De Atramento librario.

Enarratio CXLI. CXLII.

DE iis libro ſecundo abunde diximus: proinde nunc ſuperſedemus huic quinto & vltimo libro finem imponentes.

Finis Quinti & Vltimi Libri.

Lugduni,

Excudebat Vidua Balthazaris Arnolleti.

UNIVERSIDADE DE LISBOA

CHALCOGRAPHVS Lectori. S.

EN tibi Lector, plantarum quasdam Icones, numero triginta, quas vltra priores omnes, ad natiuam effigiem proximè accedentes, summa fide ac diligentia, denuo cælauimus. Earum exemplar nacti sumus opera Iacobi Dalechampij, Lugdunensis medici doctissimi, qui non segnem in ea re operam dudum nauauit. Hæc te ideo monitum volumus, vt si quid ex his cõmodi retuleris, ei soli gratias agas, nosq; tui studiosos esse cognoscas, Vale.

ICONES, NVMERO TRIGINTA, STIRPIVM NONDVM deliniatarum, quarum vires in hoc Dioscoridis libro expressæ sunt, vt ex libris & Enarrationibus annotatis patebit.

*

MEVM.

Libro primo.

Enarratione III.

TEREBINTHVS.

Libro primo.

Enar. LXXXII.

CISTVS.

Libro primo.

Enarratione CXVI.

HYPPOCAMPVS.

Libro secundo.

Enarratione III.

ASTACVS MARINVS.

Libro secundo.

Enarratione X.

ORNITHOGALON.

Libro secundo.

Enar. CXXXVIII.

PTARMI-
CA.

Libro secundo.

Enarratione CLVI.

CYCLAMINON
vnico folio.

Libro secundo.

Enarra. CLIX.

TRAGACANTHA.

Libro tertio.

RVTA SYLVESTRIS.

Libro tertio.

PVLEGIVM.

Libro tertio.

Enar. XXXIIII.

SESELI AE-
thiopicum.

Libro tertio.

Enar. LIX.

AMBROSIA.

Libro tertio.

Enar. CXXVI.

HEMEROCALLES.

Libro tertio.

Enar. CXXXIIII.

PHYLON
Thelygonon.

Libro tertio

Enar. CXXXVII.

HEMIONITIS.

Libro tertio.

Enar. CXLIX.

LIBANOTIS STERILIS.

Libro tertio.

Enar. LXXXIIII.

LONCHITIS PRIOR.

Libro tertio.

Enar. CLVIII.

CHRYSO-
COME.

Libro quarto.

Enarratio LVIII.

ARCTION.

Libro quarto.

Enarratio CVII.

HELLEBO-
RINE.

Libro quarto.

Enarratio C X.

CACALIA.

Libro quarto.

Enar. CXXIIII.

NARCISSI
duo genera.

NARCISSVS.
Luteus.

Libro quarto.

Libro quarto.

Enarratione CLXI.

CHAMAESICE.

Libro quarto.

Enar. CLXX.

CHAMAELEA.

Libro quarto.

Enar. CLXXII.

THYMELAEA.

ARVNDO SACCHARATA.

Libro quarto.

Enarratione CLXXIII.

GRAMINIS
1. genus.

Libro quarto.

GRAMINIS
2. genus.

Libro quarto.

Enarratione XXXII.

BIBLIOTECA CENTRAL
-8 NOV 1933
COIMBRA

30 pts

Treinta

AMATVS
in Dioscorid.
De Mat. med.

R
40
15